Universidad de Deusto
Biblioteca

RAVISII

OFFICINA

1-2

Universidad de Deusto
Biblioteca

Estante 7 3
Plúteo _ _

OFFICINA
IOAN. RAVISII
TEXTORIS.

TOMVS PRIMVS.

Opus nunc recens post omnes omnium editiones fidelissimè recognitum, & indice copiosissimo locupletatum.



...statis ...
...sum uitio uer...
...ne mereri de...
...onis animantes
...ntes, à quibus ui...
...lires suis genitori
...elut meritum re...
...ntia, conuiciis me
Næ tu es homo e...
..., & cicatricibus,
...profe...
...nuit
...
24562

VENETIIS, Apud Ioannem Gryphium
M D LXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca
COLEGIO DE SAN FRANCISCO JAVIER TUDELA
Bibliotheca Facult. Philosophiae Prov. Cast. Orient. S.I.

INCVLPATISSIMO VIRO, SACRARVMQVE litterarum professori meritissimo, D. Ioan. Boluaco, Niuernensi, Nauarrensium grammaticorum gymnasiarchæ, Ioan. Rauisius Textor Niuernensis S. D.

FREQVENS fuit multis admiratio, uir inculpatissime, quòd ego tuus alumnus, & prope dixerim partus, tuis semper adiutus obsequiis, tuáque opera litteris innutritus, neque beneficium scriptis agnoscerem neque gratiam uerbis ullis remetirer. Nec defuerunt, qui silentio meo tam diuturno inflatis etiam buccis, & multo ir ascerentur stomacho, atque hoc ipsum uitio uerterent, dicerentq; me indignum de quo quisquam bene mereri debeat, quum ut causabantur, pleræque expertes rationis animantes abhorreant ab huiusmodi nota, nam & ciconia parentes, à quibus uitam accepit senio fessos nutrit, & succollat, & glires suis genitoribus dum senuerunt, eadem succurrunt pietate, uelut meritum refundentes. Alii item, quibus eadem placebat sententia, conuiciis me incessabant, & huiusmodi uerbis alloquebantur: Næ tu es homo egregie malus Textor, dignus que multis plagis, & cicatricibus, qui magno famæ tuæ dispendio non agnoscis, per quem profeceris. Hic (de te loquebantur) te nutriuit à puero. &, ut inquit Simo Terentianus, fecit ex seruo ut esses libertus, & quod habuit summum pretium, persoluit tibi: tu tamen pateris eius memoriam apud te frigescere, quem, uelut numen aliquod terrenum, deberes suscipere, & reuereri; cuiusque effigiem, si saperes, domi haberes in lario, quum quidquid es, si quid saltem es, id totum sis eius officio, eique uitam cum doctrina referre debeas acceptam. Adde quòd magna est ambobus affinitas, eadem utrique patria, cuius ille flos est, & primum specimen, & in qua tanti fit ab omnibus, ut inhumanus habeatur & inciuilis, qui transeunti

compitatim non assurgit. qua nam ergo ratione maculam hanc elues? quò nam modo culpam deprecaberis, aut in quam excusationem reiicies delictum, si solus eum relinquas insalutatum, in quem omnes pleno ore certatim laudes congerunt? His illorum uerbis quum aures mihi calerent & circumsonarent, cœpit me pudere uitæ & pœnitere negligentiæ. parúmque abfuit, quin ipse mihi pœnam irrogauerim, sumptóque de meis Musis supplicio, aborti uas adolescentiæ meæ nugas Veneris marito deuouerim, ut cum Politiano loquar. ubi tamen diu satis in ea pependi cruce, post longum tædium & animi mærorem, discussis hinc inde rationibus tandem cognoui nihil esse, quod deberem tristari, aut affici pœnitentia. quinetiam me multò prudentius egisse, quàm si quid infra dignitatem tuam antea reposuissem. præcedentia quidem argumenta iniiciebant mihi pudorem. contrà uerò alia emerserunt omnino contraria, quæ postea suaserunt, ut non tantùm non me pigeret nihil ad te scripsisse, sed ne in posterum quidem scribere. Consideraui in primis, quàm stultè agant, qui suis ineptiis illustrium uirorum maiestatem contaminant, exemplo illius Cbœrili, cuius scripta plus multò probri, quàm laudis peperierunt Alexandro. quantum enim famæ parturiunt doctorum monumenta, tantum dedecoris afferre solent pœnitendæ, & uiles indoctorum nugæ. itaque si quid hactenus tibi nuncupassem, plus multò fuliginis & tenebrarum, quàm lucis induxisset tuo nomini. nam nihil est in me, quod tuis laudibus respondere ualeat. nihil neque scribo, neque loquor, quod semitarii & pagani magistelli non mouerint. nihil nisi triuiali percussum moneta dico. Qua nam igitur doctrina tibi, homini dico omnibus uirtutum numeris absolutissimo satisfacere potuissem? quod si potuissem, adhuc tamen mihi fuerat timendum, ne irascereris, grauatéque ferres & dolenter, si te in ora uulgi coniicerem, quum ea sis natura, ut malis laudũ tuarum testimonia in præcordiis hominum delitescere, quàm linguis uersari. Ego te noui, tanquam meos ungues. at si quid certi ex tuis moribus potui colligere & explorare, tu non es ex eorum numero, quibus aures inanibus præconiorum fumis pruriunt, & titillantur. futiles istæ gloriolæ non plus te mouent, quàm lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram, Auriculas citbaræ collecta sorde dolentes, ut inquit ille. omnia tibi sordent, nisi quæ meram olent uirtutem. Suspicari posses me hoc dicere adulandi

studio, nisi tam alienum esset mihi assentari, quàm tibi assentatoribus aurem præbere. id ego ausim de me prædicare, nec unquam placuisse mihi parasitos & blanditores, nec ullam pestem nunquam acrius refugisse me, quàm parasiti personam, ne quis fortè suspicetur à labiis meis dissentire præcordia. & tu ipse eum me semper nosti, in primore cuius fronte legatur animus. quod quamuis hac te mpestate non usquequaque sit utile: non possem tamen infucatum illum naturæ rigorem excutere, uel si unco trabendus ad scalas gemonias, aut insuendus culeo cum gallo, serpente & simia. Vides igitur, ut ad institutum redeam, quæ de uno me mouerint argumenta, ut nihil ad te scriberem, aut de te. tandem tamen inuitum me hæc recusantem expugnauit & tuus in me amor, & mea in te beneuolentia, coegitque epistolam hanc liminarem adiicere. quamuis intelligerem titulum hunc, si modo laudis est titulus, fore tibi molestum & odiosum. sed uelis nolis, oportet ut æqui bonique consulas. Hoc ego feci, non ut par pari relatum cognosceres, quum, ut inquit Cicero, si uitam pro tua dignitate effunderem, nec minimam quidem tuorum in me meritorum partem uiderer assecutus, sed ut eorum calumnias declinarem, qui me suspendunt naso, quòd nullo dum, ac ne uerborum quidem testimonio, exhibuerim me gratum. porrò nominis perpetuitatem magis mihi ex te polliceor, quàm tibi ex hoc opere meo. Si autem percontaris, quale sit ipsum opus & quid ego sentiam? dicam id, quod res est, ne quis cauilletur fœtus meos mihi blandiri. illud primum omnium non inficiabor, me omnia frustillatim ferè ab auctoribus emendicasse. nihil priuato iuri præter laborem tribuo, quem si quis improbet, nullam spem futuræ laudis mihi relinquo. & ut occurram censorum lituris & spongiis, tota hæc Officina similis est Horatianæ corniculæ alienis plumis circumquaque uestitæ. quam licet plerique probent, & in his Petrus Danesius homo plurimæ doctrinæ & eruditionis: non sum tamen adeò nescius mei, neque ita pendeo totus ab aliorum iudicio, ut eas laudes uelim agnoscere, quas nec honestè possum, nec iure debeo. Nolo mihi Suffenus esse, aut simias imitari, quæ suos fœtus quam libet deformes pro formosissimis admirantur si quid tamen ex multis paleis fructus collegi: te & ceteros lectores rogo, ut excipiatis plausibiliter. contrà uerò si quid per incuriam mihi nõ elimatum lapsum est, frequenter autem lapsum est, partem er-

EPISTOLA NVNCVPATORIA

roris quæso condonate meis occupationibus, quibus quum hæc imprimerentur, nulla non hora obruebar, idq; adeò, ut uix otium esset ad scalpendum caput, aut ad mungendas nares. nam, ut tu ipse omnium certissimè nosti, non poteram assiduè præesse typis, quum me oporteret totos dies eruendis iuuenibus impendere. uixq;, ut opinor, suffecissem operi, nisi in emaculandis utcunq; typographorum erratis laborē meum iuuisset honestissimus, maturæq; doctrinæ adolescens Guido Mommiraldus Lutecianus patricius. Vale homo probatissime, & me ama.

IO. RAVISII TEXTORIS NIVERNENSIS IN SVAM Officinam, ad eximium, & litteratissimum uirum D Gaufredum Pompadoræum Petragoricensem Archidiaconum utriusq; iuris professorem acutissimum.

PRAEFATIO.

OMnium, qui latinam linguam suis hactenus iuuerunt monumentis, neminem propè vnũ inuenias, Gaufrede litteratissime, qui ubiq; suorum operum calumnias Momorum, & obelos posteritatis effugerit: quiq; nullibi acceperit vulnus. hoc docent auctorum elegantissimi, quorum scripta quamuis inculpata, & omnibus eloquentiæ calamistris decenter compta viderentur: plerisq; tamen in locis Aristarchorum lituris expuncta sunt. Hic arguitur, vt nimis ieiunus; illius oratio plus cutis, quàm carnis habere dicitur; alius verbis confragosis ampullari, alius humi repere, in hoc affectata culpatur obscuritas, in illo stylus nimis languidus & enervis. in summa, nihil reperies, quod suis dentibus liuor non configat. Et quod omnium molestissimè fero, non eruditi & frugi homines solùm hanc prærogatiuam tibi vendicant, sed inepti quoq;, & qui carent naso, eandem licentiam iuxtà induunt. ita, vt venatici canes, & villatici eodem modo ferinam olfacere videantur, velintq; capræ Rhinoceroti nasuto haberi similes. Sunt quinetiam, qui laudi sibi vertunt cum egregio hoste pugnam suscepisse, ut aliena virtute (quod propria nequeunt) in opinionem vulgi quocunq; modo introrepant, seq; in populi admirationem intrudant vtcumq;. alij quum quid coram idiotis legunt, ne nihil scire videantur, audent tamen de Sibyllæ foliis iudicare, suaq; censuræ cum aliis symbolum ferre. sed fallunt haud dubiè, & suis cruribus asciam illidunt. nam plu

ra ipsi accipiunt, quàm inferant vulnera. inustum enim ab eruditis vnicum stigma instar multorum est, præstatq; sexcentas ab huiusmodi latratoribus plagas accipere, quam à litteratis vnam. quidquid dicitur ab erudito, æternum est, & nescit finem. quod ab insulsis, euanescit tam citò, quàm ipsi sunt vani. quod si vnquam primis seculis fuerit hoc malum, nunc inualescit maximè, ita vt vix reperiatur opus, quod vel non sit mancum ac mutilum, aut stolidis istorum nebulonum iudiciis planè corruptum. Quid est in causa, quamobrem Fabij institutiones oratoriæ nobis tenebrosæ videantur, lectoresq; omnes tertio quoq; verbo suspensos retineant? sola hominum temeritas, qui quum auctoris mentem non caperent, omnia inuertere, & rotundis quadrata mutare ausi sunt, faceruntque oraculum, quod per somnium noctu viderant. qua etiam fæce historiam Plinij naturalem vbique perunxerunt, dum non intellectam detorserent in suum phantasma, ne lectorem destituisse viderẽtur, seque ignorantiæ conuicisse. ego, vt verè dicam, ex alieno periculo mihi timeo, terroremq; (vtinã uanũ,) confingo. quis enim gregarius miles in dextram aurem securus dormiat, si videat principi suo malè esse? quis vellicato Cicerone, suis auribus non timeat? quem notato Virgilio, calumniæ metus non terreat? atq; eò magis, quod acrius semper in neotericos sæuiatur. homines enim huius seculi propè omnes consueuerunt in seipso furere, alter in alterum quadrigas conuiciis onustas iaculari, viperis nimirum similes, quæ parentes dicuntur impetere. Vide Apologias, vide occultas Satyras, quæ nunc euentilantur, & excuduntur. quotusquisq; nostri temporis habetur in pretio, qui tot Archilochos non habeat, quot prẽcones? paucis ab hinc annis Seruius de Latina lingua bene meritus floruit. iam Beroaldinis annotationibus uapulauit. Beroaldus item nunc cum fœnore recipit talionem. omnes enim (qui saltem corruptum non habẽt olfactum) quamuis laborem eius non improbent, sic tamen stylum auersantur, ut sibi, suisq; liberis eius lectione interdicant. nullus grammaticorum pleniore obsequio posteritatem demeruit, quàm Laurentius Valla. nemo purius iudicauit, Mancinelli ta-

men iam passus est limam, qui & ipse postea limatus est. Politiano uiro utriusque linguæ doctissimo, Marullus poeta iam dedit uulnus, idemque lege talionis accepit. quo anno hæc imprimebantur, nescio quis semidoctus Anglus, ausus est in Erasmum uirum planè & sine lenocinio doctum insurgere, annotationesq;, quas Mercurij cuiusdam opera Græcanicis refersit laminis, euentilare. audio & fuisse quendam nebulonem, qui opus doctissimi & eruditissimi Budæi de Asse dixerit esse uelut otiosum, infrugiferum, ac nemini utile, & non magni referre cognoscere, quæ sint partes asis, quàm uariæ ponderum & nummorum species. cuius nomen si compertum haberem, peius cruce & furca lueret; nec ad commiserationem me flecteret, etiam si fleret sanguine. Te ne oportuit nebulo perperam de tanto Galliæ monstro iudicare, tantumque uirum putida tua censura proscindere? qui tamen unus inuidiosam Athenis reddit Lutetiam, facitque, ut omnes propè ceteræ nationes palmam desperent eloquentiæ? hic, si litteris merces exolueretur, Regi deberet esse, quod Archelao fuit Euripides, Ennius Africano, senatui Rom. Cicero. & te non pudet immundũ ex ore tuo sterquilinium in hunc uomere? nihil de te loqui audeo Faber modestissime. plagę tuæ mihi excutiunt lacrymas, tantumque dolorem afferunt, ut amicis indigeam, qui me perinde ac te consolentur. nescio cui te comparẽ, nisi Actæoni, quem ut sui canes laniarunt, ita quoque qui ex tuis uigilijs fructum & commodum ceperunt, qui te prævio & anteambulone, philosophiæ latebras incolumes peruaserunt, in te rostro & dentibus sæuiunt. sed sis bono animo. aderunt, aderunt, qui ulciscentur, facientq; tuos istos canes suorum pœnitere latratuum. imò iam affuerunt. nunquid enim prospicis plerosq; ex illis (indigni sunt qui à me nominentur) iam non pluris, quàm histriones fieri, & ab eruditis haberi uelut indoctos? indoctos autem? imò & planè barbaros, ipsisq; adeò barbaris ineptiores. luent, luent, & uiui & mortui, flammasq; (quibus scripta tua digna dixerũt) ipsi perferent. impingent, ne dubites, in eruditorum carnificinas, in quibus nullus futurus est commiserationis locus. Iam in Epithetis meis tibi condolueram, neq; tamen urgen-

te beniuolētia (quam habeo in litteratos genuinā) potui nō iterum miſereri, ut docerem, quod prius dixi, nullū eſſe quā tumuis doctum, qui huiuſmodi Libitinarū morſus, & rabiem declinet. Quis ergo tot eruditis uapulantibus, ſecurum me putet dormire ſomnū? quis porrectis pedibus nihil timentē quieſcere? quum ēt ſi roſas loquerer, eſſent tamē, quibus meæ roſę olerent urticā. omniū linguas cohibere uelle, manifeſtaria eſt dementia. culpā apud oēs deprecari, tam difficile eſt, quā facile à multis naſo ſuſpendi. ne multis agā, ſalubrius mea ſententia non eſt cōſiliū, quàm ueniā præfari, & ſuſcepti operis cauſam percōtaturis dicere. demū ſi quis obloquatur, & me aſpergat conuiciis, pili & aſſis nō facere. Primùm omniū nemo eſt (ut opinor) neq; ex eruditorū turba, neq; ex plebeiorū grege, qui manibus ac pedibus nō eat in Salluſtij ſententiā dicētis: Oibus hominibus, qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris animantibus, ſumma ope enitēdū, ne uitam ſilentio trāſeant, ueluti pecora, quæ natura uētri prona, & obediētia finxit. nos. n. prę ter p p uoluptates nati ſumus, & aliorſum accepimus animā, quā ut otio Epimenidis ſomnū in dormiamus, & ut proci Penelopes aliis certātibus, ſoli nihil faciamus niſi numerū. Quid à porcis differemus, ſi multos menſes ſtertamus inſtar glirium, & puriſſimæ aquæ ſordidū lutum præferamus? cōmodemus aures Catoni, qui dicebat reddendam eſſe uitæ rōnē. ſequamur laudabilem Gymnoſophiſtarū conſuetudinē, apud quos impranſi abibāt, qui nullū diurnæ opere fructū afferebant. Aegyptiæ adhæreamus iuuentuti, cui lege fuit cautū, ne cibo prius ueſceretur, quàm cētū & octoginta ſtadia percurriſſet. adiiciamus oculos moribus Spartanorū, qui ablegatos à ſe pueros non prius domū redire permittebant, quā parentibus honori, & patriæ utilitati eſſe poſſent. Fuit, fuit primis ſęculis tantū uirtutis ſtudium, ut ſummā in labore felicitatē reponerent. qua cauſā Menander dicebat, Deum otioſis nō adeſſe, Epicharmus bonos laborem ſequi, timidos nihil unquā aſſequi. Heraclides quoq; Lycius unum librum laboris laudibus dicauit, quo aiebat nihil in rebus humanis magis frugiferum geri poſſe. quibus perſuaſus argumētis, aliquem ex dactylotheca mea carbunculum in linguæ Latinæ gazophilacium cōferre uo-

lui, quòd hominem ſic oporteat uiuere, ut ſe aliquando uixiſſe doceat poſteros. Qua. n. per maximū Ioue opera recti ingeniū exercerē? non ne præſtat hoc ipſum facere, quàm plebeculā ad medullas corrodere cū cauſidicis, hoies impunè occidere cū medicis, mercatorum inſtar lucro immori, & honores aulicorum ritu ambire? ſequi uolo Amaſis Aegyptiorū regis edictū laudabile, qui (ut eſt apud Herodotum) ſanxit, ut ſinguli quotānis apud cuiuſq; præfecturæ præſidē profiterentur, unde uiuerēt. quod qui non facerent, illis pœna extremū ſupplicīū eſſet. ſed fac meū hoc penſum non eē magni momenti. minorē ſaltē præſtabo culpā, quā qui nihil oino parturient. Per me non ſtat, quin melius agā. natura eſt in cauſa, quæ eā mihi dotē nō dedit, quā fortunatis ingeniis, quibus in manu eſt, ex tempore (ſi inſperata declamādi neceſſitas occurrat) eleganter dicere, & copioſe. Arguerem me pigritiæ, niſi certò ſcirē me plus olei multò conſumpſiſſe, quā pleroſq; alios, qui tamen multis præcurrunt parāſangis; doctrinaq; & eloquentia tantum me præcedunt, ante alios quantum Pegaſus ibat equos. Si quis dicat iam nobis abunde eſſe uoluminum, quorſum tamē propterea cauillari eos attinet, qui multa ſcribunt, & cumulū augent? quū Theophraſtus trecenta librorum uolumina ediderit, Chryſippus ſeptingenta, Empedocles tria & quadraginta, Atteius Capito conſul ſexaginta? conſtat Seruiū Sulpiciū centū & octoginta libros de iure ciuili ædidiſſe, Galenum de medicina cētū & triginta. debemus ægreferre theſaurū noſtrū augeri & ærariū creſcere? ſed admittendi ſunt ſoli maximè eruditi. Cur ita? an qui habent plenā auro crumenā argenteos quadrantes ab aceruo reiiciunt, & minorem reſpuunt monetā? hoc illis improperandum, qui ſunt uſq; adeò polypoſi, ut olfactu prorſus careāt, neq; triticum ab auena & lolio poſſint internoſcere. non eſt idem omnium guſtus. et quod ad hius ſtomachū facit, illi nauſeam parit. quod hunc excitat, alium ſopit. hinc fit, ut aliis placeat breuitas, alij luxuriantē uerbis & ſententiis malint orationem. Præterea ſi nihil unquam recens imprimeretur, periculum eſſet, ne tandem literæ naufragium facerēt, & perirent ab radice. uides enim uel iniuria temporum, uel hominum incuria, opera & uigi-

lias multorum iã periisse, quorum nomina plurimi à nobis fiunt, & pleno ore ad cælum feruntur, atque etiam frequenti otium voto desiderantur. ubi nũc sunt Accij, Pacuuij, Aeschyli, Afranii, Anacreontis, Archilochi, Philetę, Aristophanis poetarum & aliorum plus quingentorum monumenta? ubi Annales Andronici, tragœdiæ, comœdiæ, & satyræ Ennij, Plauti centum & triginta fabulæ, Saturnalia, Siluæ, Medea & Orpheus Lucani? ubi Manlij Astronomica, Valgij & Cornelij Galli elegiæ, Licinij Calui Quinctilia, Varronis Leucadia, & Cesennia Getulici? quis habet Laberij, & P. Syri minos Cæsij Bassi Liricos, & Furij Bibaculi Iambos? quis Porcij Licinij, Valerij Aeditui, Cinnæ, Domitij Marsi, Pædonis Albinouani epigrammata? perierunt magno posterorum dispendio, grauiq; iactura. & quùm legamus non paucas oratorum centurias olim floruisse, vnicus propè Cicero diis calamitatem nostram miseratibus, nobis remansit. Euanuerunt M. Aemilij Lepidi, Spurij & Lucij Albinorum, Albucij Silj, Licinij, Calui, duorum Carbonum, ac totidem Gracchorum orationes, cum Asinij Pollionis declamationibus. Nec minore damno historiographhorum opera exciderunt. Q. Curtius, Dion Cassius, Herodianus, Liuius, Ammianus, Marcellinus ad nos peruenerunt, sed fracti, manci, mutili & laceri. misimus bellum Numantinum Asellij Sempronij, Germanicum Ausidij Bassi. ex quadraginta libris Polibij quinq; tantùm superfuerunt. quæ omnia quanto posteritatis incommodo, quantaq; ruina perierint, vel cæco appareat. hanc ergo cladem qualibuscunq; subsidiis resarciamus, & quãuis maiores lógo sequamur interuallo, audeamus tamen. propius ibimus, si ad summa nitamur, quã si præsumpta desperatione citra ima substiterimus. faciamus quod à tribunis militum solet; qui quũ egregios bellatores amiserint, copias tamen dispalatas quibuscunq; possunt homũculis instaurãt, ne omnino victoria cecidisse videantur. crescet nobis maior gloria, quàm si nullã nostri memoriam posteris relinquamus. Vide cui probro se reddant obnoxios, quibus perpetuæ sunt feriæ, quiq; cõpressis manibus sedent, & in otio contrahunt marcorem. cõtrà verò quantum famæ sibi cõparauerint, in

quot annos suum propagauerint nomẽ, qui nullũ tẽporis pũctũ fructu vacuũ permiserunt fluere. Plinius iunior perire oẽ tẽpus arbitrabatur, quod nõ impertiretur studiis. Apelles nullã diẽ ducebat sine linea. Porcius Cato detestari solebat, si qua dies inanis per incuriam effluxisset. Qu. Hortensius orator nullũ diẽ abire sinebat, quin vel in foro diceret, aut extra forũ meditaretur. tantum erat glorię, & virtutis studium apud maiores. quorũ vestigiis si vellemus insistere, magna passim foret exspectatio, bonas artes iure quodã postliminij desitu in nitorẽ redituras. sed omnia pessum eunt, quia nos gulæ mancipia, & Epicuri de grege porci, nihil aliud studemus, q̃ ut pascamus ventrẽ, corporũ tenus curiosi. satis est, si probè saginati appareamus populo, posteritatis nulla cura: quasi verò nobis tantũ nati simus, neque patriæ aut amicis quidquam debeamus. sumus Tygribus masculis nõ multum dissimiles quibus nulla est sobolis suæ cura. Superest ut aliquid de historia dicamus, quã ideò sumus aggressi, quòd apud Gelliũ dicat Phauorinus, viuendum esse moribus præteritis, qui cognosci nequeunt, nisi maiorum intelligatur vita. intelligi autẽ non potest, nisi per manus relinquatur nepotibus. de cuius vtilitate multis verbis non est disserẽdũ. Hoc omnes tanquam suos vngues tenent. facit in primis, vt dum eorum vitã legimus, qui suã culpa in discrimen aliquod ceciderunt, aliena fruamur insania, & pedem ab his reuocemus, quæ aliis naufragiũ attulerunt. nunquid suaue est alieno infortunio sibi præcauere? in transitu fluuiorum qui primi tentant vadũ, aleam fortunæ periculosam subeunt. qui à tergo sequuntur, possunt periculũ declinare, si velint. Si nihil haberemus de antiquitate, quã viuendi consuetudinẽ sequeremur? essemus vetustissimis illis Arcadibus similes, quibus quoniam nulla erat rerũ experiẽtia, nulla cognitio, belluino more degebant, ac nudi vagabantur. quos qui ad meliorem cultum redegerunt, in deorum indigitamenta relati sunt. præterea nulla est ars aut disciplina, quæ maiorem sine tædio voluptatem afferat. medicinam plerique obducto supercilio contractisque naribus auersantur vt immundã, & olentẽ putidè, ipsosque medicos cũ nausea refugiunt, velut scarabeos stercori bubulo se impenetrãtes, & cum vulnera-

riis aliquid habentes cõmune, qui sanioſa tractant vlcera,& admotis manibus ipſum pus exprimunt. Vtriuſque iuris & legum ſtudia pleriſque nõ admodum probantur, quòd lucri magis,quã virtutis cauſa appetantur. Theologiam faſtidiunt quàm plurimi,vt laborioſam & nimis tetricã,quòd nihil habeat feſtiuũ,nihil marcentem lectoris ſtomachum irritans. cuius etiã ſectatores in contẽptũ,& riſum venerunt, quòd mortalium videantur inſolẽtiſſimi, & neminẽ præ ſe ducãt hominem,ſeque primos omnium rerũ eſſe velint. cõtrà verò Hiſtoriam nulli refugiunt,amplectuntur omnes, nulli nõ lubenter audiunt. Cuius ſcriptores tanto quondã in pretio fuerunt,vt ad audiendum Liuium,non humiles ſolùm & gregarij homines,ſed clariſſimi quoque principes ab extremis Hiſpaniarũ finibus Romã vſq; turmatim venerint. Ioſepho ꝓpter libros de captiuitate Iudaica ſcriptos, Romani ſtatuã erexerunt. Antipater Hieropolitanus Seuero principi, Clitarchus Alexandro,Dexter Theodoſio, Amyntæ Macedonũ regi Hellanicus Mitilenæus,Eratoſthenes Cyrenæus Ptolemæo Euergeti,ob ſcriptas hiſtorias cœperũt familiareſcere. nec aliam ob cauſam Demetrius Poliorcetes Hieronymum Rhodium magna mercede ſibi domeſticũ fecit. Si quis dicat iam eẽ nobis affatim auctorũ, qui hoc ſcribendi genus ſecuti ſunt; reſpõdebo nullũ propterea detrimentũ ex copia naſci. ſi quẽ pẽniteat meæ lectionis,aliò ſe cõferat. nolo quẽquã iurare in uerba mea. inſultus eſt,& caret naſo,qui neq; eligere,quod eſt ſibi uſui,aut refugere,quod detrimẽto. Ac carere potuiſſemus hoc opere; et maximo poſſemus autore. Vna & altera ueſtis poſſunt hoi ſufficere: aliæ tamẽ ꝓpea nõ reiiciũtur. Scripſerãt de geſtis Alexãdri Clitarchus,Polycratus,Oneſycritus,Antigenes,Iſtrus,Ariſtobolus,Cares,Philippus Chalcidẽſis,Ptolemæus,Antidides,Philo Thebanus, Antiſthenes,Menechmus Sicyonius, Nymphis Heracleotes Potamõ Mitylenæus,Sotericus Aſites,Arianus,Plutarchus: neq; tamẽ ꝓbro datũ eſt Curtio,quòd eãdẽ retexuerit telã. Vide q habẽt ꝓcones Impatorũ uitæ,ut ꝓter alios obſcuris famæ,Tranquillũ,Dionẽ Caſſiũ,Aeliũ Spartianũ,Iulium Capitolinũ,Aeliũ Lãpridiũ,Vulcatiũ Gallicanũ, Trebellium Pollionẽ,Flauiũ Voſpicũ,Sextũ Aureliũ Victorẽ, Eutropiũ,

Paulũ Diaconũ,Ammianũ Marcellinũ,Põponiũ Lætũ,& noſtra ætate Baptiſta Egnatiũ. qui tamẽ oẽs eundẽ torſerũt funẽ: incudẽ oẽs eandẽ tutuderũt. Vitas quoq; Rom. Pont. ſcripſere q̃ plurimi,ut Damaſus,Anaſtaſius,Guido Rauẽnas,Sigisbertus monachus,Hugo Florianus,Sicardus ꝑſul Cremonenſis,Gotfredus Viterbiẽſis,Martinus Carſulanus, Lãdulphus Carnotẽſis canonicus, Sazomenus ꝑsbyter, Geruaſius Ricobaldus,Ptolemæus Lucẽſis,Antonius ꝑſul Florentinus, poſtremò Platina,Latini oẽs,ꝑter Græcos, Euſebiũ Cæſariẽſem,Sozomenũ Salaminiũ,Socratẽ Cõſtãtinopolitanum,& Zonorã. quos ſi ſecutus fuero,quis erit obiurgationi locus, quæ mei culpãdi rõ? qui cauſabitur plura nunq̃: ſcriptorũ, q̃ nunc extitiſſe monumẽta,ibo inficias. Vnde ergo ſeptingẽta uoluminũ millia ſibi collegiſſet Ptolomeus Philadelphꝰ? unde tria millia Tyrãnion grãmaticus? cuiẽt opinioni ſi accederé, ꝓpea tamẽ nõ faterer mittendũ eſſe litteris & labori repudiũ. Stultè mihi ſuadere uidentur, qui aiũt tantiſper ſupprimẽda eẽ opera,dum cõceſſerimus fato. quis meũ defuncti opus emaculabit? quis addet,aut detrahet, ubi poſtulabit locus? quis inuertet,ſi oporteat,aut in his recantabit, quæ nõ ꝓbabuntur populo? quis cũ aruis luctantiũ calumnias refellet? Ad hæc palàm eſt multos eſſe ardeliones, qui quum ſtudio laudis immoriãtur, neq; tamẽ aliquid dignum laude parturire ualeãt,inſtar Horatianæ corniculæ plumas ſuffurantur alienas,ut neſcio quis mihi notus, cuius nomini parco,qui ex aliquot meis qualibuſcunq; Dialogis frugẽ ſibi fecit,laudẽ præripuit,& alieni laboris ſolus gratiam hauſit. quod otium cõfeſſione tã turpe eſt,quã iniquum eos metere,qui ſementẽ non fecerunt. Sed,ut hæc omittamus,certe in ſpẽ uocor multa in hoc opere culpatũ iri,multa fore, quæ ꝓdigioſa, aut ẽt incredibilia horum uidebũtur iudiciis. quæ ſi recta uideantur,nõ pudebit me cum Steſichoro palinodia canere,aut certe incudi reddere. capita plerunque modicis de rebus adieci,ut de lenonibus,ancillis,abſtemiis,cocis,& multis eius farinæ. quod ſi quis rideat,& notet carbone, ad cauſæ meæ patrocinium iubebo eos in medium prodire,qui ex minimis itidem rebus ſcribendi argumẽta deſumpſerũt. Edidit Antonius librum de ſua ebrietate: Homerus uſum

de laudibus uini, alterum de bello ranarum, Ephrem Syrus de uituperatione risus, Marcion Græcus de raphano, Pythagoras de bulbis, Diocles de rapo, Phanias physicus de urtica. quod si non arguuntur feciſſe: nec adſcribẽdum erit uitio, ſi minimarũ rerum quãdoq; hiſtorias collegero. Ne tamen erratis meis ubiq; patrocinari & fauere uidear, unum eſt, in quo ipſe culpã agnoſco, quòd Græcas hiſtorias Latinis, Latinas barbaris, & oratoria poeticis, paſſim confudero. quod à me factũ eſt, non inſcitia, ſed laboris magnitudine, cui quum nequirẽ ſupereſſe, parendum fuit neceſſitati. Iam ſatis luctatum eſt cum maledicis. nunc ſupereſt, ut ad te noſtra dirigatur oratio, Gaufrede litteratiſſime, dicamq; quid me mouerit, hanc operis mei præfationẽ egregio tuo nomini cõſecrare. Hoc fecit illud litterarum & uirtutis ſtudium, quo à teneris annis totus prurire cœpiſti, & conflagrare, doctoſq; oẽs genuina quadam beneuolentia ꝓſequi. exiſtimabã præterea fore mihi uituperio, ſi non reminiſcerer tuæ beneuolẽtiæ, qua me tyrunculum, & in primis litteris collegã tuum ſupra fidem amabas, idq; adeò, ut ceteros oẽs condiſcipulos præ me uno nihili faceres. ubicunq; tibi occurrebam, nunquã ſine riſu me alloquebaris. dextrã (quod dici ſolet) à tertio uſq; iugere mihi porrigebas, magnum & euidens tui candoris, tuæq; amicitiæ argumentũ. præterea, Blaſius Madronetus Securiacus, tuus cliens, bonarum litterarum auidiſſimus helluo (ut de Vticenſi Catone ſcribit Cicero) nomini tui præco aſſiduus, non deſiſtebat quotidie me præſente multa de uirtutibus tuis, multa de litterarum & litteratorũ amore, immodicè prædicare; meiq; amorem in dies tibi crescere affirmabat iuramento. quo ductus argumento docere uolui me non eſſe ex eorum grege, qui beneficium nunquã agnoſcunt, & apud quos interit ſtatim gratia. quod famuli tui munus tam ſincera fronte accipies, quã beneuolo datur animo. Vale homo perpaucorum hominum, clariſſimæq; uirtutis & litteraturæ; & ſcribendum in calce huius operis tuo nomini epigramma exſpectes aliquantiſper.

MOR-

MORTEM QVI SIBI VARIIS MODIS CONSCIVERVNT; AVT SE ALIIS COMMISERUNT OCCIDENDOS.



Vcretia puella, rarum Romanæ caſtitatis lumen, ægrè ferens puriſſimum ſuæ pudicitiæ florem ab infami & turpiſſimo tyrãno Tarquinio iuniore Tarquinij Superbi, Romanorum propterea regum ultimi, filio fuiſſe corruptum, & ſtupratum, impatiens acceptæ iniuriæ palàm ſe occidit, ſecitque, ut populus ſcelus ulciſceretur, & regum principatũ excuteret. cuius mortis quotieſcunque uenit in mentem, lacrymis nequeo temperare. ſed nec puellæ ſatis miſereri, aut ſtupratorem conuicijs ad ſaturitatem aſpergere, ac deuouere. Claudianus lib. 1. in Eutropium, Viſceribus fruſtra caſtũ Lucretia ferrum Merſit. Stroza pater lib. 1. Eroticon. Vlta nefas animo, propriaque Lucretia dextra, Inuicto occurret clara pudore tibi. Sabellicus. Nec ferro occũbẽs caſto traiecta cruore Fœdaſſet patrios moriens Lucretia uultus.

Lucretius poeta phyſicus ſumpto amatorio poculo, eò furoris raptus eſt, ut manũ ſibi intulerit, natus annos plus paulò quadraginta. quinetiam eo, priuſquam moreretur, delirio, diu antè fertur laboraſſe: neque ad ſcribendum carmen animum appuliſſe, niſi interfecta, interuallataque inſania. Politianus in Nutricia.

Nec qui phyltra bibit, nimioq; inſanus amore,
Mox ferro occubuit, ſic mentem amiſerat omnem.

M. I. Brutus unus ex his, qui Cæſarem xxiii. uulneribus in ſenatu conſoderunt, ab Auguſto & Antonio Iulij mortẽ ulciſcẽtibus apud Philippos expugnatus, deſperata iam uictoria manum ſibi intulit, iuuante Stratone rhetore, anno ſuæ ætatis trigeſimo, ne in manus inimicorum ueniret. Pamphilius Saxus.

Se gladio fodit Brutus, Cato fodit & ille,

Quem timuit Cæsar, quem coluere patres. Qui rei historiam auidius sitierit, eat ad Plutarchum.

Porcia filia Catonis, audita morte Bruti mariti apud Philippos interfecti, ferrum popoſcit ad inferendam mortem. quod quum amici recuſaſſent, carbones hauſit, & inaudito mortis genere uitam finiuit. auctores Plutarchus & Val. Max. Martial. lib. 1. Epiſt.

Coniugis audiſſet fatum quum Porcia Bruti,
Et ſubſtracta ſibi quæreret arma dolor;
Nondum ſcitis (ait) mortem non poſſe negari,
Credideram ſatis hoc uos docuiſſe patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum turba moleſta nega.

C. Caſſius poſt interfectum Cæsarem ab Antonio & Auguſto bello petitus, caſtra cum Bibulo iunxit apud Philippos. uerùm quum inclinatam uideret aciem, ultro ſibi mortem intulit eodem pugione, quo in Cæsarem uſus fuerat, auctore Plutarcho, uel (ut alii malunt) Pindaro liberto iugulandum ſe præbuit. quod probat Iouianus de fortitudine bellica, dicens: potuiſſet Caſſius (etiam ſi Brutus eciderat) reparare exercitum, nec tam repentino conſilio, famulo iugulũ ſuum præbere.

M. Antonius audita per falſum rumorem Cleopatræ morte, ſeipſum gladio confodit, partim amore uxoris, partim deſperatione rerum, quòd ab Auguſto uictum ſe ægre ferret. de hac morte Paulus Oroſius ſic inquit: Antonius ſe ferro tranſuerberauit, ac ſemianimis ad Cleopatram in monumentum (in quod ſe mori certa condiderat) perlatus eſt. itẽ Propertius lib. 3. Caſtraque Peluſi Romano ſubruta ferro, Antoniúque graues in ſua fata manus. item Suetonius in Auguſto: obſeſſaque Alexandria, quò Antonius cum Cleopatra confugerat, breui potitus eſt. & Antonium quidam ſeras conditiones pacis tentantem, ad mortem adegit, uiditq; mortuum. item Eutropius lib. 7. rerum Romanarum: uictus eſt, inquit, ab Auguſto nauali pugna clara & illuſtri apud Actium, qui locus in Epyro eſt, ex quo fugit in Aegyptum, & deſperatis rebus, quum omnes ad Auguſtum tranſirent, ipſe ſe interemit. hoc multis uerbis proſequitur Plutarchus in eius uita.

Cleopatra mortuo Antonio marito, ubi intellexit ſe ab Auguſto in triumphum reſeruari, cauſa declinãdę eius ignominiæ, brachium aſpidi mordendum præbuit, Cæsare Pſyllos ueneficos, qui ſerpentis uenenum è uulneribus hauſtu reuocarent, & exugerent, fruſtra admonẽte. Plutarchus ſcribit eam habuiſſe uenenum in laminula quadam cõcaua, quã ſub crine occultabat: ſed tamen neq; corpus deformatum, nec aliud ullum apparuiſſe ueneni ſignum: nec aſpidem ab ullo conſpectam, ſed tractus duntaxat uiſos, ipſiuſq; brachium duas notas habuiſſe leuiter impreſſas, & humidas. quibus Cæsar uidetur fidem dediſſe. nam in triumpho, Cleopatræ imaginem tulit cum aſpide mordicus affixa. Propertius de ea. lib. 3. ſic inquit: Fugiſti tamen in timidi uaga flumina Nili, Accepere tuę Romula uincla manus. Brachia ſpectaui ſacris admorſa colubris, Et trahere occultum membra ſoporis iter. item Horat. lib. 1. Car. Fortis & aſperas tractare ſerpẽtes, ut atrum Corpore combiberet uenenum. Deliberata morte ferocior ſæuis Liburnis, ſcilicet inuidens Priuata deduci ſuperbo Non humilis mulier triumpho. uide Plinium lib. 21. cap. 3.

Neæra, & Charmione Cleopatræ ancillæ, ſpontaneã dominæ mortem imitatæ ſunt, auctore Plutarcho. ac ſemiuiuæ repertæ, reginæ iam mortuæ coronam capite delapſam reponentes, immodico magni animi argumento.

Cato Vticenſis minor, primi pronepos, dolens, & grauatè ferens Pompeiũ (cuius partes fouebat) à Cæsare (cui aduerſabatur) ſuperatum, ſuo quoque gladio incubuit, lecto prius Platoni Phædone de Animæ immortalitate. cuius audita morte Cæsarem dixiſſe ferunt, & ſe Catonis inuidere gloriæ, & ſuæ Catonem inuidiſſe. ſic autem abiit de uita, ut teſtimonio Ciceronis, cauſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet plurimum. dictus eſt Vticenſis ab Vtica urbe Africæ, in qua ſe occidit, auctoribus Plinio li. 5. & Gellio li. 13. de eius morte plerique meminerunt. Lactãtius: multi ergo, inquit ex his, qui æternas eſſe animas ſuſpicabantur, tãquam in cœtum migraturi, ſibi ipſis manus intulerunt, ex Romanis Cato, qui fuit in omni ſua uita Socraticæ uanitatis imitator. item paullò pòſt, Homicidę, inquit, illi omnes philoſophi, &

ipsæ Romanæ sapientiæ princeps Cato, qui antequàm se occideret, perlegisse Platonis librum dicitur, qui est scriptus de Aeternitate animarum.

C. Carbo propter perpetuam in populari ratione leuitatem, morte uoluntaria se à seueritate ciuium uindicauit. quoniam autem duo eiusdem nominis fuerunt, ambo magni oratores, non constat mihi satis, uter duorum uitam sponte reliquerit. Cicero de cla. Orat.

P. Crassus Crassi oratoris frater, iurisperitus, quũ factionem sequeretur Marianam, ne in manus inimicorum incideret, seipsum interemit.

P. Licinius Crassus consul contra Aristonicum Eumenis filium profectus, exercitu suo profligato barbarum quédam ad inferendam sibi mortem prouocauit, ne ab hostibus traheretur captiuus.

App. Claudius Regillianus, stuprata Virginia Virginij Centurionis filia, in carcerem à populo crimen ulciscente coniectus, sibi manus intulit.

Cor. Merula flamen dialis, partiũ Syllanarum, ingresso urbem Mario, uenas, in Iouis æde sibi succidit, ut contumeliosæ mortis damnationem effugeret. auctor est Val. Max.

Dolabella Cæsarianus, interfectorum Cæsaris hostis acerrimus, multis prœliis in Syria cum Cassio cõgressus est, à quo postremò uictus, gladio se transuerberauit, causa declinandæ maioris ignominiæ.

Fla. Fimbria ciuis iniquissimus, Asiam prouinciam ingressus, arreptis imperij insignibus, à Sylla postmodum Pergami oppressus est, & à corrupto exercitu destitutus. itaque rerũ desperatione sibi mortem intulit.

Lucinius Macer prętorius, repetundarum postulatus, ubi per nuncium intellexit Ciceronem sibi aduersari, faucibus laqueo constrictis uolũtaria morte pœnam præuenit. auctor Val. Max. de Mortibus non uul.

T. Manlius, non is, qui filium securi percussit, sed alter Iuris pontificij peritus, iudex inter Macedones accusatores & filium Silanum constitutus, audita causa ita pronunciauit: quum probatum sit, Silanum filium meum, pecuniam accepisse, ipsum repub. & prole mea indignum iudico. itaque

Silanus à patre repudiatus, dolore animi se suspendit proxima nocte: cuius exequiis neque pater interfuit, neque suadẽtibus vt adesset, aures præbere uoluit. auctor Val. Max. de Seueritate.

Fuit alter L. Silanus Claudij principis gener, qui erepta sibi Octauia, dataque Neroni, præ dolore gladio suo incubuit, idq; die nuptiarum, ad augẽdam inuidiam. auctor Cornelius Tacitus lib. 12.

C. Marius iunior à Sylla è Mithridatica victoria redeunte cum toto exercitu fusus, in oppidum Prænestę se recepit. ubi obsessus, quum nulla effugij pateret rima aut uia salutis, se Pontio Telesino præbuit iugulandum. auctor Liuius. priusquam autem Sylla rediret in urbem, Marius vniuersam propè nobilitatem interfecerat. quæ res fuit in causa, ut superatus ueniam desperaret. ferunt Syllam ex eiusdem exercitu duodecim millia morti dedisse.

Gn. Gnorbanus uictus à Sylla exsulauit apud Rhodios. vbi comprehensus seipsum interemit. ideo autem à Sylla bello petitus est, quòd eius legatos de pace uiolauerat. auctore Liuio.

Oppia Vestalis stupri comperta, sibi mortem intulit, grauioris supplicij metu, ne scilicet uiua sub terra defoderetur instar Floroniæ alterius puellæ.

Orestilla M. Plancium maritum in Asiam cum lx. nauibus profectum secuta, Tarenti ex morbo decessit. cuius dum celebrarentur exequiæ, & cremaretur cadauer, Plautius doloris impatiens, & appetens mortis, in rogum se coniecit: quẽ togatum calceatumq; corpori uxoris iunxerunt amici. auctor Val. Max. de Amore coniugali.

Pomponius Atticus eques Rom. Ciceronis amicus, in ultima senectute morbo correptus, seipsum cibi abstinentia necauit. multa fuerunt in eo laude & comendatione digna, quæ quamuis ab instituto sint aliena, placet tamen in mediũ afferre, ut legentium prosint moribus. tanta imprimis fuit erga domesticos facilitate, ut iurauerit cum matre nonagenaria se nunquam in gratiam rediisse. cum sorore pariter nullam gessit simultatem: dictitãs cum his minimè irasci oportere, quos diligas. abstinentia præterea singulari, uitaque à

luxu,ambitione & cupiditate rerũ alienarũ,ut qui præter patrimonium nihil unquam appetiuerit,nihil ædificauerit, nihil emerit. fuit & litium maximè fugiens: popularesque factiones Vatiniano prosequebatur odio. propterea quum uidisset rempublicam tumultu Cinnano turbatam, Athenas concessit,ut illic tranquillè uiueret, nemine studia interpellante. eruditis omnibus mirum in modum fauit,adeò ut pulsum ab urbe Ciceronem,& Brutum fugientem magna iuuerit pecunia. mendacium nec dicebat,nec etiam poterat pati. quapropter omnes inimici res suas ei curandas dabant, & seruandas. Cor. Nepos in eius uita.

Taurea Iubellius Campanus capta à Fuluio Capua,coniugem primùm ac liberos,postremò seipsum ad pedes imperatoris gladio transfixit,ne quid indignũ aut ignominiosũ captiuus pateretur. auctor Liuius.

Fannius Cepio deprehensus in cõiuratione aduersus Augustum,sibi mortem conscíuit. Martialis lib. 2.

Hostem quum fugeret,se Fannius ipse peremit:
Hic rogon furor est,ne moriare mori?

Aria mater (nam fuit eiusdẽ nominis filia) damnato Pæto marito,fodit corpus gladio, quẽ vulnere educens ipsi Pæto querenti dedit,vt idem pòst faceret. Martialis lib. 1. Casta suo gladium quũ traderet Aria Pæto, Quẽ de viscéribus traxerat ipsa suis,Si qua fides,vulnus,quod feci,nó dolet, inquit; Sed quod tu facies,hoc mihi Pæte dolet.

Festus Domitiani amicus,dũ mentagra vsq; ad desperationem remedij laboraret,gladio se traiecit,prius tamẽ amicos consolatus. quam eius mortẽ Martialis lib. 1. sic describit:

Indignas premeret pestis quum rabida fauces,
Inq; ipsos vultus serperet atra lues, & c.

Cor. Gallus poeta elegiographus, Virgilij amicus & coætaneus,ab Augusto præfectus Aegypti designatus,Thebarũ ciuitatem spoliasse dicitur. propterea quum repetundarum postularetur,furtiq; & populatæ accusaretur prouinciæ,nobilium indignationem formidans, sibi mortem intulit anno suæ ætatis xliii. auctor Ammianus Marcellinus,qui lib. 17. rerum gestarũ sic inquit: longè autẽ postea Cornelius Gallus res tenés Romanas,Aegypti procurator, exhausit ciuitatem

plurimis interceptis. reuersusq; quũ furtorũ arcesseretur & populatę prouinciæ, metu nobilitatis acriter indignatæ (cui negotium spectandum dederat imperator) stricto incubuit ferro. Item Ouid. lib. 3. Eleg. Tu quoq; si falsum est te merati nomen amici Sanguinis, atq; animæ prodige Galle tuæ. Item Politianus in Nutricia:-ceu Galli Mima Citheris Personã falsæ lasciua Lycoridos affert. In scænam, & docto clausam se iactet amanti, Dum miser ipse suo fodiat præcordia ferro. Itẽ Propertius lib. 2. Et modo formosa, qui multa Lycoride Gallus,Mortuus inferna vulnera lauit aqua. Arlia tamen causa ad inferendam sibi mortem motũ volunt plerique,quòd scilicet Augusti domo ei fuisset interdictum, vt scribit Tranquillus. alij ob linguam nimis effrænã. quod & Ouidius videtur probasse,vbi ait: Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo, Sed linguã nimio nó tenuisse mero.

Sylius Italicus poeta, incurabilis morbi tædio, voluntariâ oppetiit mortẽ annos natus lxxv. Politianus in Nutricia de eo sic scribit: Ipse obiit plenusque æui, natoque superstes, Aspera congenito fixus vestigia clauo.

Sophronia Romana,Christiana Lucretia, quũ vim Decij principis sibi quotidie insidiantis non posset declinare, arrepto gladio per cõsensũ mariti se cõfodit. auctor Eusebius.

Nero Domitij & Agrippinæ filius, fax totius orbis,impuraq; scelerum omniũ sentina, post maiora numero flagitia hostis patriæ à senatu iudicatus,ne quid suis meritis dignũ pateretur,aut collo in furcam coniecto virgis cæderetur (vt ait Eutropius) vrbẽ egressus,sequẽtibus Phaone,Epaphrodito,Neophitoq; & Spadone Sporo,semet ictu gladij trãsegit, ad quartũ vrbis milliariũ,adiuuãte trepidantẽ manũ impuro Eunucho. Periit autem anno ætatis suæ xxxii. cuius interitu vniuersa Roma adeò gauisa est, vt plebs induta pileis manumissionum, tanquam seuo exempta domino triumpharet. Ausonius: Matricida Nero proprij vim pertulit ensis, Sidonius: Marticida Nero proprio se percutit ense. Pontanus de stellis lib. 3. Sic errant miseri manes atque vmbra Neronis: Sic Otho,quique in se ferrum strinxere nefandũ, Suetonius ait eũ in inferenda sibi morte adiutum fuisse ab Epaphrodito à libellis, Eutropius à Sporo.

Otho impẽrator quamuis mollissimè semper vixisset, adeò vt ad mulierres accederet munditias: victus tamen à Vitellio apud Bebriacũ, ausus est sibi mortem consciscere, quamuis multas haberet copias, possetque victoriam sperare. quod fecisse odio bellorum ciuilium dicitur. propterea Martialis lib. 6. eius mortem Catonianæ anteponit. Cato enim interfecit se Vticæ, copiis iam profligatis, ne in hostes incideret; Otho verò adhuc integro exercitu, ne bella ciuilia gererentur. uerba epigrammatistæ sunt hæc:

Quum dubitaret adhuc bellis ciuilis Enyo,
Forsitan & posset vincere mollis Otho:
Damnauit multo saturum iam sanguine Martem,
Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato, dum viuit, sanè vel Cæsare maior:
Dum moritur, nunquid maior Othone fuit?

De huius imperatoris morte alij quoq; meminerunt. Iouianus lib. 3. de stellis, vt suprà. itẽ Sextus Aurel. Victor: Hic, inquit, à Vitellio primũ apud Placentiã, dehinc apud Bebriacum victus, semet gladio trãsfixit, anno ætatis suæ xxxvii. adeò amabilis militibus proprijs, vt pleriq; corpore eius viso suis manibus mortem sibi cõsciuerint. Item Ausonius: Mox Otho famosus, clara sed morte potitus. Tranq. quoque in eius vita sic inquit: Post hęc sedata siti, gelidæ aquæ potione, duos arripuit pugiones, & explorata vtriusq; acie, quũ alterum puluino subdidisset, foribus adoperris arctissimo sonno quieuit. & circa lucem demum expergefactus, vno se traiecit ictu infra læuam papillam. irrumpẽtibusq; ad primum gemitum, modò celans, modò detergens plagam, exanimatus est, & apud Veliternam (ita præceperat) funeratus, xxxviii. ętatis anno, & xcv. die imperij.

Petreius dux Pompeianus à Cæsare in Hispania superatus se ferro & inedia interemit.

Labeo Marsus in calamitate Macedonica (quum celer hostis premeret) seque natumq; gladio traiecit, ne victoris Octauij vultum sustineret. auctor Pontanus de fortitudine bellica.

Gordianus senior audita filij morte, qui pro patria in bello occubuerat, laqueo se suspendi iam octogenarius: par

tim dolore amissi filij, partim ne traheretur captiuus. Ammianus Marcellinus lib. 26. In Africa, inquit, superior Gordianus in imperium raptus, aduentantium periculorum angoribus implicatus, vitã laqueo spiritui itercluso profudit.

Galerius imperator, quũ Christianos omnibus, quibus potuerat) tormentis affecisset, tandem in morbum incidit, cuius impatientia, gladio sibi latus aperuit. Baptista Egnatius ait illud tædium vitæ ei irrepisse ex genitalibus paulatim putrescentibus.

Valerius, dum cum Valeria Tusculana filia nescius concubuisset, agnita postmodum culpa, se præcipitauit. auctor Aristides apud Plutarchum.

Papirius Romanus quum sororem Ganusiam grauidam fecisset, & illa gladio à patre misso sibi corpus confodisset, se ipsum quoque mortuæ sorori dedit comitem. auctor Chrysippus lib. 1. Rerum Italicarum apud Plutarchum.

P. Catienus Philotimus patronum adeò dilexit, vt heres omnibus bonis institutus in eius rogũ se coniecerit. auctor Plin. lib. 7. cap. 36.

M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à C. Cæsare, Augusti filio venenum bibit. Plin. 9. cap. 35.

Idem Plinius lib. 36. cap. 24. scribit Cn. Proculeium Augusti Cæsaris familiarem in maximo stomachi dolore, gypso poto conscisse sibi mortem.

Catulus Luctatius Orator, qui Marij collega fuerat in cõsulatu, & de Cymbris vnà triumphum egerat, ab eodem postea mori iussus, inclusus domi, accensis carbonibus se suffocauit. auctor Plutarchus in Mario, & Valerius Maximus.

Agrippina à Trierarcho, aliisq; Neronis satellitibus interfecta, Menester eius libertus se ferro trãsegit. incertum charitate in patronam, an metu exitij. auctor Cor. Tacitus lib. 14.

Adnotatum est in chronicis M. Porcium Latronem præstanti virum memoria, duplicis quartanæ tædio manum sibi admouisse, atque ita functum fato.

Labienus poeta videns libros suos ob nimiam carpendi libertatem publico decreto comburi, suis superuiuere non

potuit monumẽtis, ac propterea ſpontaneã oppetiit mortẽ.

Meſſala Coruinus orator, ante biennium quàm moreretur, ita memoriam ac ſenſum amiſit, vt vix pauca verba coniungeret. ad extremum verò ænato circa os vlcere, inedia ſe confecit. auctor Cęlius.

Longinus Adriani imperatoris legatus, à Decebalo Daconum rege (in quem certabat) circumuentus, ebibito veneno ſeipſum interemit. auctor Dion Caſsius.

Adrianus imperator Maſtorem quendam barbarum (quo pp robur & audaciam plerunq; vſus fuerat in venationibus) partim minis, partim pollicitationibus impulit & coegit, vt cædem ſibi inferret, circunſcripſitq; locũ ſub mamilla, quẽ Germogenes medicus demonſtrauerat. quo letaliter percuſſo, ſine dolore expirauit. teſtis idem Caſsius. hoc autẽ fecit incredibili membrorum omnium cruciatu impulſus, qui etiã morbi ſubtercutanei dolore multos è ſenatu prius extinxerat, vt ſcribit Sextus Aurelius.

Sabina imperatrix eiuſdem Adriani vxor, ſeruilibus prope iniuriis ab eo affecta, ad mortem cucurrit voluntariam, q; tam immane ingenium humanię; generis perniciem pertuliſſet. auctor idem Aurelius.

Florianus imperator, qui Tacito ſucceſsit, dolens Probum militiæ peritum à magna exercitus parte fuiſſe electum, ſibiipſi venas incidit, effuſoq; ſanguine conſumptus eſt. auctor idem Aurelius.

Iulianus imperator factus in Italia, acto per coſtas pugione, in ignem ſe abiecit, eodem Aurelio teſte.

Diocletianus imperator à Licino & Cõſtantino grauiter litteris obiurgatus, quòd Maxentio diceretur fauiſſe, metu ignominioſæ mortis venenum hauſit. teſtis idem Aurelius.

Magnentius à Conſtantio imperatore apud Lugdunum ſuperatus, admoto parieti gladio (vt ictum iuuaret) corpus ſibi confodit. quo audito Decentius eius frater præpoſtera laquei morte vitam finiuit apud Senonas. auctor Pomponius Lætus.

Pater Licinij Cecinnæ, uir ptorius, ob diuturnę valetudinis tædium ac dolorem, ſeſe opio necauit.

Empedocles Siculus poeta immortalitatem nouo mortis

genere affectans, ſe in Aetnam coniecit. unde Horatius in arte. Dicam, Siculiq; poetæ Narrabo interitum. Deus immortalis haberi Dum cupit Empedocles, ardentem feruidus Aetnam Inſiluit. Item Ouidius in Ibin: Aut tu Trinacrij ſalias ſuper ora Gygantis, Plurima qua flammas Sicanis Aetna vomit. Item Lactantius li. 3 de falſa ſapientia, cap. 18. Multi ex his, qui æternas eſſe animas ſuſpicabantur, tanquam in cælum migraturi eſſent, ſibiipſis manus intulerunt, vt Cleantes, & Chryſippus, vt Zeno, & Empedocles, qui ſe in ardentis Aetnæ ſpecum intempeſta nocte deiecit, ut cum repentè non apparuiſſet, abiiſſe ad Deos crederetur. Item Politianus in Nutricia: Ceu maximus ille Aeriſonas &c.

Sardanapalus Aſſyriorum rex ab Arbacto, ſeu Arbace præfecto, ob mollitiem, muliebresq; munditias (nam habitum mentitus femineum inter puellas fuſos tractabat & penſa omnesq; laſciuia anteibat, & libidine) bello petitus, vbi vidit res ſuas profligari, & peſſum ire, & iam ad triarios redigi, ne captiuus traheretur, pyrã in regia ingentem ſtruxit, eoq; comportata ſupellectile, ductisq; amicis domino ſupreſſe nolentibus, incendio ſe dedit: & hoc ſolo virum ſe docuit, quòd non expauerit mortem. Iuſtinus hæc. Ouidius in Ibin.

Inq; pyram tecum cariſsima corpora mittas:
Quem finem vitæ Sardanapalus habet.

Sidonius: Non medis caput Arſacem profabor, Nec quàm diuite (quum refugit hoſtem) Arſit Sardanapalus in fauilla. Sabellicus in Hunnij originem.

Vltimus ille fuit regni corruptor auiti,
Cuius delicias, & mollia ſceptra ſuperbus
Non tulit Arbactus, ſed fortia comparat arma,
Aggrediturq; ſenem, victumq; ad nobile fatũ Compulit.

Archilochus poeta Parius, repudium ac repulſam paſſus in nuptiis Neoboles Licambis filiæ ſibi promiſſæ, Iambis tum primùm à ſe repertis ſatyricè adeò & grauiter Lycamben ipſum deuouit, & inſectatus eſt, vt eum cum filia ad furcam impulerit. Vnde Horatius: Archilocum proprio rabies armauit Iambo. Et Ouidius in Ibin: Poſt modo ſi perges, in

te mihi liber Iambus, Tincta Lycambæo sanguine tela dabit. Politianus in Nutricia: licet acrem effusis in iram, Ore Lycambiadas rabioso occiderit ambas Archilochus.

Iudas (vt omnes compertum habent) quum Deum iudæis prodidisset, & exili pecunia exposuisset venalem, tandem ad se rediens, & sceleris perpendens grauitatem, desperata venia quæ tamen proditi clementia sperari poterat ad laqueum properauit, & notissimo diuinæ vltionis argumento crepuit medius.

Cleombrotus, seu Theombrotus ex Ambracia, quum legisset opus Platonis de animarum immortalitate à Socrate inscriptum, sponte se præcipitauit. Ouidius in Ibin: Vel de præcipiti venias in Tartara saxo, Vt qui Socraticum de nece legit opus. Lactantius: Quid, inquit, Ambraciotes ille, qui quum eundem librum perlegisset, præcipitem se dedit, nullam aliam ob causam, nisi quòd Platoni credidit. quod si scisset Plato ac docuisset à quo, & quomodo, & quibus, & quæ ob facta, & quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impegisset in mortem, nec Catonem. Cicero lib. 1. quæst. Tusc. Callimachi inquit, epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est, quem ait quum, nihil ei accidisset aduersi, è muro se in mare abiecisse lecto Platonis libro.

Annibal Amilcaris filius, dux Carthaginiensium, post L. Cornelium Scipionem patrem Scipionis maioris superatũ, Sempronium ad Trebiam, C. Flaminium ad Thrasimenum magnis cladibus affectos, P. Aemilium apud Cannas cum toto exercitu deletum, Claudium Marcellum occisum, à Scipione iuniore postremò victus, & fucatus ad Antiochum primùm, deinde ad Prusiam Bithyniæ regem confugit. de cuius fide dubitans, quoniam videbat Flaminium legatum à Romanis missum, ac se paulatim à militibus circunseptum, uenenum, quod in anulo gerebat, hausit.

Asdrubal dux in tertio bello Punico à Scipione Aemiliano uictus, in medias urbis flammas sese cum filiis iecit. sed quoniam multi eius nominis fuerunt, uide, ut de quo loquaris, intelligas.

Aristarchus grammaticus Alexãdrinus homo doctissimus

quum hydropisi laboraret seipsum cibi abstinentia interfecit, annos natus lxxii. hic ille est Aristarchus, qui sub Ptolemæo Philometore floruit, olympiade clvi. cuius & filium erudiit scripsit commentarios supra mille. discipulus fuit Aristophanis grammatici. fuit autem censura adeò critica seueroque iudicio, ut prouerbio locum pene fecerit. eos. n. uocamus Aristarchos, qui nihil non examinant, & omnia diligenter expendunt. duos habuit filios Aristarchum & Aristagoram degeneres, & patri omnino dissimiles. fuit alter eiusdem nominis Tegeates poeta, Euripidis coætaneus, quẽ Aesculapius morbo liberauit.

Calanus Indus unus ex Brachmanibus (quo nomine dicebantur Indorum philosophi) ex ipsa India ad Persidem usq; Alexandrum secutus, vltrò & nullo cogente in rogum se cõiecit. quod uidens Alexander, percontari cœpit, uellet ne aliquid mandare moriens. tum ille, nihil, inquit: propediẽ te uidebo. nec multis pòst diebus Alexander ueneno interiit. Cic. lib. 12. quæst. Tusc. Calanus Indus inquit indoctus ac barbarus in radicibus Caucasi natus, sua uoluntate uiuus combustus est. idem lib. 1. de Diuin. ad mortem proficiscẽs Calanus Indus quum incederet in rogum ardentem, ò præclarum discessum, inquit, è uita, quum (vt Herculi contigit) mortali corpore cremato, in lucẽ animus excesserit. quũq; Alexãder eum rogaret, si quid uellet, ut diceret. optime, inquit: propediem te uidebo. quod ita contigit. nam Babyloniæ paucis pòst diebus Alexander est mortuus. testes etiam Val. Max. de Miraculis, & Plutarch. in Alexand.

Cleomenes dux Lacedæmoniorum ab Antigono uictus, ad Ptolemæum se recepit, à quo benignè primùm exceptus, postmodum à Nicagora proditionis accusatus, in carcerem detrusus est. ubi cum aliquot aliis uoluntariã oppetiit mortem. Mortuum rex pelle nudauit, & affixit cruci, auctore Plutarcho. Herodotus ait Cleomenem à furis incipientẽ, se de truncasse, carnesque è tibiis ad femora, è femoribus ad coxarum uertebras proscidisse, atque in rescindendo utero expirasse.

Dinocrates Messenius uicto primũ Philopomene Achæorum duce, ab ipsis postremò Achæis superatus, mortem sibi

intulit,ne in eorum ueniret potestatem. auctor Plutarchus in Philopomene.

Demosthenes Atheniēsis, dum Antipatri (qui Alexandro successit)odium incurrisset,deceneretq; Demades ut capite plecteretur,aufugit in Calabriam Aegæi maris insulam. ubi ab Archia Tyrio comœdiographo & Antipatri satellitibus deprehensus,sumpto calamo,quasi prius epistolam ad Antipatrum daturus,uenenum illic inclusum ebibit. habuit Demosthenes patrem eiusdem nominis admodū pauperem, ut qui coltellos factitaret. hic quum non esset apta satis pronunciatione,multitudinemq; & tumultum expauescēret, p pe littoris marini sonitum dicere assuescebat. litteram R. difficile enunciabat, quam calculis in os coniectis proferre conabatur. nunquam dicebat,nisi præmeditatus: propterea de eo Pytheas p̄dicabat, Demosthenis enthymemata lucernā olere. non ignoro plerisque hoc visum iri superuacaneū: dabitur tamen uenia, opera enim dedita excerpo,quę ad doctrinam conferre uideo.

Eratosthenes Cyrenæus,Callimachi poetæ discipulus, & præfectus bibliothecæ Ptolemæi quū diuturno quoq; morbo torqueretur,neque remedium inueniret, cibum sibi substraxit,& inedia se peremit,anno suo ętatis lxx.

Menippus Phœnix philosophus Cynicus, quum esset ex eorum numero,qui auri cupiditate pruriunt, & inexplebili rerum libidine torrentur, amissis diuitiis laqueo uitam finiuit.auctor Diogenes Laertius.

Mithridates iunior,qui annis lvi. bellum cum Romanis uaria gessit uictoria,post occupatam Asiam,Qu. Oppium,& Aquileium in uincula coniectos,Rhodum oppugnatā,Athenas per Archelaum præfectum occupatas,à Lucullo primū, demum à Pompeio superatus, postremò à Pharnace filio adolescente ingratissimo(qui à patre ad Pompeium defecerat)bello petitus & obsessus,uenenum hausit. quo nihil ad mortem propter sumptum antidotum proficiēs, auxilio Galli cuiusdam militis Vitigis nomine se interfecit.

Monyma Milesia,& Veronica Chia,duæ Mithridatis uxores,audita eiusdem miserabili fortuna, per Bochiden eunuchum,ambæ uitam spontè reliquerunt. nam Monyma pri-

mum se suspendit. sed quum corporis grauitate confractus esset laqueus, ò execrandum,inquit,diadema, quo neque in tam tristi ministerio uti possum. Bochidi postmodum se dedit iugulandam. Veronica uerò calicem ueneni hausit, quò per uenas serpente,quum durius torqueretur & langueret, Bochidis quoque auxilio accelerauit sibi mortem.

Statyra quoque & Roxana Mithridatis sorores, quæ annos ferè xl. uirginitatem seruauerant,hausto ueneno fratrem mortem comitatæ sunt. potest tamen dubitari an eo perierint:quoniam Plutarchus scribit Roxanā à Statyra in puteum demersam. nisi fortasse hoc ad alias eius nominis sit referendum.

Citrolaus dux Achæorum uictus à Q. Cæcilio Metello apud Thermopylas, ueneno sibi mortem consciuit. auctor Liuius lib. 52.

Nicias Dux Athenienſis, imperator contra Syracusanos cum Demosthene missus,rebus infeliciter gestis, captus est cum collega:amboq; in carcerem detrusi, sibi manus intulere,ne hostibus essent ludibrio.uidetur autem hic Demosthenes alter esse ab eo,de quo iam sumus locuti.

Homerum poetarum omnium facilè principem ferunt, quum iam senio confectus ad quosdam nautas diuertisset,p positumq; ab eis ænigma nequisset dissoluere, pudore motū se suffocasse laqueo. quod ego planè iudico fabulosum. neque enim credibile est,uirum illum philosophiæ peritissimum tanta rerum experientia præditum, tam leui, tamque nullo argumento uitam relinquere uoluisse. nam quæ fuerat ignominia inanem, & friuolam remigum quæstionem ignorare? imò uerò prudentiæ maiori tribuitur,nihil,abiectis & semitariis hoc genus homunculis respondere, quum uulgò dici soleat,Asinum plura posse percontari, quàm respondere philosophum. quare neque hoc probo, nēq; comprobantibus pedariam fero sententiam.

Athenienses & Lacedæmonii quum de Thyretium agro inter se contenderent,tandem ita pepigerunt, ut trecentis militibus summam rei committerent, qui sua pugna omnīū litem dirimerent. ubi omnes interfecti sunt, præter unum Othryadem Lacedæmonium,qui ne solus in castra rediret

seipsum inter hostilia cadauera gladio confixit. auctor Vale. Max. de fortitudine.

Ferunt Pontium Pilatũ patriæ Lugdunensem, nefariæ in CHRISTVM sententiæ meritas dedisse pœnas, sibiq́ue mortem intulisse. auctor est Gregorius Turonensis.

Tam tibi sit mitis Ponti Pilate Megæra,
Tamq́ue tuæ moneant lacrymæ Plutona ferocem,
Quàm merito periit fato te iudice CHRISTVS.

Themistocles Athenié. Nicoclis filius, inuidia ciuium relegatus, ad Artaxerxem confugit. a quo dum in patriam pugnare cogeretur, vitam cum morte volens commutauit, hausto sanguine taurino, quem ideo pestiferum potu scribit Cælius, quòd celerrimè coeat, atque obdurescat. porrò sanguis taurinus recens, anhelitus difficultatem, ac præfactionem infert cum spasmo prævalido.

Plutarchus quoq; scribit Midam, contracta ex somniorum diritate, animi ægritudine, quum formidabilis affectio in dies augeretur, neq; occurreret remidium mali, tauri sanguine copiosius hausto, concessisse ab humanis.

P. Terẽtius amissis CVII. fabulis, quas è Græcis Latinas fecerat, & conuerterat ex Menandro, se submersit. quod quamuis pleriq; falsum opinentur, credibile est tamen. si enim permulti amisso thesauro ad mortem properauerint, quanta mentis ægritudine videntur tibi laborare, qui momento perdunt & in nictu oculi, quod improbo labore, diuturnis vigiliis, magna olei impẽsa, longo antè seculo fabricauerũt, demũ accuratiore studio incudi reddiderũt, & ad ultimã reuocauerunt limã? Est (si periculũ non feceris lector) insania, & rabies maior, quam vt fidem possit capere.

Theoxena mulier à Philippi Macedonũ regis militibus in mari septa, quum nullum salutis effugium videret, in mare se deiecit, maritum, qui prius eadem morte perierat, secuta. idq; ne in regis potestatem veniret. Vide Bononiensem commentatorem in Suetonium.

Democles puer, dubium maiore pudicitia an forma pulchriore, quum à Demetrio Poliorcete ad stuprum traheretur, neq; vim tyranni posset effugere, se in proximum aquæ feruentis lebetem coniecit, atque ibidiem enecauit. Pul-

chrum dij boni facinus, omniumq́ue facundiarum magniloquentia dignum.

Hipponax poeta Iambographus & amarulentus, grauiter ferens & indignanter se à Bubalo pictore, deformi facie pictum, ad propellendam iniuriam, tam grauiter in eum scripsit & inuectus est, vt laqueo vitam finire coegerit. unde Horatius in Epodo. Qualis Lycambe spretus infido gener, Aut acer hostis Bubalo. Et Hipponactæum præconium pro infami nota posuit Cicero in epistolis familiaribus, ita scribens: Eumq́; addictum iam tum puto esse Calui Licinij Hipponacteo præconio.

Cleãthes philosophus cognita animarum immortalitate, vitam sponte reliquit, & voluntariam oppetiit mortem. Lactantius: Multi (inquit) ex his, qui æternas esse animas suspicabantur, tanquam in cælum migraturi essent, sibi ipsis manus intulerunt, vt Cleanthes & Chrysippus, vt Zeno & Empedocles.

Cambyses & Zary Dianæ sacerdotes & Magi missi ad insinuandam Taurino Episcopo idololatriam, quum operam lusissent, ac nihil profecissent, gladiis suis se confoderunt.

Sesostris Aegyptiorum rex, seu senio, seu morbo, siue alia fortuna, oculis captus, seipsum interfecit.

Decebalus rex Dacorum à Traiano secundùm victus, ne in Romanorum potestatem veniret, sua manu vsus interiit, mortuiq́ue caput Romam perlatum est. auctor Dion Cassius.

Anaxagoras Philosophus ab Athenienſibus in carcerem coniectus, quòd Solem (quem illi pro deo habebant) ignitũ dixisset lapidem, venenum hausit.

Ecelinus tyrannus post infinita propè flagitia & crudelitatis exempla, tandem in bello (quod contra Martinum Turrianum Mediolani principem susceperat) vulneratus, more frendẽtis belluæ vulnus discerpsit, eoq́ue miseram euomuit vitam.

Volaterranus scribit Petrum de vineis ex Capua iurisperitum fuisse, qui dolens se ob suspicionem coniurationis à Federico secundo (cui prius erat carissimus) relegatum, capite parieti illiso, mortem sibi intulerit, composito prius de consolatione libello.

Iuba rex Mauritaniæ à Cæsare superatus sibi quoque mortem consciuit. cuius filius puer Romam in triumphum ductus est.

Circa Celenum Phrygiæ oppidum, quum hiatus terræ, & ingens vorago multos absorberet, essetque responsum ab oraculo, voraginem ipsam non prius clausum iri, quàm ad pacanda numina aliquis eò se demisisset, Anchurus Midæ regis filius, datis genitori & Cimotheæ vxori complexibus equum ascendit, & intrò se demisit, auctor Plutarchus in Parallelis. qui de Curtio adolescentis Romano idem commemorat.

Cyane puella à patre Cyanippo incòguito, per vim stuprata, vbi tandem auctorem sceleris agnouit, illum prius, deinde seipsam interfecit. auctor idem Plutarchus, testem aduocans Dositheum lib. 3. rerum Sicularum.

Vxor Aemilii adolescentis zelotypiæ morbo affecta, dum suspicaretur maritum alterius puellæ rapi desiderio in siluas profectum secutà est. ubi quum ad explorandam rei veritatem, in dumis & vepribus delitescenti, à canibus feram esse opinantibus laniata est. recognita, Aemilius seipsum interfecit. auctor idem Plutarchus, qui apud Sypharum Italiæ oppidum hoc commemorat factum.

Calluce filia Lyci hominis sanguinarij & hospites immolantis, relicta à Diomede (quem Troia redeuntem benignè susceperat, & à paternis liberauerat insidiis) laqueo se suspendit. auctor apud eundem Plutarchum Iubas lib. 3. rerum Africanarum.

Bylsaltia quoque puella à Calphurnio Crasso, (quem proditi patris victorem fecerat) relicta, sibi ferro iugulum trãuerberauit.

Gidica Pomponij Laurentini vxor, dum Commiuium prignũ maximè deperiret, neque tamen ad concubitum posset inducere, suspendio spiritum intercepit. auctor Dositheus apud Plutarchum.

Anius rex Tuscorum dum filiam Saliam à Catheo adolescente raptam nó posset comprehendere, in fluuium se demisit, quem à suo nomine fecit appellari Anionem.

Lactãtius ait Democritũ sua spõte caput obtulisse morti.

Superatis ab Alexandro Magno Athenienſibus, Democrates Athenienſis (qui Macedonum opibus semper obstiterat) venia desperata, gladio se transfixit. auctor Cur. lib. 5.

Dioxippus Athenienſis surrepti inter epulas aurei poculi falsò accusatus, dum oculorum coniectum & iniuriam ferre non posset, gladio se interemit. accusabatur autem non sine inuidia. nam ægre ferebant Macedones Horratam Macedonem armatum ab eo inermi, spectante rege, duello victum, & resupinatum. auctor Curtius lib. 8.

Idem Curtius ait, Boudiceam Britannorum reginã & Pœnium Postumum eius præfectum à Romanis duce Suetonio superatos, mortem sibi intulisse, hunc gladio, illam veneno.

Plutarchus apud Gelliũ li. 15. ait Mileſias virgines repentè sine vlla euidenti causa, voluntatẽ cepisse obeundæ mortis, ac deinde plurimas vitam suspendio amisisse. cui malo vt mederentur Milesij, decreuerunt, vt quæ corporibus suspensis demortuæ forent, nudæ cum eodem laqueo efferrẽtur. quo facto ait virgines pudore tam inhoneſti funeris deterritas voluntariam amplius non petiuisse mortem. Plutarch. de Virtut. mul.

Hippo & Miletia Scedasi Bœoti filiæ à iuuenibus Spartanis stupratæ & in puteum coniectę sunt, occultandi sceleris causa. quod vbi resciuit pater, ad filiarum tumulos seipsum confecit. auctor Cælius.

Xanthus apud eundem Cælium auctor est, Cambleta Lydorum regem, eò voracitatis progressum, vt nocte quadam vxorem quoque absumpserit. quumque summo mane illius manum in ore comperisset, semet iugulasse.

Timagoras quum Meletem Athenienſem liberali forma adolescentem deperiret, eiusdem iussu se dedit in præceps, vt qui in omnibus puero vellet obsecutum. cuius rei pœnitentia ductus Meles, eandem quoq; subiit mortem. auctor idem Cælius.

Tymanthes Cleonæus Athleta quum & viribus senio defectis, & desuetudine ingentem arcum non posset intendere: quem iuuenis lunabat & flectebat, furori adeò indulsit, vt eam tãtum ob rem gladio se perforauerit. auctor Cælius.

Idem ait Tereum perpetrato in Philomelam scelere ac Ityn, sibi mortem conscisuisse, mortuoq; sacra instituta anniuersaria, in quibus ordei loco, calculis vtebantur.

Derceto Semiramidis mater, cum filiam ex adulterio conceptam in desertis exposuisset, tandem facti & sceleris pœnitentia in lacum se præcipitem dedit. auctor idem Cælius.

Laurentianus Florentinus citra vllum corporis incommodum, citraq; euidentem morbi causam in puteum se coniecit. auctore Celio & Crinito, qui ait se auditorem eius aliquando fuisse. qua etiam morte se extinxit Petrus Leonius uir in philosophia excellens, & insigni prudentia. Idē Crinitus.

Neæra quoq; virgo in Salentinis ægreferens se ab eo repudiatam, cui pro coniuge pacta erat, eodem mortis genere vitam finiuit. auctor Pontanus de fortitud.

Mithridates à Pompeio superatus, filiam nomine Diraptim Menophilo eunucho seruandam commisit in castello quodam, Sinthorio nomine. quod quum Manlius Priscus obsedisset, defensoresq; deditionem parantes Menophilus sentiret, gladium in viscera sua compegit, veritus, ne captiua puella raperetur, & violaretur. auctor Ammianus Marcellinus lib. 16.

Argobastes quum Valentinianum iuniorem apud Viennā dolo strangulasset, vt eidem in imperio succederet, à Theodosio mortem vlciscente superatus, sua se manu percussit. auctor Paulus Diaconus.

Asmunda rege Danorū in pugna occiso, Gumnilda eiusdem vxor spiritum sibi ferro surripuit, virumq; fato insecuta est. auctor Saxo gramm. lib. 1. hist. Danicarum.

Hadingus rex Danorum suspendio se vulgo spectāte suffocauit præ dolore, quem ex Hadingi Sueonum regis morte conceperat. auctor idem Saxo.

Rolno quoque Danorum rex exprobratæ sibi turpitudinis dolore, voluntaria morte se consumpsit. Idem auctor.

Starcaterus itidem rex Danorū pœnitentia ductus, quòd Lennum quendam per nefas occidisset, eius filio Hathero se præbuit occidendum.

Galeatius Mantuanus, Papiæ quum hibernaret, puellā

(quam vnicè amabat) per iocum imperante, se in fluuium deiecit. auctore Pontano.

Socrates Athenis capitis damnatus, volens hausit venenum. unde Ouidius in Ibin: Sollicitoq; bibas, veluti doctissimus, olim, Imperturbato quod bibit ore reus.

Adrastus Gorgij filius dum Athym Crœsi filium suæ fidei creditum in venatione apri loco percussisset, se super eiusdē tumulum confodit. auctor Herodotus.

Sargapises Thomyris filius à Cyro rege Persarum captus, dū manicas & brachiorū vincula eximi sibi impetrasset, seipsum interfecit. auctor Herodotus.

Idem ait Praxaspem virū inter Persas opibus & dignitate pollentem, è turri præcipitem se dedisse.

Boges Persa, amicus Xerxis, ab Atheniensibus & Cimone Milciadis filio obsessus, licet accepta fide posset egredi, abnuit tamen & ad extremum perstitit. inde vbi in mœnibus nihil commeatus fuit reliquum, accenso rogo liberos, coniugem, concubinas, familiam interemit, eosq; omnes in pyram coniecit. deinde omne aurum vrbis atque argentum è muris desperfit in Strymonem, ac postremò se in rogum coniecit. auctor Herodotus.

Petrus Traseas Patauinus, vir Catoniana disciplina & seueritate, propter suspicionem affectatæ libertatis à Nerone damnatus, sibi venas soluit.

Quis ambigit diuina factum vltione, vt Herodes rex Iudææ, Antipatri filius, post interfectos Alexandrum, Aristobolum, & Antipatrum filios, trucidatos item innocentes ad intercipiendum sacrum virginis partum, vermibus ad extremum toto corpore scatentibus mortem sibi conscierit? auctor Iosephus.

Pyramus adolescens & Thysbe puella, incredibili amore flagrantes, quum impediente parentum suspicione suis votis satisfacere nequirent, pepigerunt, vt certo die in remotum locum se reciperent. quò quū prior venisset Thysbe, metu leænę ibidem reperte profugit in latebras relicto capitis tegumento. quod arripiens leæna venienti pòst Pyramo coniecturam præbuit & argumentum deuoratæ amasiæ, mortemque sibi propterea conscisuit. Thysbe paullò pòst

reuersa, vbi mortuum amantem conspicata est, longioris vitæ pertæsa, suo se gladio confodit, &c.

Stroza pater lib. 1. Eroticon: Pyramus exemplum præbet, miserandaque Thysbe, Quos rapuit simili mors violenta modo. Item Calentius in Epigrammatis:

Pyramus & Thysbe miseri sine crimine amarunt,
Occidit hic propria sæuus vterque manu.
Et quos vnus amor tetigit, nox vna peremit,
Ensis & vnus, & hæc contegit vrna duos.

Item Architreuius lib. 4. -ibi serum Pyramus ense Vindicat egressum, Thysbe lugubria fati, & c.

Erisichthonem poetæ fabulantur ob neglecta Cereris sacra, in tantam famem redactum, vt propria membra deuorauerit, seq; ipsum corroserit. addunt & filiam eius Metrá nomine, in varias formas Neptuni beneficio mutari solitá. unde natum adagium, Mutabilior Metra Erisichthonis. Ouil. 8. Met. Ipse suos artus lacero diuellere morsu Cœpit, & in felix minuendo corpus alebat. Idem in Ibin: Vtq; pater solitæ varias mutare figuras, Plenus inextincta conficiare fame. Item Pamphilus Saxus in Ele. Talis erat ieiuna fames, Etisichthona quondam Impleuit miserum quum fera peste sua.

Lychione Dedalionis filia, Dianę (cui se præferebat) sagittis confossa est. cuius dum celebrarentur exequiæ, pater in puellæ rogum sese coniecit. Poetæ fingunt eum ab amicis (ne in ignem desiliret) impeditum, fuisse mutatum in volucrem unde Ouid. lib. 11. Metam. Vt verò ardentem vidit, quater impetus illi, In medios fuit ire rogos: quater inde repulsus, Concita membra fugæ mandat.

Didonem suo gladio incubuisse pro comperto est: sed nó omnes eandem mortis causam asserunt. scribit Ausonius (& ita se habet rei veritas) hoc ab ea factum, vt mortuo marito Sichæo castitatem seruaret vidualem, & furias Iarbæ Getulorum regis declinaret. uerba eius sunt hæc: Sed furias fugiens atq; arma procacis Iarbæ, Seruaui fateor morte pudicitiam. Ausonium secutus Marullus Didonem sic inducit loquentem: Nec mihi Phryx nocuit, nec enim Phryga nouimus vllum, Cura sed antiqui casta tenaxq; tori: Quam nec

coniugio Libyci violare tyranni Cogerer, hac cecidi fortiter vsa manu. Vtrique succinit Rhennius, seu (vt aliis placet) Priscianus in Geographia Dionysij de situ orbis dicés: Qua regnans felix Dido per sęcula viuit, Atq; pudicitiam non perdit carmine ficto. Contrà verò Virgilius hoc ipsũ adscribit impatiętiæ doloris, quę ex Aeneæ fuga cóceperat. quod tamen fabulosũ est. Virgilium plerique omnes Poetæ Latini secuti sunt. Ouidius in primis lib. 3. Fastorum & in Epistolis sic ait: Præbuit Aeneas & causam mortis & ensem, Ipsa sua Dido concidit vsa manu. Item 14. Metam. Itẽ Sylius lib. 2. Ipsa pyrá super ingentẽ stans saucia Dido,

Mandabat Tyriis vltricia bella futuris,
Ardentemque rogum media spectabat ab vnda
Dardanus, & magnis pandebat carbasa fatis.

Item lib. 8. Item angelus Politianus in Manto:

At Phœnissa rogum sæuo furiata dolore
Incendet moritura, trucesq; in vota vocabit
Eumenidas, mox & Phrygium (prò tristia dona)
Ah niueum per pectus aget miserabilis ensem.

Anna Beli regis filia post mortẽ sororis suæ Didonis, Carthaginẽ ab Iarba occupatam relinquens, ad Batrum Melitæ insulæ regem nauigauit. quo demum relicto, mare ingressa in Laurentum littus delata est. ibiq; ab Aenea cognita, & hospitio susceptа est, non sine mutui cum eo amoris suspicione, adeò vt in odium Lauiniæ veniret. cuius insidias vt declinaret, se in Numycium fluuium præcipitauit. unde Ouid. lib. 4. Fast.

Corniger hanc tumidis rapuisse Numycius vndis
Creditur, & stagnis occuluisse suis.

Item alibi: -Placidi sum nympha Numici,
Amne perenne latens, Anna perenna vocor.

Euadne Martis filia in rogũ mariti sui Capanei apud Thebas mortui (dum celebrarentur exequiæ) se coniecit. Ouidius lib. 5. Tristium: Cernis vt Admeti cantetur & Hectoris uxor, Ausaq; in accensos Iphias ire rogos? Idem li. 3. de Arte: Accipe me Capaneu, cineres miscebimus inquit Iphias, in medios desiluitq; rogos. Idem Martialis lib. 4 Epigram. Statius lib. 12. Propertius lib. 1. Ouidius lib. 3. de

Ponto. Iphias, &c.

Hylonome femina centaura & biformis, mortuo marito Cyllaro, gladio suo incubuit. Ouid. lib. 12.

Vt videt extinctum, dictis, quæ clamor ad aures
Arcuit ire meas, telo, quod inhęserat illi,
Incubuit, moriensq; suum complexa maritum est.

Biblis Mileti filia ex Cyane, quum fratem Caunum misere deperiret, neq; eius concubitum posset assequi, vrgentibus furiis se occidit & in fontem postea Nayadum beneficio mutata est. Ouid. 1. de Arte:

Biblida quid referam? vetito quæ fratris amore
Arsit, & est laqueo fortiter vlta nefas?

Hercules induta tunica Nessi Centauri cruore tincta, in tantas furias raptus est, vt præ impatientia doloris sese in Oeta monte combusserit. Ouid. ad Liuiam: Qualis in Herculeæ colluxit collibus Oetę, Quum sunt impolito membra cremata Deo. Claudianus in 111. consul. Honorij: Iuga deseris Oetes Herculeo dammata rogo. Item Statius lib. 12. Thebaidis.

Theseo in Cretam ad Minotaurum nauiganti Aegeus pater Athenarum rex præceperat, vt si confecto monstro incolumis rediret, ad lætitiæ argumentum albis vteretur velis, ut prospectantibus è portu amicis, superstitis vitæ fidem præstaret. Theseum tamen cepit obliuio mandati. propterea quum iisdem (quibus venerat) remigraret velis, fecit vt pater nihil de filio sibi promittens, è scopulo in mare se deturbauerit, & aquis nouum imposuerit nomen. Plutarchus. quam fabulam vel (si mauis) historiam Catullus longo admodum prosequitur filo. Calentius quoq; lib. 1. Elegiarum. Item Ouidius in Ibin:

Vt qui Theseæ fallacia vela carinæ
Vidit, & Iliaca missus ab arce puer. Huius rei etiam Cælius lib. 10. Lectionum antiquarum cap. 25.

Hæmon Tebanus iuuenis quum amore incredibili Antigonem Oedipi & Iocastæ filiam deperiret, ad eius tumulum mortem sibi consciuit. fuerat autem Antigone iussu Creontis (qui vetuerat Græcorum cadauera inhumari) iugulata, quòd Polynicem fratrem mortuum noctu sepelire

voluisset. de huius adolescentis morte Propertius lib. 2.

Sappho puella ex Lesbo insula, è Leucade Epiri promontorio se præcipitauit, quòd à Phaone liberali forma adolescente (quem supra fidem hominum deperibat) mutuò non redamaretur. Statius lib. 5. Siluarum: saltusq; ingressa viriles, Non formidata temeraria Leucade Sappho. Et Politianus in Nutricia: Sed tandem Ambracias temeraria saltat in vndas. Item Politianus in Eleg. Mascula quæq; suos cantat moritura calores, Leucadij Sappho crimen honorq; freti. Vide Volater.

Græcis Thebas obsidentibus, quum Tyresias vates prædixisset Thebanos expugnatũ iri, nisi eorũ (qui serpentinis dentibus prognati fuerant) aliquis se morti deuoueret: Menœceus vt patriæ saluti consuleret, ipsis Thebarum mœnibus gladio se confodit, cõfossum ad hostes deturbauit. quo viso protinus abierunt Græci. Statius lib. 1. Theb.

Iocasta filia Creõtis, & vxor Laij uidẽs filios suos Etheoclẽ & Polynicẽ mutuis vulneribus interfectos, horrore tanti facinoris mortem sibi intulit. Stat. lib. 11. Theb.

Hannibale Saguntum vrbem Hispanię Romanis amicam obsidente, Mopsus Cretensis fauens Saguntinis, vbi filios vidit interfectos, temperare sibi non potuit, quin se præcipitaret è turri, & filiis comitem daret. Sylius lib. 2.

Atq; pater gemino natorum funere Mopsus, &c.

Phædram Hippolyti nouercam furiæ Veneris vsq; adeò torruerunt, vt laqueo spiritum sibi interceperit, quòd priuigni (cuius amore æstuabat impatienter, & pruriebat) cõcubitum non posset exorare. moriens tamen scelerata mulier, litteras reliquit, quibus Hippolytum stupri arguebat, suæq; mortis vocabat auctorem. Ausonius:

Suasi quod potui, tu alios modò consule. dic quos?
Phædra, & Elisa tibi dent laqueum aut gladium.

Athamas, Rex Thebarum, furiis agitatus Learchum filium dedit morti. propterea Ino Cadmi, & Hermionis filia, & eius vxor sibi timens, cum altero filio Melicerta se in mare præcipitem dedit. quos in deorum indigitamenta poetæ retulerunt. Cyprianus: Melicertes & Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt postmodum maris numina. Oui

dius lib. 4. Metamorph. Seq; super pontum nullo tardata timore Mittit, onusq; suum.

Phyllis Lycurgi Thracum regis filia ægreferens se relictam, & spretam à Demophonte Thesei filio, quem vnicè deperibat, & ab expeditione Troiana redeuntem hospitio exceperat, vitam laqueo præfocauit, in amygdalum postea (vt fabulantur poetæ) conuersa. Pamphilus Saxus: Exemplum tribuit mortis mihi nobile Phyllis, Pendebat longa corpus inane trabe. Pontanus lib. 3. de Stellis.

Aiax Telamonis filius, ægreferens mortui Achillis arma (quæ supramodum appetebat) Vlissi data fuisse, inuidia motus, & in rabiem conuersus mortem sibi intulit. Ouidius lib. 13. Metam.

Hectora qui solus, qui serrum, ignesq;, Iouemq;, & c.

Iphis puer liberali facie, quum Anaxaretem puellam incredibili amore prosequeretur, neq; tamen readamaretur ab ea, laqueo se suffocauit, atque onus infelix elisa fauce pependit, inquit Ouidius lib. 14. Demum quum celebrarentur exequiæ, puella mortui miserta, se quoq; interfecit. Pontanus de Stellis lib. 3.

Auctolia Vlyssis mater, quum falso nuncio audiuisset filium apud Troiam occubuisse, laqueo vitam finiuit.

Amphió Iouis filius interfectis ab Apolline quattuordecim liberis seipsum gladio interemit. Ouidius in Ibin:

Addidit vt fidicen miseris sua funera natis,
Sic tibi sint vitæ tædia iusta tuæ.

Althea Thyestis (alii Thestium scribunt) filia, & Oenei Aetoliæ regis vxor, quum audiuisset Mealegrum filiũ suis fratribus intulisse mortem, se præcipitauit, combusto prius fatali stipite, quo cremato Meleagrũ ex fato periturũ audierat: Boccatius in Genealogia.

Britona nympha Cretensis quum esset formosa, perpetuoq; virginitatis vota, venationi vacaret, ad vim & stuprum Minois regis declinandũ se in aquas dedit precipitẽ.

Brotheus Vulcani filius propter oris deformitatem ilnsus in rogum desiluit, ibiq; vitam incendio finiuit. Ouid. in Ibin: Quodq; ferunt Brotheũ fecisse cupidine mortis, Des tua succensæ membra cremanda pyræ.

Aeolus Rex ventorum audito Canaces filiæ cum Machareo fratre incestu, ad eam gladium misit, vt scelus voluntaria morte dilueret, & vlcisceretur. quod illa fecit. Plutarchus in paral.

Ceyx Alcyones maritus ad oraculum nauigans naufragium fecit, & obrutus est aquis. quod indignanter ferens Alcyone, mortem mariti secuta, in mare se deturbauit, & in auem sui nominis mutata est. Ouidius in Ibin:

Nec tibi sit tumidis melior Neptunus in vndis,
Quàm cui sunt visæ frater, & vxor aues.

Deianira Herculis vxor, audita mariti morte, superesse noluit, ac propterea dolore animi se peremit. Ouidius: Impia quid dubitas Deianira morti?

Hesperie nympha, Esacum Priami filium, à quo adamabatur, persequentem fugiens, morsu colubri in herba latẽtis interfecta, fecit, vt Esacus ipse vitam sibi acerbam putauerit, & aquis se obruerit.

Erigone audita patris Icari morte, laqueo se suspendit. Ouidius in Ibin Statius lib. 5. Siluarum:

Nec enim Marathonia virgo
Partius extinctum sæuorum crimine agrestum
Fleuerat Icarium.

Euenus ægreferens Marpissam filiam ab Ida filio Aphareti in certamine curuli superatam, ac propterea ex pacto nuptiis copulatam, se in Lycormam Aetoliæ fluuium demisit, cui & imposuit nomen. auctor Domitius Calderinus. vn de Ouidius in Ibin: Vtq; vel Euenus torrenti flumine mersus, Nomina des rapidæ, vel Tiberinus aquę. Ad hunc ferè modum Plutarchus, Euenus (inquit) Martis & Steropæ filius, ex Alcippa Oenomai filia Marpissam suscepit filiam, quam ab Aphareto in Chorea raptam insequens, dum cõprehẽdere nõ posset, in Lycormã fluuiũ se præcipitauit.

Iuturna Dauni filia post interfectum ab Aenea Turnum fratrem suũ mæroris impatiens, se dedit in aquas præcipitẽ.

Ilice Libyci Lydij filia, dum amores Martis contemneret, deo factum vlciscente in furorem versa, è scopulo se demisit. Ouid. in Ibin: Lydia se scopulis vt virgo misit ab altis, Dixerat inuito quę mala verba deo.

Athenienſes dum mortui Herculis tutarentur liberos, quos inſectabatur Euryſtheus, ab oraculo acceperunt ſe ab Euryſthei liberatum iri incurſatione, ſi quis è liberis Herculis ſemet inferis deuoueret. quo audito Macaria eiuſdem filia ſeſe ſpõtaneæ morti obtulit. Cæl. & Eraſmus ĩ Chil.

Alceſtis filia Perilai ſeipſam interfecit, vt vmbra ſua contenti manes, ægroto marito parcerent. Seneca in medea: Cõiugis fatũ redimẽs Phærei, Vxor impẽdit animã marito.

Tyro mulier Theſſala mortuo marito, ſpontè oppetiit mortem. Baptiſta Pius lib. 2. Eleg.

Carmine conſpicua eſt Tyro Pagaſæa puella,
Quæ voluit proprij fata ſubire viri.

Hercules ab Iole connubio reiectus, Oechaliam puellæ patriam diripuit. dolore facti Iole, ſe præcipitem è muro dedit. auctor Plutarchus.

Charondas Tyrius, quum legem tuliſſet, ne quis armatus veniret in concionem, & tamen ipſe rure veniens, præter ſpem aliter feciſſet, monitus legis ab eo, qui proximè ſedebat, vitam ſpontè reliquit, & gladio ſuo incubuit, quũ tamen culpam diſſimulare potuiſſet, aut defendere. Valer. Max. de Iuſtitia.

De Amata Lauiniæ matre, quo modo, & quam ob rem ſpiritum ſibi laqueo interceperit, vide in eorum hiſtoria, qui ſuſpendio, & cruce vitam finiuerunt.

Quum L. Opimius conſul C. Gracchum Agrarias leges contra auctoritatem ſenatus ferre molientem ſuſtuliſſet, Herennius Siculus, quo & aruſpice & amico vſus ſemper fuerat Gracchus, comprehenſus, dum in carcerẽ traheretur, capite poſti carceris illiſo ſpiritũ depoſuit. auctor Val. Max.

Comalatro frater Diogenis latronum ducis ad P. Rutilium ductus, dum interrogaretur de genere belli è ſeruis & latronibus moti, capite in crura demiſſo, ſibiipſi ſpiritum intercluſit. auctor Valer. Maxim.

PARENTES LIBERORVM INTERFECTORES.

IDomeneus Deucalionis filius, & Cretenſium rex, quũ uouiſſet ſe immolaturũ eũ, qui primus Troia redeũti occurreret, filiam fortè fortuna repertam immolauit. Vo-

laterranus.

Darius rex Perſarũ Ariobarzanẽ filium interfecit, quòd is Alexandro promiſiſſet, ſe patri inſidiaturum, & mortem intentaturum. Plutarch. in Paral.

Steſibrotus ab Epaminonda patre Thebanorum duce interfectus eſt, quòd contra mandatum patris manum cum hoſtibus Lacedæmoniis conſeruiſſet, quamuis parta victoria. ibidem Plutarch.

Manlius Torquatus itidem filium ſecuri percuſſit, quòd in Sannites contra edictũ pugnaſſet, quamuis hoſte profligato ad ſuos victoriam retuliſſet. vnde Virg. lib. 6. Seuumq; ſecuri, &c. Liuius lib. 8.

Brutum à Romanis expulſum, quum filius prodere voluiſſet, paterna cedidit manu. auctor Ariſtid. apud Plutar.

Romanis in Latinos certantibus, Caſſius ſignifer Craſſum Brutum filium occidit quòd is patrem prodere, & hoſtibus portas aperire voluiſſet. auctor Plutar.

Perſis Græciam infeſtantibus, Pauſanias Lacedemoniorum dux 50. auri talenta, vt Spartam proderet, è Xerxe acceperat. quod vbi reſciuit Ageſilaus pater, filium in templo Palladis incluſum inedia conſumpſit. idem auctor.

Medea ab Iaſone, quem hoſpitio ſuſceperat, & modum rapiendi velleris docuerat reiecta, filios ex eo ſuſceptos Dyndimum & Theſſandrũ interfecit. Virg. Ecl. 8. Seuus amor docuit natorum ſanguine matrem, Commaculare manus. idem in Culice. Oui. lib. 7. Metam. -vtroque Sanguine natorum perfunditur impius enſis. idem lib. 2. Elegia. Idem lib. 2. de Arte: Propertius lib. 3. Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris, Iram natorum cæde piauit amor.

Athamas rex Thebarum furore correptus, Learchum & Eurycleam liberos pro leonibus occidit. Ouidius lib. 4. Metam. Deq; ſinu matris ridentem & parua Learchum Brachia tendentem rapit, & bis terque per auras, More rotat fundæ: rigidoq; ſanguia ferro Diſcutit ora ferox. idẽ li. 6. Faſt. Statius. li. 2. Siluar. Toruus adhuc Athamas inſanos flecteret arcus. idem lib. 1. Theb. Claudianus libro 1. in Ruffinum; Hæc Athamanteæ direxit ſpicula dextræ. Bab. Pius 2. Eleg. Qualis ad abſumptum per tela paterna Learchum, Deſiluit

lacrymis saucia facta parens. Plinius quoq; lib. 34. cap. 24. de hoc non nihil meminit.

Tãtalus, qui in Phrygia regnauit, deis hospitio susceptis, Pelopen filium coctum membratim comedendum apposuit, ut eorum diuinitatem experiretur. Seneca in Thyeste: Exceptus gladio paruulus impio, Dum currit patrium natus ad osculum, Immatura focis uictima concidit, Diuisusque tua est Tantale dextera, Mensas ut strueres hospitibus deis.

Leus Athenien sis ab oraculo monitus, Athenas ipsas perituras nisi tres filias immolaret, maluit oraculo parere, quàm suis parcere. Volater. auctor.

Agaue Thebana mulier Pentheum filium Bacchanalia despicantem, cum ceteris Mænadibus interfecit. Virg. in Culice: -quo quondam uicta furore, Venit Nyctileum fugiens Cadmæis Agaue, Infandas scelerata manus, & cæde cruẽta. Ouid. lib. 3. Met. Statius lib. 12. Thebaid. Seneca in Thebaide: Egit sorores mater, & gaudens malo Vibrante thyrso prætulit fixum caput. idem in Oedipode.

Progne Pandionis filia ægre ferens sororem suam Philomelam à Tereo marito fuisse stupratam, Itym filium eidem comedendum apposuit. Quid. 6. Met. Tendentemque manus, & iam sua fata uidentem, Et mater mater clamantem, & colla petentem, Ense ferit Progne, lateri quà pectus adhæret. idem lib. 2. Eleg. idem lib. 1. de Remedio. Sidonius: Siue prandia quis refert Thyestæ, Discerptum aut puerũ, cibumque factum.

Perimele puella uim, & stuprũ ab Acheloo passa ab Hippodamante patre detestante facinus præcipitata est. Ouid. 8. Met. Quod pater Hippodamas ægre tulit, inque profundum, Protulit e scopulo perituræ corpora natæ.

Althea ægre ferens fratres suos à Meleagro filio interfectos, fatalem combussit stipiten, de quo Parcæ prædixerant Meleagrum non prius periturum, quàm stipes ipse igni fuisset absumptus: hoc itaque modo natum emori fecit. Ouid. li. 1. Tristium: Vtque cremasse suum fertur sub stipite natum Testias, & melior matre fuisse soror.

Aidona uxor Zeti, Ithilum noctu imprudens occidit, dum unum ex filiis Amphionis, cuius uxori inuidebat, interficere uellet.

Artaxerxes Mnenon cognomento, Persarum rex, Darium filium cum quinquaginta aliis filiis interfecit, quòd ab eis insidiis peteretur. Trogus lib. 10.

Cambyses Cyri filius Persarum rex, filium sagitta occidisse fertur, furore correptus, quo prius fratrem & grauidã sororem dederat morti. Sabellicus.

Constantinus Magnus Crispum filium cum Licinio sororis suæ marito, incerta causa, morti dedit. Sextus Aurelius prodit hoc eum fecisse suasus Faustæ coniugis.

Dioscorus pater beatæ Barbaræ filiã multis prius tormẽtis affectam, ad extremum supplicio capitis affecit, quòd ad idololatriam flecti non posset.

Euristhenes, quum malè in bello pugnasset, ac propterea domui suæ ignominiam peperisset, inedia consumptus est à matre. Ouid. in Ibin: Obstrictusq; necem patiaris limine tecti, Vt legem pœnæ cui dedit ipsa parens.

Ptolæmeus Euergetes à suis ob crudelitatem regno pulsus, filium, quem ex Cleopatra sorore susceperat, in Cypro occidit, eiusque caput & pedes matri pro munere natalitio remisit. Liuius lib. 56.

Ptolemæus Auletes regno suo redonatus, quo ob flagitia fuerat eiectus, Cleopatram filiam & Archelaum eius maritum, quo Aegyptii in regnum asciuerant, occidit. Stra. li. 17.

Deuteria mulier timens ne filia sua, quam nubilem & formosam habebat, à Theodeberto rege corrũperetur, eam in flumen præcipitauit apud Viridunum ciuitatem. auctor Gregorius Turonensis.

Apteras uetustissimus Græcorum Saturnus patrem castrauit, filios interemit, fratribus bella & ferrum intulit. Annius in Berosim.

Erichtheus bellum cum Euinolpo gerens, quum ab oraculo accepisset futuram sibi uictoriam, si filiam diis immolaret, parsit, & consensu Praxithæ uxoris puellam cecidit. Euripides apud Plutarchum.

Marius quoque Cymbrico bello profligatus, quum intellexisset se fore uictorem, si Calpurniam filiam diis daret uictimam, dedit, ut patriæ consuleret.

Boges Persa ab Athenienſibus obſeſſus, ubi nihil habuit commeatus in caſtris, liberos cum uxore primùm, demum ſeipſum interfecit. auctor Herodotus lib. 7.

Deiotarus quum multos ſuſcepiſſet liberos, omnes, excepto tantùm uno, iugulauit, ut qui ſuperfuturus erat, potentior fieret, & maieſtatis auguſtioris. auctor Cælius.

Mithridates ſanguinolentus ac crudelis in omnes fuit. nam matrem, fratrem ac filios tres impuberes, ac totidem filias interfecit. auctor idem Cælius.

Antonius Caracalla imperator Iuliam nouercam in uxorem duxit, cuius filium Getam nomine paullò pòſt interfecit. Aelius Spartianus.

Virginius filiam Virginiam Icilio deſponſatam ſpectante populo & palam interfecit, ut Appium Decemuirum, qui eam ſtuprare uelut ſeruam tétauerat, in odiũ & inuidiam populi traheret: quod & factum eſt. nam ut propter illatum Lucretiæ ſtuprum Romani reges deſierunt, ita quoque immoderata Appij libido finem fecit Decemuirorum magiſtratui. auctor Liuius. Sylius lib. 13.

Herodes rex Iudææ præter innocentium cædem, tres quoque ex liberis ſibi ſuſpectos, Alexandrum, Ariſtobulum & Antipatrum morti dedit. Macrobius lib. 2.

Hippomenes Athenienſium princeps, filiam Limonem in adulterio deprehenſam, unà cum equo feroci concluſit, nec huic, nec illi cibum præbens. equus igitur fame in rabiem actus, puellam deuorauit. hinc ortum adagium à Diogeniano poſitum: Magis impius Hippomene. Ouidius in Ibin.

Solaq; Limone pœnam ne ſenſerit illam,
Et tua dente ferox uiſcera carpat equus.

Pyreus inſula, quum maxima laboraret peſte, propter interfectum ibidem ab Athenienſibus aprum Dianæ ſacrum, conſultum oraculum, reſpondit: Finem mali futurum, ſi quis filiam immolaſſet numini. unus autem repertus eſt Embarus, qui filiam ſolenni ritu ornatam ſacrificauerit. Eraſmus in Chil.

Orchamus Leucothoam filiam ab Apolline ſtupratam, uiuam defodit. auctor Domitius in Ibin. Ouid. item lib. 4.

Lenogildus rex Hiſpaniæ filium Hermogildum, quòd à ſecta parentum abhorreret, ac Childeberti Francorum regis orthodoxi filiam duxiſſet in uxorẽ, morte affecit. Volater.

Lyſimachus rex Pergami, Agathoclem filium fortiſſimum, cuius præcipua opera, multa bella feliciter geſſerat, nouerca Arſinoe Ptolemæi ſorore inſtigante, veneno ſuſtulit. auctore Trogo.

Aulus Poſtumius Tiburtus filium ſecuri percuſſit quòd occaſione rei benè gerendæ, iniuſſus pugnam tentaſſet. auctor Val. de diſcip. mil. Liuius lib. 4. Mauult tamen hoc credere de M. Torquato, quàm de Poſtumio.

Arpiages filium comedit. Ouidius in Ibin: Vt puer Arpiagæ, referas exempla Thyeſtæ, Inq; tui cæſus viſcera patris eas.

Ethearchus rex Cretæ ſuaſu ſecundæ vxoris, Phronymam filiam per negotiatorem quendam nomine Themiſonem, ſubmergi fecit. auctor Herodotus.

LIBERI PARENTVM INTERFECTORES

Alcmæon Eriphylem matrem interfecit, quòd illa Amphiaraum patrẽ, qui in bello Thebano terræ hiatu abſorptus eſt, Polynici prodidiſſet, accepto monili aureo. Virg. lib. 6. -mæſtamq; Eriphylem Crudelis nati monſtrantem uulnera cernit. Seruius, & Diod. libro 5.

Perrheborum rex Triopas dum tirannicè nimis imperaret, à Carnaba filio tantæ feritatis impatienti occiſus eſt. auctor Cælius.

Oreſtes Clytemneſtram matrem interemit, in ultionem patris Agamemnonis, quem à Troia redeuntem illa cum Aegyſto adultero interfecerat. Ouidius lib. 1. Eleg.

Et uindex in matre, patris malus ultor Oreſtes,

Auſus in arcanas poſcere tela deas. Horatius lib. 2.

Nero, quum Agrippina matre facta ſua exquirente acerbius, & corrigente grauaretur, eam uariis modis tentauit perdere. primò ueneno: ſed quum ſentiret eam antidotis præmunitam, ſolutilem nauem, cuius uel naufragio, uel cameræ ruina periret, commentus eſt: ſimulataq; amicitia, Baias euocauit. quam nando euaſiſſe, ut comperit,

inops consilij eam interfici iussit, quam prius stupro contaminauerat. Suetonius.

Trogus scribit Thessalonicem ab Antipatro filio interfectam, quum tamen uitam per ubera materna deprecaretur, idq; , quòd Alexandro fratri magis, quàm sibi faueret.

Semiramidem à Nino filio intereimptam produnt, quòd eius concubitum & congressum optasset, quæ prius equi amore conflagrauerat. Cælius 37. lib. 12. & Iustinus lib. 1.

Ptolemæus Euergetes à Ptolomæo filio interfectus est: qui propterea (inquit Iustinus) Philopator, id est patris interfector, uocari cœpit.

Ptolemæus filius Epiphanis matrē Cleopatram dedit morti. unde & Philometor eadē ratione dictus est, qua præcedens Philopator.

P. Malleolus, teste Liuio, matre interempta primus omnium insuto culeo in mare præcipitatus est.

Mithridates, auctore Cælio, tantæ fuit impietatis, ut matrem, fratrem, filios tres, ac totidem filias interfecerit.

Ioannes Maria Ioannis Galeatij filius, dux Mediolani Catharinam matrem facta sua acerbius obiurgantem, in turri conclusit, & ibidem emori fecit. Volater.

Ouidius lib. 5. Metam. ait Agyrtem fuisse quendam, qui patrem interfecerit. -regisque Thoactes Armiger, & cæso genitore infamis Agyrtes.

Redeuntem Troia Vlyssem Thelegonus filius ut ignotum occidit. Horatius lib. 3. Car. Decliue contempleris aruum, & Thelegonij iuga parricidæ.

Ozias Amos prophetam patrem suum uecte per tempora transfixit, quòd contra mandatum Hieroboam regis uerbum Domini prædicaret.

Ab Euandro quoque occisum fuisse patrem quidam prodiderunt, vt scribit Cælius lib. 6. Lectionum antiquarum.

Polydice Pterelam patrem Thebarum regem Creōti prodidit, & occidi fecit: vt Nisus à Minoe obsessus proditione Scyllæ filiæ crinem amisit fatalem, atque ita interfectus est auctore Seruio.

Friscus Actium Ferrariæ principem patrem suum in carcerem coniecit, atque ibidem fecit emori, quum ob inuidiam nouercam, tum libidine dominandi. Volater.

Guillermus Iacobini Carrariensis filius patrem occidit, quòd ab eo spurius fuisset appellatus.

Orodes rex Parthorum, amisso filio Pacoro, qui in bello contra Ventidiū occubuerat, in furorem propè uersus, ab altero filio Phraate occisus est. Volaterranus in Geograph.

Cosroes rex Persarum senio confectus, dum Medorsem filium regni heredem instituisset, ab altero Siroche natu maiore interfectus est. idem Volat.

Heraclius imperator Phocam patrem multis prius contumeliis affectum, postremò interfecit, dominandi (vt credibile est) libidine. Volater.

Oedipus cum Laio patre ignoto apud Phocidem congressus, ipsum nescius interemit. Ouidius in Ibin: Nec plus aspicias, quàm quem sua filia rexit, Expertus scelus est cuius vterque parens. Seneca in Thebaide: Genitorem ador tus impia stratu nece.

Cyane puella patrem Cyanipum, quòd ab eo per vim stuprata fuisset, gladio confodit.

Medullina quoque ab Aruntio patre ebrio violata, eidem mortem intulit. Plutarchus in Paral.

Peliam senio confectum dum filiæ à Medea persuasæ vellent ad iuuentutem reuocare, lebetiferuenti impositum occiderunt. Erasmus in Chil.

Post Hannibalis bellum L. Ostius fertur primus patrē occidisse. auctor Plutarchus in vita Romuli.

Iulius Mansuetus ex Hispania rapaci legioni additus, impuberem filium domi reliquerat. is mox inter septimanos à Galba conscriptus, oblatum fortè patrem, & vulnere stratum dum semianimem scrutatur, agnoscens, cognoscensque, & exanguem amplexus, voce flebili precabatur placatos patris manes, ne se ut paricidā insectarentur. Cor. Tacitus.

Fredericus imperator Panormum profectus, Manfredi filii dolo interfectus est, quum annos XXXII. rebus præfuisset. Baptista Egnatius.

Nicomedes Prusiam patrem Bythiniæ regem dominandi libidine vita spoliauit.

Fabricianus matrem Fabiam interfecit, quòd illa Fa-

bium Fabricianum maritum suum occidisset, vt liberius adulterium cum Petronio adolescente committeret. auctor Dositheus apud Plutarchum.

FRATRVM, ET SORORVM interfectores.

OEdipus rex Thebarum moriens, filiis suis Eteocli & Polinici regnum alternis annis dimisit regendum. verùm quum Eteocles maior natu peracto anno fratri cedere noluisset, moto propterea bello, contractisq; copiis, ambo mutuis se vulneribus interfecerunt. Virg. in Culice. Ac discordantes Cadmæo sanguine fratres, Iá truculéta ferũt infestaq; lumina, corpus Alter in alterius iamq; aduersatus vterq; Impia germani manat pro sanguine dextra.

Medea cum Iasone fugiens, Aegyaleum fratrem membratim discerpsit, discerptum per agros passim proiecit, vt Aeetem patrem se persequentem in colligendis filij ossibus remoraretur. Ouid. in Ibin: Et tua sic latos spargantur membra per agros, Tanquam quæ patrias detinuere vias. Idem lib. 3. Tristium.

Menalippus Oenei filius, dum in siluis aprum Calydonium venaretur, à Tydeo fratre imprudente occisus est. Statius l. 2. Theb. Pollutus placuit fraterno sanguine Tydeus.

Polites quoque fuit quispiam, qui fratrem peremit. Stat. lib. 7. Theb. Cæsoque infamis fratre Polytes.

Atila rex Pannoniæ reuersus è Gallia, Budam fratrem (qui regnum occupauerat) de medio sustulit.

Antiochus Mag. Seleuci filius mortuo patre fratrem vita exuit, vt solus principaretur, & regno frueretur.

Aristobulus rex Iudææ, Antigonum fratrem (quem prius regni consortem fecerat) falso postea insimulatum interfici iussit. Volater.

Romulus quum ad extruendos vrbis muros, vallum aratro duxisset, vetuissetque, ne quis illud transiliret; Remus in ludibrium, fratris ausus est transilire. quod iniquo ferens animo Romulus eidem eripuit vitam. Liuius. Vnde Lucanus: Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Ouidius in Ibin: Vtq; Remo muros ausus transire recentes. Noxia sint capiti rustica tela tuo.

Theodebertus Chilperici filius, Francorum rex, à Theoderico fatre bello petitus, & ad extremum interfectus est. Volater.

Fernandus rex Castellæ Sanctij filius, Carsiam fratrem regem Nauarræ peremit, vt Nauarram ipsam suo adiiceret regno. Vsque adeò libido principãdi nõ præscribit sibi modũ.

Helenus Priami filius, dum venaretur, nescio qua fortuna, Chaonem fratrem (à cuius nomine Chaonia dicta est) imprudens peremit. Seruius in 3. Aeneid.

Inuidia (quæ alienam prosperitatem oculo irretorto nescit prospicere) fuit in causa, cur Cayn fratrem Abelem, cuius victimas domino videbat gratas, nefariè interfecerit.

Mempricus filius Maddam rex Britanniæ, Malym fratrem exuit vita, vt eo mortuo principaretur.

Cunedagius quoque non alia ratione fratrem Morganum occidit, quo tẽpore Roma condita est, vt supputat Volater.

Cansignorus Veronensium princeps moriens Antonium & Barptolemæum filios reliquit heredes. quorum Antonius Barptolomæum fratrem de medio sustulit, quem in principatu cõsortem, aut parẽ ferre non poterat. Volaterranus.

Cambysi Persarum regi visus est per quietem nuncius ad esse, dicens: Mergidem fratrem solio sedere regio. qua ille visione consternatus, Prexaspem Persam ad eum interimendum misit. auctores Trogus, & Herodotus. cui flagitio sororis quoq; mortem adiecit.

Canis grandis, Veronensium princeps, fratrem Eriganum (qui dum abesset, Veronam inuaserat) foris reuersus, obsedit, obsessum uicit, uictum dedit morti.

Henricus Alphonsi undecimi filius, Petrum fratrem multis homicidiis famosum, tandem interfecit magno omnium plausu. Volater.

Perinus Fregosus, Genuensium princeps, Nicolaum fratrem, doctrina moribusq; insignem, ob suspicionem affectati principatus interfecit.

Pinus Ordelaphus Foroliuiensis, ut solus regnaret, Franciscum fratrem trucidanit, eius liberis in exsilium missis. Auctor Volater.

Ptolemæus Philadelphus Argeum fratrem, à quo insidias

parari sibi intellexerat, interfecit, & alteri fratri Magæ nomine, qui Cyrenis imperabat, bellum intulit. Pausanias apud Volaterranum.

Ptolemæo Philopatori non satis fuit patrem interficere, nisi in fratrem quoque & amicos gladio sæuiret.

Franciscus & Ludouicus Gonzagæ Vgolinum fratrem, simulata amicitia, cenam inuitatum adorti sunt, & interfecerunt, sola ad facinus inuidia moti, quòd Guido Gonzaga pater, Mantuanorum dux, ei soli principatum reliquisset. Volaterranus.

Boleslanus Vratislai Bohemorum regis filius, fratrẽ Vuẽceslaum æquitatis, & religionis obseruantissimum, & Abeli iusto persimilem interfecit, Draomicia matre sceleris conscia. idem Volater.

Ardieus Pamphyliæ tyrannus patrem senio confectum, & fratrẽ natu maiorem interfecit. auctor Plato lib. 10. de Rep.

Iam diximus tantam in Mithridate rege Ponti fuisse feritatem, vt matrem, fratrem, & sex liberos interfecerit. auctor Cælius lib. 16. Lectionum Antiq.

Isacius Angelus imperator ab Alexio fratre, quem à Turcis captum redemerat per summum scelus, oculis, imperio, & uita priuatus est.

Frotho Danorum rex tres habuit liberos Haldanum, Roem, & Scatonem. quibus mortuo patre æqua incessit regnandi cupiditas. quo factum est, ut Haldanus natu maximus duos iuniores interfecit, & regnum paricidio susceperit. auctor Saxo grammat.

Feugo quoq; Horuendilium Danorum regem fratrem suum insidiis circunuenit: atq; ubi paricidio datus est locus, cruenta manu funestam mentis libidinẽ satiauit, ut eo mortuo regnaret. idem lib. 3.

Idem Saxo lib. 6. historiæ Danicæ, meminit cuiusdam Starchateri, quem inusitata fortitudine, viribusque prodigiosis ait fuisse, vt qui nouem fratres athletas simul pugnãtes interfecerit, decem & septem vulneribus acceptis, amissaque maioris viscerum parte.

Herminefredus Bertarium fratrem vi oppressit, vt soli sibi tranquillius & securius apud Thoringos liceret regnare. auctor Gregor. Turonen.

Orta inter Dardanum & Iasium contentione, Dardanus superior fratrem peremit. adeò consortem nescit potestas, adeò rara est inter necessarios caritas, ubi illa dominãdi libido mentes hominum titillat.

Bela rex Pãoniæ, Polonorum copiis instructus, Andreã fratrẽ bello aggressus est, partaq; victoria interfecit victum.

Learchus Arcesilaum fratrem Cyrenæorum regem ægrotantem veneno potauit, & eo modo strangulauit. Learchus demũ ab Eryxo Arcesilai vxore lege Talionis interfectus est. auctor Herod. in Melpo.

Typhon Ægyptius fratrem suum Osiridem peremit, inuidia accensus. auctores Berosus & Seneca de sacris Aegyptiorum. Diodorus item: Compertum est (inquit) Osiridem Aegypto iustè regnantem à Typhone fratre impio ac nefario interemptum. quem in sex viginti partes dissectum, cuilibet eorum, qui tanti sceleris participes fuerant, partem dedit, ut ipsos defensores custodesq; regni fidos haberet.

Isis demum Osiridis fratris mortem vlta, Thyphonem alterum fratrem auxilio filij, qui Oros dicebatur, occidit. Annius in Berosum.

Henricus cognomento Clericus, Anglorum rex Robertum fratrem hostem habuit, quem in bello captum, oculis primùm auulsis in carcerem detrusit, ac demum pædore & inedia ibidem emori fecit. Volater.

Orodes Phraatis filius, Parthorum rex, Mithridatem secũdum fratrem suum Babyloniæ obsedit, factaque deditione in conspectu omnium quamuis supplicem interfecit. DEVS terperdat ambitio, quæ fratres armas in fratrum viscera, quæq; Securum à nato non finis esse patrem.

Ioram rex Iudææ suasu Athaliæ vxoris, fratres interfecit, & nullũ sceleris genus omisit, à nullo abstinuit flagitio.

Ioannes Iudæ pontificis filius, quinctus Hebræorum pontifex, fratrem Iesum nomine, quem affectatæ dignitatis habebat suspectum, morti dedit.

Iugurtha Manastabilis filius nothus, fratres suos Adherbalem & Hiempsalem Micipsæ patrui sui filios, interfecit, vt solus Numidis imperaret. Sallust.

Friola Alphonsi Catholici filius rex Hispaniæ, ab Aurelio fratre interfectus est, quum annos duodecim regnasset. Volaterranus.

Leucon ab Oxilocho fratre rege Ponti interfectus est, quòd cum eius vxore adulterij & incestus consuetudinem haberet. Ouid. in Ibin: Aut pia te cæso dicatur, adultera, sicut Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est.

Mamertes quum Sisaphonis Corinthij fratris sui filios regnandi libidine peremisset, ab ipso Sisaphone membratim laceratus est. Ouidius in Ibin:

Trunca geras seuo mutilatis partibus ense,
Qualia Mamertis membra fuisse ferunt.

Hesiodus poeta Ascræus noctu iugulatus est ab Antipho & Crimeno fratribus: non tamen opera dedita, sed per errorem, dum illi sororis suæ interfectorem esse putarent.

Rhesus Maximi & Ameriæ filius, fratrem Simulum in uenatione volens interfecit, ac propterea ei paterna domo interdictum est. Aristides apud Plutarchum.

Anacharsis philosophus, Scytha genere, dum Athenien sium leges apud suos introducere conaretur, ut patriæ consuleret, à Caduido fratre eius loci rege per liuorem sagitta confossus est. auctor Laertius.

Lucilla M. Antonij & Faustæ filia, à Commodo fratre, in quem coniurauerat, deprehensa, ab eodem interfecta est. auctor Herodianus.

Maximianus Diocletiani filius Artemiam sororem gladio percussit, quòd relicta idololatriæ hæresi, ad fidem se conuertisset.

Critolaus Tegeates sororem interfecit, quòd sibi è victoria redeûti non gratularetur, quum tamen ceteri omnes ei applauderent. auctor Demarathus apud Plut.

Primus apud Romanos Horatius ob sororem interfectã perduellionis reus factus est, dein absolutus. auctor Liuius.

Cambyses sororem interfecit, quòd illa Simerdis fratris sui à patre occisi mortẽ lugeret velut inultã. auctor Herod.

Polyphontes rex fratrem interfecit quòd ab eo insidias & mortem parari sibi intellexisset. auctor Gel. lib. 4. ca. 3.

MVLIERES, QVAE MARITOS interfecerunt.

REdeuntem ab expeditione Troiana Agamemnonem Clytemnestra vxor interfecit auxiliante Aegysto, quocum stupri consuetudinem habebat. Virgilius lib. 11. Aen. Ipse Mycenæus magnorum ductor Achiuum Coniugis infandæ prima intra limina dextra Oppetiit, deuicta Asia subsedit adulter. Seneca in Agamemnone: Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum, Cuius secutæ mille vexillum rates, Iliaca velis maria texerunt suis, Post decima Phœbi lustra deuicto Ilio, Adest daturus coniugi iugulum suæ. Idem alibi: Adest cruenta coniugis victrix sui. Iuuenalis Satyra 6.

Danaus Beli filius quinquaginta habuit filias, quæ totidem Aegysti filiis nupserunt, factaque simul coniuratione omnes maritos nocte vna interfecerunt, præter Hypermestram, quæ Lynceo, siue Lino, pepercit. Seneca in Hercule Furente, Nunc nunc cruentę regis Aegysti nurus Adeste, multo sanguine infectæ manus. Ouidius lib. 1 de Arte.

Scribit Volaterranus Albinam quandam Syriæ regis filiam duas & triginta habuisse sorores, quæ totidem maritos interfecerunt: expulsasque propterea à patre venisse in Britanniam, & à nomine Albinæ insulam vocasse Albionem.

Alexander Pheræus Thessaliæ tyrannus, quum vxorem Thebem cuidam barbaro nudam plerunque ostendisset, ab eadem factum egreferente, dormiens iugulatus est. Ouidius in Ibin: Inq; tuo thalamo iuguleris more Pherei, Qui datus est leto coniugis ense suæ.

Albionus rex Longobardorum Cunimundo Gepidorum rege interfecto, eius filiam nomine Rosimundam sibi copulauit. cui quum aliquando inter pocula, patris caluaria per iocũ ppinasset, irata puella non prius machinari destitit, quàm eum curauerit interficiendum. quo mortuo alium maritum Helmigem nomine sibi copulauit, quem postea veneno suffocauit.

Antiochus Deus cognomento, rex Syriæ, ab vxore Laodice veneno interfectus est ob inductam alteram Berenicem Ptolemæi sororem. Val. Max.

Antonius Verus imperator periit veneno à Lucilla vxore propinato, ob Fabiæ consuetudinem, ad quam frequenter itabat. Volat.

Circe venefica mulier Sarmatarum regem cui nupserat, veneno itidem fertur occidisse, arreptoq; regno subditos multùm oppressisse. Sabellicus.

Gandulphus, qui in Burgundia pro fide martyrium passus est, dum vxorem adulterij insimularet, eiusdem opera ab adultero interfectus est.

Galeotus Foroliuij princeps Ioannis Bentiuoli filiam duxit in vxorem. à quo dum sperneretur puella, simulata ægritudine ficarios subornauit medicos, qui eum adorti in cubiculo confoderunt. Volater.

Semiramis, quum à marito Nino impetrasset, ut diē modò unum in regio sederet tribunali, obiretq; regium munus iuri dicundo, sanciendoq; quæ uiderentur, exploratis satellitum animis, Ninum ipsum apprehendi iussit, & in vincula coniici, ac postremò interimi. auctor Cælius.

Andreas filius Caroli Pannoniæ regis, à Ioanna vxore, regina Siciliæ, interfectus est: quòd ignauus, & regno inutilis uideretur. Volater.

Fabia mulier Fabium Fabricianum interfecit, ut liberius posset lasciuire cum Petronio Valentino liberali forma adolescentulo, quocum adulterii consuetudinem habebat. Plutar. in Paral.

Agrippina Tiberium Claudium principem maritum suū ueneno sustulit. auctor Pli. lib. 32. cap. 22.

Cursius libro. 7. ait Barbarum quendam Spitamenem somno, & uino sepultum, ab uxore in castris Alexandri fuisse interfectum.

VIRI VXORVM INTERFECTORES.

PRocris mulier existimans Cephalum maritum alterā deperire puellam, eundem in siluas profectum secuta est, ut obseruaret quid faceret. quum ergo in dumis delitesceret, ac uepres concuteret, Cephalus opinatus esse feram, sagittis eam confodit. Ouid. lib. 7. Met. Adagium est apud Erasmū, Procridis telum, De certis iaculatoribus, aut

ictu ex sententia iacto.

Nero Sabinam Poppeam uxorem calcis ictu, quamuis prægnantem interfecit, nulla impellente causa, sed sola bile & iracundia motus. auctor Cor. Tac. lib. 16.

Chilpericus Clotharii filius, Glosindam uxorem Athanagildi Gothorum regis filiam, suasu Fredegundæ pellicis nostru iugulauit. Volater.

Constātinus imperator, Constantii & Helenæ filius, uxorem suam Faustam, cuius suasu Crispum filium prius interfecerat, in balneas ardentes coniectam interemit. auctor Sextus Aurelius.

Mithridates rex Ponti, uxorem Laodicem, qua mortua Hypsicrateam duxit, cum sorore, matre, fratribus, ac liberis interfecit. auctor Herod.

Plinius lib. 14. scribit Egnatii Metentini uxorem, quòd uinum bibisset e dolio, interfectam fuste à marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Egnatius.

M. Cæcilius apud eundem Plin. lib. 27. accusat Calphurnium Bestiam, quòd dormientes uxores ueneno peremerit.

Miratur Sabellicus, nec sanè mirum, quòd miretur, Periandrum Corinthium inter eos numeratum, quos Græcia sapientes appellauit, qui Lysidem vxorem (alii Melissam scribūt) in pellicis gratiam interfecerit, sciens uolensq; cum Cratea matre concubuerit, filiū relegauerit, & Corcyrensium natos Haliarti excæcandos præbuerit, ut docet Herod.

Dacianus præses Alexandriam uxorem à beato Georgio ad fidem conuersam, suspendi fecit, & interfici.

ALII PARICIDÆ.

PRocarex Albanorum duos habuit filios Amulium, & Numitorem, quibus regnum alternis annis dimisit regendum. quum autem prior Amulius regnasset, peracto anno fratri cedere noliit: quinetiam Lausum eius filiū interemit, & Iliam eius sororem (ne qua inde manaret proles, quę facinus ulciscereturr) inter Vestales inclusit. Ouid. lib. 4. Fastorum.

Xerxes ob res infeliciter ī Grēcia gestas, adeò inter suos euiluit, ut Artabanus spem nactus occupandi regni, eum in regia interfecerit. auctor Trogus.

Childebertus Clodouei primi filius, fratris sui Clodomyri filios pupillos & clientes suos ad se uenire iussos, interfecit, ut eorum patrimonio potiretur.

Sigisbertus Clorarii filius, bellum cum Chilperico gessit, in quo Theodebertum eius filium post alia multa crudelitatis exempla interfecit. Gaguinus.

Egebertus Sicoberti filius rex Anglorum, fratris filios, quos patre mortuo educabat, impuberes occidit. Volater.

Mamertes Corinthius, filios fratris sui Sisaphonis regnã di libidine, interfecit maximo suo malo. nam ubi Sisapho factum resciuit, eum membratim discerpsit. auctor Ouidius in Ibin.

Sextus Aurelius scribit Aurelianum imperatorem sæuum fuisse & sanguinariũ, ut qui sororis suæ filium interfecerit.

Orcanes rex Turcarum Celapini filius, à Mose patruo, cuius fidei se pupillum commiserat, interfectus est, & regno spoliatus.

Thyestes Pelopis & Hippodamiæ filius Europam, seu Aeropen fratris sui Atrei uxorem stuprauit, & ex ea duos suscepit liberos, Tantalum & Plysthenem, quos Atreus ipse interfecit, interfectos fratri comedendos apposuit. Seneca, Tantalus prima hostia est, &c.

Pygmalion rex Tiri & frater Didonis, quum esset auri cupidissimus, Sichæum sororis suæ maritum agri inter Phœnica ditissimum interfecit, ut mortui diuitias arriperet. Virgil. libro. 1. Aen. -ille Sichæum Impius ante aras, atque auri cæcus amore Clàm ferro incautum superat, securus amorum Germanæ.

Childebertus Clodouei filius in Almarichum Gothorũ regem sororis suæ Clotildis maritum bellum mouit, ac uictum uictor obtruncauit, quòd Clotildem ipsam iurgiis, & uerberibus propter cultum orthodoxæ fidei quotidie incesseret. Volater.

Constantinus Magnus Licinium sororis suæ maritum pugna sæpius oppressum, & tandem apud Nicomediam uictum interfici iussit. Eutropius.

Eduardus secundus rex Anglorũ uenatu rediẽs, ab Alfrida nouerca uenenato poculo interfectus est. uolebat enim

scelerata mulier Eceldredum filium suum septennem principari. Volater.

Nuceria uxor Hebij, quum Firmum priuignum maligno prosequeretur odio, filios suos ad inferendam ei mortem incendebat. quod quum illi facere per pietatem abnuerent, dormientem gladio adorta est. auctor Dositheus apud Plut.

Constantinus Heraclii filius, quũ annum unum imperasset, Martinæ nouercæ, laborantis filium imperare, ueneno interfectus est. Bap. Egnatius.

Pelops Tantali filius ex Hippodamia, duos suscepit liberos, Atreum & Thyestem; ex Danaide puella Chrysippum patri ceteris cariorem. quem quum nouerca Hippodamia odio persequeretur, eius cruore manus impias contaminauit. Dositheus apud Plutar.

Ptolemæus Auletes à Romanis regno Aegypti redonatus, quo propter flagitia eiectus fuerat, Archelai Cappadociæ regis filium, filiæ suæ Cleopatræ maritum (quem Aegyptii regem sibi delegerant) unà cum sorore interfecit. Strabo lib. 17.

Spoliante Campanos Hannibale L. Imbricus filium Ruscium cum magno auri pondere Valerio Bestio genero suo saruandum commisit: quem tamen Valerius auaritia stimulante obtruncauit, ut auro potiretur. Plutar.

Eadem causa Polymnestor rex Thraciæ Polydorum Priami soceri sui filium iugulauit. Mantuanus lib. 1. de Cala. Virg. lib. 3. Aenei.

Aegystus Thyestæ filius Atreum patrem suum adultus interfecit: mortemque Plysthenis & Tantali fratrum suorum ab ipso Atreo interfectorum ultus est.

Acrisius Abantis filius, quum ab oraculo accepisset se eius manu periturum, qui ex Danae filia nasceretur: natum postea ex ea Perseum iussit exponi & submergi. compertus tamen in littore Perseus, à piscatore quodam nutritus est. inde ubi adoleuit, suamque resciuit originem, Acrisium ipsum interfecit. Volaterranus.

Draomitia Bohemorum regina, Ludimillam socrum religionis obseruantissimam interfeci iussit. cuius suasu Boleslaus filius Vuenceslaum fratrem iam interfecerat. auctor

Volaterranus.

Io. Galeatius Barnabam socerum Mediolani ducem perproditionem cepit, coniectumque in carcerem mori coegit, vt eo mortuo principatum arriperet.

Tiberius Nero Caligulæ nepotis, imperandi libidine conflagrantis, astu & dolo periit anno ætatis LXX VIII. imperij verò XXIII. Egnatius.

Albertus imperator, dux Austriæ, & filius Rodulphi imperatoris, dum suasu Bonifacij pont. exercitum pararet in Gallos, à Ioanne fratris sui filio interfectus est.

Domicianus, auctore Tranquillo, Flauium Clementem patruelem suum (cuius filios etiam paruulos successores palam destinauerat) interfecit.

Tydeus Oenei filius, Alcatum & Lycothæum nepotes apud Calydonem interfecit, ac demum Argos aufugit.

AQVIS SVBMERSI.

HYlas Thyodamantis filius cum Hercule (cuius erat amasius) reliquisque Argonautis Colchos nauigans, dum aquam vellet haurire, vrnæ pondere submersus est, multisq; clamoribus ab ipso Hercule, sed frustra acclamatus. Virg. Ecloga. 6. His adiungit Hylam, nautę quo fonte relictum, Clamassent, quum littus Hyla Hyla omne sonaret. Iuuen. Et multùm quæsitum Hylas, vrnamque secutus. Fabulantur poetæ eum à nymphis ob formam excellentem raptum. Propertius lib. 2.

Tandem haurire parat demissis flumina palmis
Innixus dextro plena trahens humero, &c.

Orontes, Troia diruta, cum Aenea in Italiam nauigans, naufragiũ fecit. Vir. li. 1. Aen. Vnà, quæ Lycios, fidũq; vehebat Orõtem, Ipsius ante oculos ingens à uertice pontus In puppim ferit: excutitur, pronusq; magister Voluitur in caput. ast illam ter fluctus ibidem Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.

Leucaspis quoque eadem procella obrutus est, eodem Virgilio teste, qui 6. Aen. inquit: Cernit ibi mœstos, & mortis honore carentes Leucaspim, & Lyciæ ductorem classis Orontem.

Palinurus, gubernator nauis Aeneæ, dum obrepente somno dormitaret, incautius decidit in mare. neque tamen tunc primùm submersus est. sed quum portui (qui Velinus postea dictus est) adnaret, ab incolis pro bellua marina obrutus est. Virg. in fine quincti Aenei. idem in sexto: Ecce gubernator sese Palinurus agebat, & c. Ouidius in Ibin: Aut vbi ventosùm superaris naufragus æquor, Contracta pereas, vt Palinurus humo.

Aesacus Priami filius ægre ferens Hesperiẽ puellam, quã fugientem insequebatur, morsu colubri in herba latentis fuisse interfectam, in aquis se dimisit: mutatus postea in Mergum, vt poetæ fabulantur. Ouidius lib. 12. Metam. Dixit, & è scopulo, quem rauca subederat vnda, Decidit in põtũ.

Iam diximus Tiberinum regem se in Tiberim precipitasse, & fluuio (qui prius Albula dicebatur) nomen imposuisse. Ouidius in Ibin, & lib. 4. Fastorum. Idem li. 14. Sed Capys antè fuit.

Anna soror Didonis se in Numicium fluuium demisit. causam mortis vide in eorum historia, qui se occiderunt. Ouid. lib. 3. Fast. Corniger hanc tumidis rapuisse Numicius vndis Creditur, & stagnis occuluisse suis.

Helle filia Athamantis regis Thebarum, insidias nouercæ cum Phryxo fratre fugiens, arietem aurei velleris conscendit, vt eo modo Colchos ueheretur. quos quum per mare ferret aries, contigit, ut puella perterrita in pontum caderet, & Hellesponto imponeret nomen. Ouid. li. 4. Fastorũ Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra Femina, quum de se nomina fecit aquæ. Idem in Epistolis Her. Propter. lib. 2.

Icarus Dædali filius à Creta cum patre fugiens, fretus alarum, quas fecerat pater, fiducia, dum altius in auras euolaret, liquefactis à sole pennis cereis in mare cecidit, quod ab eius ruina Icarium cæpit dici. Seneca in Hercule Oetbæo. Ouidius lib. 1. Tristium: Dum petit infirmus nimiũ sublimia pennis Icarus, Icareis nomina fecit aquis. Idem libro 8. Metam.

Leander speciosus puer ex Abydo, quum in Sestion urbẽ non multum remotam nauigaret ad amasiam suam Erο nomine, tempestate subortа periclitatus est. Oui. lib. 3. Tristium: Si tibi tale fretum quõdam Leandre fuisset, Non foret an

guſtæ mors tua crimen aquæ. Stroza pater lib. 1. Eroticon.

Cærelia mulier dum Baias nauigaret, aquis obruta eſt. Martialis lib. 1. Dum petit è Baulis mater Cærelia Baias, Occidit inſani crimine merſa freti.

Aegeus Theſei pater ſe ſubmerſit. cauſam uide in præcedenti capite.

Sappho quoque è Leucade Epiri promontorio ſe præcipitauit. Statius li. 5. Sil. -ſaltuſque ingreſſa uiriles Non formidata temeraria Leucade Sappho.

Pharao, rex Aegypti, dum Iſraelitas perſequeretur, mare rubrum uirga Moyſis diuiſum ingreſſus cum toto exercitu periit, & ſubmerſus eſt. Politianus in Nutricia: Vt rubra ſicco pede tranſiit undas, Demerſo inſignem cecinit Pharaone triumphum.

Ino uxor Athamantis ſe cum Melicerta filio demerſit. ratio iam poſita. Val. Flac. lib. 8. attonito qualis pede proſilit Ino In freta, nec parui meminit conterrita nati. De Melicerta ſeu Palæmone Statius lib. 2. Sil. Talis in Iſthmiaco ploratus ab æquore portus Naufragus impoſita iacuit ſub matre Palæmon.

Cæſarius Afer genere, & Iulianus presbyter apud Terracinam ſub Claudio in mare præcipitati ſunt Calendis Nouembris.

Eupolis Athenienſis, poeta comœdiographus, nauigans in Helleſpontum, quo tempore Lacedæmones opprimebantur bello, naufragio periit.

Marcus Marcellus miſſus ad Maſſaniſam in Africâ, periit naufragio paullò ante tertium bellum Punicum. auctor Liuius. Cicero in oratione ad Piſonem: Marcus Marcellus, inquit, qui ter fuit conſul, ſumma uirtute, pietate, gloria militari, periit in mari.

Milo Tyrannus Piſæ, quum ſubditos multis afficeret tormentis & cruciatibus, ab eiſdem in mare demerſus eſt. Ouidius in Ibin: Vtq; Milo, ſub quo cruciata eſt Piſa Tyranno Viuus in occultas præcipiteris aquas.

Menander Græcus poeta comœdiographus, dum in exiguo nataret fluuio, ibidem ſubmerſus eſt. Ouidius in Ibin:

Comicus ut liquidis periit (dum nabat) in undis,

Et tua ſic Stygius ſtrangulet ora liquor.

Miſenus Aeneæ tubicen, dum Tritonē deum marinum ad tubæ certamen irritaſſet, ab eodem in mare deturbatus eſt. Virg. lib. 6. Aen.

Oenomaus ab oraculo monitus ſe tunc periturum, quum Hippodamia nuberet, procis eam petentibus certamen propoſuit, ut cum puella curſu contenderent, quæ propter Harpinnæ & Pſyllæ equorum celeritatem uidebatur inſuperabilis. conuenerat autem, ut uicti interficerentur, uictores eam ſibi haberent. quum ergo Pelops puellam deperiret, eius aurigâ Myrtilum, largitione corrupit: quem propterea Oenomaus in mare (quod ab eo Myrtoum dictum eſt) demerſit. Alij uolunt Myrtilum ab ipſo Pelope præcipitatum, dum ſuæ proditionis mercedem peteret. Ouidius in Ibin: Proditor ut ſæui periitq; auriga tyranni, Qui noua Myrtoæ nomina fecit aquæ. Seneca in Thyeſte.

De Pub. Terentio poeta comœdiographo & Teoxena muliere, uide hiſtoriam præcedentem.

Licet Virgilius dicat Turnum ab Aenea interfectum, ſūt tamen argumenta, quæ inficiantur: imò uerò Aeneam a Turno adactum ad mortem inferunt, ſubmerſumq; in Numicio fluuio dum inſequentem Turnū fugeret. quod & apud Virgiliū fateri uidetur Venus pro Aſcanio Iouem orans, deſperato iam Aenea, ubi ait: Aeneas ſanè ignotis iactetur in undis, Et quancunq; uiam dederit fortuna ſequatur; Incolumen Aſcanium liceat ſupereſſe nepotem. quum mortem prius Dido ei imprecata fuerat, ubi ait: At bello audacis populi uexatus & armis, Finibus extorris, complexu auulſus Iuli, Auxilium imploret, uideatq; indigna ſuorum Funera: nec quum ſe ſub leges pacis iniquæ Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur: Sed cadat ante diem, mediaq; inhumatus arena. Item Iuuen. de Romulo fulminato, & Aenea ſubmerſo loquens: Alter aquis, alter flammis ad ſidera miſſus. Ouid. quoq; in Met. ſic ait: Littus adit Laurens, ubi tectus arundine ſerpit In freta flumineis uicina Numicius undis. Hunc iubet Aeneæ quæcunque obnoxia morti Abluere, & tacito deferre ſub æquora curſu. Corniger exequitur Veneris mandata ſuiſq;, Quidquid in Aenea fuerat mortale, repur

gat. Item Tibullus lib. 2.

Decius imperator à Gotthis cum toto exercitu profligatus fugam arripiens paludis voragine absorptus est, nec postea inuentus. auctor Sextus Aurelius.

Argyropylus imperator, Zoæ vxoris & Michaelis Paphlagonis eius adulteri dolo, inter balneas aquis immersus obiit. Bap. Egnatius.

Atelstanus Edimundum adolescentem Anglorum regem in nauigio sine remige fluctibus perdendum exposuit, vno tantum comite. Volater.

Astorgius filius Galeoti Foroliuiensium principis, quum Ongam obsidionem Cæsaris ab Alexandro pontifice patre Imissi sustinuisset, ad extremum victus, & Romam ductus in Tiberim noctu præcipitatus est.

Britona filia Martis, se in mare deiecit, vt stuprum Minois regis posset effugere.

Cæyx maritus Alcyones ad oraculum nauigans naufragium fecit, in auem postea mutatus, vt fabulantur poetæ. Ouidius in Ibin: Nec tibi sit tumidis melior Neptunus in undis, Quàm cui sunt uisæ frater & vxor aues. Seneca in Agamemnone.

Clodomyrus Francorum rex Gundebaldo Burgundiæ rege superato, Sigismundum eius filium vnà cum sorore in puteum demersit.

Sfortia Attendulus, dum vni è ministris in Aterno fluuio periclitanti vellet succurrere, cum eo naufragium fecit. fuit is pater Francisci Sfortiæ.

Fredericus Aenobarbus imperator ad expeditionem Hierosolymitanam profectus, quum aliquot Armeniæ oppida iam cepisset, in amnis trâsitu periit.

Lycas quum venenatam Herculi tunicam attulisset, ab eo in mare Euboicum deiectus est. Ouid. in Ibin: Quàm qui dona tulit Nessæo tincta veneno, Euboicasque suo sanguine tinxit aquas.

Phronyma puella ab Etearcho patre rege Cretæ suasu nouercæ, in aquas præcipitata est, Themisone quodam sceleris ministro. auctor Herodotus.

De P. Malleolo matricida, Galeatio Mantuano, Eue-

no patre Marpissæ (qui omnes submersi sunt) iam sumus locuti in præcedente historia.

Marullus poeta Pontani discipulus (qui à Politiano æmulo & hoste suo, Mabilius dicitur, & quem ipse Ecnomum vocat) in amne Cecina submersus est.

Propertius lib. 3. scribit Pætum quendam, in Aegyptum causa pecuniæ comparandæ nauigantem, fluctibus obrutum fuisse, sic enim pecuniam alloquens ait: Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus, Obruis insano, terque quaterque mari.

Argynus puer formosus (quem Agamemnon habebat in deliciis) itidem submersus est. idem Propertius lib. 3. Sũt Agamemnonias testãtia littora curas, Quà notat Argini pœna minantis aquæ.

Quinctianus præses (sub quo passa est beata Agatha) dum flumen cum equis transiret, ab eorum vno excussus, & in aquas proiectus, miseram exhalauit animam.

Multi quoque ex martyribus eodem mortis genere extincti sunt, vt Ascla, Anastasius Aquileiensis, Florianus Hesychius, sub Diocleciano, Theogenes sub Licinio, Claudius Tribunus sub Numeriano, Callistus Papa sub Alexandro imperatore, Symphorosa sub Hadriano. item Apollonius, Philemon, Bassus, Antonius, Protolycus apud Alexãdriam, Callistus & Charisius apud Corinthum: Iocundianus apud Africam, Palatinus & Maxima virgo, & infiniti alij hac morte cæleſtem meruerunt lauream.

Roxana & Statyra Darii filia, duæ fuerunt Alexandri uxores seu concubinæ. quarum alteram Roxanam prægnantem Statyra in puteum demersit, solo ducta liuore, quòd Macedones præcipuis honoribus eam cumularent. auctor Plut. in Alexandro.

Qui suis casibus, aut naufragio nomina aquis imposuerunt.

Ægeus Athenienſium rex, mari Ægæo. Erithra rex mari Erithræo, seu rubro. Helle soror Phryxi, Hellesponto. Icarus Dædali filius, Icareo. Myrtilus auriga Oenomai, Myrtoo. Hesperides puellæ, Hesperio. Tyrhenus rex Lydorum, Tyrrheno. Tiberinus rex Tiberi fluuio Tuscorũ.

Euenus Eueno. Marsyas tibicen Marsyæ. Anius rex Tuscorum Anioni, qui & Anienus & Anien dicitur. Absyrtus frater Medeæ Absyrto Colchorum.

AB EQVIS OCCISI, ET discerpti.

HIppolytus falsò accusatus & suspectus stupri Phædræ nouercæ illati, dum patris Thesei furorem fugeret, arrepta fuga ab equis discerptus est. Ouid. lib. 5. Met. Excutior curru, &c. Idem lib. 3. Fast.

Hic latet Hippolytus loris discerptus equorum.

Vnde nemus nullis illud aditur equis. Ibidem lib. 5.

Hyppolyte infelix, uelles coluisse Dionem,

Dum consternatis diripereris equis. Ibid. lib. 6.

Exciderat curru, lorisq; morantibus artus,

Hippolytus lacero corpore raptus erat. Idem in Ibin: Vel tua (ne pœnæ genus hoc cognouerit unus) Viscera diuersis scissa trahatur equis. Sabinus in epistola Demophoontis ad Phyllidem: Non fratrem Hippolytum, cecidit miserabilis ille, Præceps attonitis per freta raptus equis. Seneca in Hippolyto quoque meminit.

Fuit alter Hippolytus martyr Romanus, qui pro CHRISTI nomine sub Decio principe, indomitis item equis alligatus & discerptus spiritum DEO reddidit.

Glaucus filius Sisyphi (qui apud Potniam regnauit) dum equas humana carne aleret, ab eisdem postremò deuoratus est. Virg. lib. 3. Georg. Scilicet ante omnes furor est insignis equarum: Et mentem Venus ipsa dedit quo tempore, Glauci Potniades malis membra assumpsere quadrigæ.

Metius Suffetius, dux Albanorum, quoniam in bello Fidenatium pactum & fœdus societatis cum populo Romano perfidè ruperat, captus postmodum uiuus quadrigis in diuersa nitentibus laceratus est, iussu Tulli Hostilii. auctor Liuius, & post Liuium Gel. li. 20. c. 1. Vnde Vir. li. 8. Aen.

Haud procul inde citę Metium in diuersa quadrigę Distulerant (at tu dictis Albane maneres) Raptabatq; uiri mendacis uiscera Tullus Per siluas, sparso rorabāt sanguine uepres.

Diomedes rex Thraciæ, dum equos suos humana carne aleret, ab Hercule illac iter faciente, equis ipsis datus est

in pabulum. Ouid in Ibin: Vt qui Threicii quondam præsepia regis, Fecerunt dapibus sanguinolenta suis. Seneca: Suisque regem pabulum armentis datum. Claudianus: Diraque sanguinei uertit præsepia regis, Et Diomedæos gramine pauit equos.

Neocles Themistoclis filius equi morsu interiit. auctor Plutar. in Themistocle.

Brunechildis Francorum regina, post multa flagitia spectante Cluthario, indomitis equis alligata, & membratim discerpta est. hoc scribitur in historia Adonis Viennensis.

Comminius à Gidica nouerca stupri falsò accusatus, metu Comminii patris currum conscendit, & in fuga more Hippolyti ab equis raptim distractus est. Dositheus apud Plutarchum.

Cęlius lib. 11. Lectionum antiquarum scribit Taraxippum quendam fuisse in Isthmo ab equis interemptum.

Limone puella adulterii comperta, ab Hippomene patre data est equo famelico deuoranda. Ouid. in Ibin.

Licinius imperator, quum Herinam virginem filiam suā (quòd Christiana esset) equis dedisset conculcandam, ab eorum uno morsu interfectus est.

Hercules regem Eubœæ Pyrrechmem Bœotiis bellum inferentem, uictum equis discerpendum exposuit apud Heraclium flunium. auctor Plutar. in Paral.

Abderus unus fuit eorum, qui ab equis Diomedis Thraciæ regis interfecti sunt & deuorati. auctor Ægidius Maserius in Valerij Argonautica.

EQVORVM LAPSV MORTVI.

NIpheus, Virg. lib. 10. Quin ecce Niphei, Quadriuges in equos, aduersaque pectora tendit. Atque illi longè gradientem & dira frementem, Vt uidere metu uersi retroque ruentes Effunduntq; ducem, rapiuntq; ad littora currus.

Leucagus. Virgil. 10. Æneid. Excussus curru moribundus uoluitur aruis.

Ligeris frater Leucagi eodem quoq; modo excussus est: idem Virg. ibidem, Frater tendebat inermes Infelix palmas curru delapsus eodem.

Clonius. ibid. Illum infrænis equi lapsu tellure iacentem Obtruncat.

Remulus. Idem lib.11. Orsilochus Remuli (quando ipsum horrebat adire) Hastam intorsit equo, ferrumq; sub aure reliquit. Quo sonipes ictu furit arduus, altaq; iactat Vulneris impatiens arrecto pectore crura. Voluitur ille excussus humi.

Thymetes quoque equo suo excussus in bello interfectus est. Idem Virg. lib. 12. Et sternacis equi lapsum cerutice Thymetem.

Amycus. Idem Virg. in eodem: Turnus equo deiectum Amycum, fratremq; Diorem Congressus pedes, hunc uenié tem cuspide longa, Hunc mucrone ferit.

Antonius Vicus. Pamphilus Saxus: Non equus Antoni sæua te morte peremit, Vice, licet corpus presserit ille tuum. Fræna trahens sed tu mortis tibi causa fuisti. Non poteras fato candidiore mori.

Agenor lapsu equi inserta ori manu extinctus est. Ouid. in Ibin: Vtq; loquax in equo est elisus gutture Agenor, Sic tibi claudatur pollice uocis iter.

Bela, rex Pannoniorum, frater Andreæ, & filius Vazulis regum decessit lapsus equo membris luxatis & dilocatis, anno regni sui tertio.

Stenobæa Prœti uxor, quum Bellerophontem ad coitum non posset inducere, eum coram marito stupri postulauit. Stenobææ uerbis fidem adhibens Prœtus, Bellerophontem periculis obiecit, ac primùm ad superandam Chimæram misit. quam quum uicisset, elatus uictoria in cælum Pegaso equo alato uoluit conscendere: sed ulciscente Nemesi decidit. Ouid. in Ibin: Quiq; ab equo præceps alienis decidit aluis, Exitio facies cui sua pænè fuit.

Seleucus Calinicius Antiochi cognomento Dei filius, & Syriæ rex ex equo lapsus excessit.

Lego in historiis Gallorum Philippum Ludouici Crassi filium equi lapsu itidem periisse.

Fulco Andagauensium comes, quinctus rex Hierosolymarum, equo in caput uerso occubuit, quum regnasset annis undecim.

A SERPENTIBVS OCCISI.

Laocoon Troianus percussa in uterum fatali machina, pœnam luisse dicitur duobus filiis à serpentibus occisis. quibus dum presidio esse uellet, eadem perijt morte. Virgil. lib. 2. Ouid. in Ibin: Quàm puer Hypsiphyles, quàm qui caua primus acuta Cuspide suspecti robora fixit equi.

Euridice, Orphei uxor, Aristeum (à quo adamabatur) fugiens morsu colubri in herba latentis interfecta est. Orpheus apud Ouidium lib. 10. Causa uiæ est coniunx, in quā calcata uenenum Vipera diffudit, crescentesque abstulit annos. Idem: Occidit in talum serpentis dente recepto. Idem in Ibin.

Hesperie puella Æsacum Priami filium (à quo itidem adamabatur) fugiens serpentis morsu periit. Ouid. li. 11. Met. Ecce latens herba coluber, fugientis adunco Dente pedem strinxit, uulnusque in corpore liquit.

Orion quum se iactasset, nullum à terra monstrum produci posse, quod non conficeret, terra ipsa peperit scorpionem, a quo interfectus est. Ouidius lib. 9. Met.

Opheltes (qui alio nomine Archemorus dicitur) filius Lycurgi regis Nemeæ, dum negligéter Hypsiphyle nutrice custodiretur, serpentis morsu extinctus est. Ouid. in Ibin: Quàm puer Hypsipyles quàm qui caua primus acuta Cuspide suspecti robora fixit equi. Statius lib. 2. Siluarum, & lib. 5. Thebaidis.

Xanthus historiarum auctor, tradit apud Plinium lib. 25. Tillonem à dracone interfectum, ac demum herba (quā Balim dicunt) restitutum saluti.

Sulpicius in Lucanum ait Canopum gubernatorem nauis Menelai, aspidis morsu apud Canopū Aegypti urbē occisū.

Politianus in Nutricia scribit Ampycidem in Libya serpentis morsu interfectum, ubi ait: Ampycidemque pium, Libycis quem strauit arenis Vipera, fatifero fauces accensa veneno.

Demetrius Phalereus, auditor Theophrasti, & præfectus Bibliothecæ Ptolemæi Soteris, excessit ex morsu aspidis. Ouidius in Ibin.

Orestes furore liberatus, quum Thisamenem filium imperio Mycenarum suffeciſſet, serpentis itidem morsu periit. Ouidius in Ibin: Vtq; Agamemnonio, &c.

Seneca in Medea scribit Idmona à serpente in Libya cæsum, ibiq; sepultum, vbi ait: Idmonem (quamuis bene fata nosset) Conscidit serpens Libycis arenis. Quidius tamé scribit ab apro interfectum, vt postea docebimus.

Iam diximus Cleopatram ab Augusto superatam, mordendum aspidi porrexisse brachium, ne in triumphum duceretur. Propert. lib. 3. Brachia spectaui sacris admorsa colubris, Et trahere occultum membra soporis iter.

AB APRIS OCCISI.

ADonis Cynaræ ex Myrrha filius, Veneri ob formā carissimus, dum venaretur, ab apro interfectus est. Ouid. lib. 10. Met. Fixerat obliquo iuuenis Cynaræius ictu, Protinus excussit pando venabula rostro, Sanguine tincta suo, trepidumq; & tuta petentem Trux aper insequitur, totosq; sub inguine dentes Abdidit, & fulua moribundum strauit arena. Proper. lib. 1.

Martialis lib. 1. ait Dædalum quendam feris obiectum, ab apro laniatum fuisse. Dædale Lucano quum sic lacereris ab apro, Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas?

Idmonem vatem licet Seneca dicat à serpente interfectum, Ouid. tamen in Ibin, & Politianus in Nutricia, ab apro occisum volunt. Ouidius sic: Quique Lycurgidem laniauit ab arbore tractum, Idmonaq; audacem, te quoque rumpat aper. Sic Politianus: Quid ue loquar te Glauce senex, plenumq; parente Idmona, fulminei prostratum dentibus apri?

Anceus filius Astypaleæ Phœnicis & Neptuni filiæ, rex Sami, dum vellet occidere aprum agros suos vastantem, ab eodem est interfectus. Volat.

Bruthem Lycurgi filium ex arbore detractum aper laniauit. Ouidius in Ibin: Quiq; Lycurgidem laniauit ab arbore tractū Idmonaq; audacem, te quoque rumpat aper. Volater. tamen facit Anceum Licurgi filium, Domicius verò Calderinus hoc ad Bruthem refert.

A LEONIBVS OCCISI.

HYas Atlantis ex Aethra filius dum venaretur, à lexna interfectus est. Ouidius lib. 5. Fastorum: Dūq; petit latebras fœtæ catulosque lexnæ, Ipse fuit Libycæ præda cruenta leæ. Mater Hyam, & Hyan mæstæ fleuere sorores, ceruicemq; polo suppositurus Atlas.

Paphagex rex Ambraciæ, dum occurisset Lexnæ canæ catulis suis stipatæ, ab eadē interfectus est. Quidius in Ibin: Fœta tibi occurrat patriq popularis in aruo, Sitq; Paphageę causa Lexna necis.

Sacyrus & Perpetua martires, quum nullis tormentis, nullisque comminationibus ab orthodoxæ fidei cultu diuerti possent, leonibus deuoti sunt, & ab eis deuorati: Valeriani & Galeni tēporibus sub præside Tarnutio. Volaterranus.

Ignatius Episcopus Antiochenus, quum neglectis tormentis constans in fide persisteret, iussu Traiani imperatoris leonibus destinatus est, & ab eisdem præfocatus.

A CANIBVS OCCISI.

LInus filius Apollinis ex Psamata Crotopij Argiuorū regis filia, à matre apud Nemeum fluuium expositus, ibidem à canibus laniatus est. Ouid. in Ibin: Quiq; verecundæ speculantem membra Dianæ, Quiq; Crotopiadem diripuere Linum. Statius lib. 1. Theb.

Neanthus propter chelyn Apollinis temere affectatam, deo vindice à canibus discerptus est. Politianus in Nutricia: Improbus hanc stulte chelyn affectare Neāthus Ausus, Appollinea pendentem sustulit æde: Quem tamen indocto ferientem pollice chordas, Vindice discerpsit rictu nocturna canum vis.

Euripides poeta noctu rediens à cena Archelai regis Macedoniæ, canibus à Promero quodam æmulo immissis, extinctus est. Politianus in Nutricia: Quemq; tegit rabidis lacerum pia Pella molossis. Ouidius in Ibin.

Thrasus puer Delius Dianæ carissimus, à canibus ita 'em interfectus est. Ouidius in Ibin: Prædaq; sis illis, quibus est Latonia Delos, Ante diem rapto non adeunda Thraso.

Scribit Plinius lib. 7. Consyngem reginam propter libetiorem cum marito Nicomede rege Bithyniæ ac lasciuio-

rem iocum, fuisse interfectam à regis cane.

Diogenes philosophus decessit ex morsu canis eodem die, quo Alexãder Macedo in Babylone mortuus est. Volat.

Heracletus philosophus quum esset hydropicus, ad remedium seuo bubulo se vnxit, atque soli siccandum prębuit: sepultus itaque somno, à canibus laniatus est.

Actæon filius Autonoes, dum inter venãdum Dianam in fonte nudam conspexisset, dea vleiscente in ceruum mutatus est, & à canibus suis laceratus. Ouid. in Ibin. item lib. 3. Met. Seneca in Thebaide.

Lucianus Sophista Samosatenus, qui Traiani temporibus floruit, à canibus laniatus est, non sine diuinæ vltionis suspicione. nam cùm primùm esset Christianus, à catholica fide postea deficiens, religionem insectari cœpit. Volaterranus.

FERARVM MORSV EXTINCTI.

Euocatus & Felicitas martyres, à leopardis comesti sunt imperantibus apud Romanos Valerio & Galeno, sub Tarnutio præside.

Milo Crotoniates, dum nimia roboris confidentia, arborem in geminas partes vellet diducere, manibus in medio conatu districtis ibidem retentus est, & à feris comestus. Pausanias apud Cælium ait à lupis fuisse deuoratum. Ouid. in Ibin: Vtq; Milo robur diducere fissile tentes, Nec possis captas inde referre manus.

Saturninus episcopus Tholosanus, dum acerrime pro Christiana fide pugnaret, ferocis tauri cornibus alligatus, membris confractis, & illiso cerebro Domino spiritum reddidit.

Legimus apud Sybarim, pastorem fuisse Crathim, qui, quum in libidinem esset procliuior, capellam omnium formosissimam deperire cœpit. quumq; Veneris incẽdio acrius titillaretur, eam frequenter imbat, ac vti amicam gratè amplexabatur, non sine multa suauiatione. quinetiam minuscula ei offerebat, pabulum videlicet lætius amœniusq; molles quoque substernebat accubitus, quibus velut nympha decumberet, & mollius quiesceret. quod contemplatus dux gregis hircus œstro zelotypiæ agitatus, dormientem adortus est, eiq; sinciput illisit. hoc ex historiis Græcis aduocant Volater. & Cæl.

Basilius Macedo imperator, quum annis xx. imperasset, à ceruo in uenatione percussus cornu, interiit.

Hatto Archiepiscopus Maguntinus, à muribus in Rheno fluuio deuoratus fertur, non sine maxima diuinæ uindictæ suspicione, quòd multitudinem pauperum (quibus se eleemosynam daturum simulabat) tempore famis in horreo fecisset concremari.

Euphemia uirgo Philophronis senatoris filia sub proconsule Prisco urlis & leonibus obiecta, ab eisdem interfecta est.

Siluanus Tyri præsul, sub Diocleciano imperatore, amore Christianæ pietatis non grauatus est feris exponi.

Priscus, Malcus, Alexander martyres apud Cæsaream Palestinæ passi sunt sub Valeriani persecutione, & pro CHRISTI nomine à bestiis deuorati.

Flocellus martyr temporibus Antonii imperatoris passus est apud Augustudunum, & iussu Valeriani præsidis feris expositus, à quibus deuoratus est.

Germanicus sub M. Antonio, & L. Aurelio Smyrnæ passus est, ac post infinita prope tormenta, bestiis obiectus, à quibus fractim comminutus, uitam cum morte mutauit.

Pyrene puella Bebrycis filia, in Pyrenæo monte ab Hercule compressa, atque à feris ibidem laniata est & sepulta. à cuius nomine monti quoque impositum nomen.

Gatis regina Siriæ (quæ postea Atergatis uocata est) piscibus data & deuorata dicitur. auctor Antipater Tarsensis apud Volater.

FVLMINATI, SEV FVLmine percussi.

Enceladus gigas terræ filius, à Ioue fulminatus est cum ceteris fratribus, quòd Iouem ipsum cælo detrudere uoluisset. auctor Aetnæ: Gurgite Trinacrio morientem Iuppiter Aetna Obruit Enceladum: uasti quoque pondere montis Aestuat, & petulans exspirat faucibus ignes. Virg. lib. 3. Aen. Fama est Enceladi semustum fulmine corpus, Vrgeri mole hac, ingentemq; insuper Aetnam

Impositam. Seneca in Hercule Oetæo: Scindetq; latus mótis aperti Nondum Encœladus fulmine uictus.

De Typhœo gigante, Ouid. lib. 3. Met. Nec quo centimanum deiecerat igne Typhœa, Nunc armatur eo. Lucanus: Vndat apex Campana fremens, cui saxa uaporat Conditus Inarimes æterna mole Typhœus.

De ceteris gigantibus Virg. lib. 6. Aeneid. Hic genus antiquum terræ Titania pubes, Fulmine deiecti fundo uoluuntur in imo. Seneca in Agmemnone: Quale canebas, quum Titanas, fulmine misso fregere Dei.

Aiax Oileus ab expeditione Troiana rediens, à Pallade fulminatus est, quòd in eius templo Cassandram virginem stuprasset. Vig. lib. 1. Aen. Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem, Disiecitq; rates, euertitq; æquora ventis. Illum exspirantem transfixo pectore flammas Turbine corripuit, scopuloq; infixit acuto. Sylius lib. 14. Valer. Flaccus lib. 1. Argon. Ouid. in Ibin. Politianus in Ambra quoque meminit.

Phaethon Solis & Clymenes filius, dum currum patris temere regendum suscepisset, equis insolitum aurigam non audientibus, fecit, ut totus conflagraret mundus: ac propterea fulmine percussus, in Padum cecidit, qui ab eo Phaethontæus dicitur. Lucretius lib. 5. Ignis enim superauit, & ambiens multa peruasit, &c. Claudianus in quartum cons. Honorij: Sequiturq; dies, terramq, & stagna propinqui, Haurirent radij. Plin. lib. 7. Padus à Græcis dictus Eridanus, ac pœna Phaethontis illustratus. Idem lib. 37. Phaethontis fulmine icti sorores mutatas in arbores populos poetæ dixere: Ouidius in Ibin.

Remulus filius Tiberini regis fulmine percussus est. Ouid. lib. 14. Met. Remulus maturior annis, Fulmineo periit imitator fulminis ictu.

Semele Bacchi mater Iouiali fulmine tacta est, quòd Iouem ipsum orasset, ut secum tantus, quantus cum Iunone iaceret. Propert. lib. 3.

Capaneus maritus Euadnes in bello Thebano fulmine percussus dicitur. quod ideo fingunt poetæ: quoniam quũ scalis admotis muros vellet conscendere, iactu lapidum ab

inimicis oppressus est. Ouidius lib. 4. Tristium: Quum cecidit Capaneus subito temerarius ictu. Idem lib. 3. de Ponto: Notior est factus Capaneus fulminis ictu. Idem ad Liuiam. Et Propertius lib. 2.

Marullus in Epigram. mortem Autolemi fulmine percussi sic describit: Dixerat Autolemo flammas consultus aruspex Die cauendas postero. Credidit, & rerum dubius deinane sub amnis Delituit Hetrusci vadis. Sed neq; sic factũ effugit. Nam dum innatat Arno, Ictus crematur fulmine.

Salmoneus rex Elidis, quum Iouis fulmen in aere mentiretur, vt propterea crederetur deus, ab ipso Ioue fulminatus est. Virg. lib. 6. Aen. Vidi & crudeles dantem Salmoneapœnas, Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi. Quattuor hic inuectus equis & lãpada quassans, Per Graium populos mediæq; per Elidis vrbem Ibat ouans, &c.

Anastasius imperator quum iam VII, & XX. imperij annum ageret, ictu fulminis percussus interiit.

Menius Lycaonis filius, quum patre in lupum verso, & domo conflagrante Iouem detestaretur, ab eodem fulmine percussus est. Ouid. in Ibin.

Plinius lib 2. ait Martiam grauidam partu fulmine exanimato superuixisse citra vllum corporis incommodum. Idem scribit, M. Herennium decurionem, sereno die fulmine ictum fuisse.

L. Piso apud eundem Plinium auctor est, Tul. Hostilium fulmine itidem suffocatum, quòd quædam parum ritè fecisset, & sacrificio Iouem ipsum cælo deuocare voluisset. auctor etiam Plutarchus in Numa Pompilio.

Aesculapius Apollinis ex Coronide filius, Iouiali fulmine percussus est, quòd Hippolytum mortuum ad vitam reuocasset, vt ait Plinius lib. 29. cap. 1. Vnde & Virg. lib. 7. Aen. Tum pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris Mortalem infernis ad limina surgere uitæ, Ipse repertorem medicinæ talis, & artis Fulmine Phœbigenã Stygias detrusit ad undas.

Zoroastres rex Bactrianorum, Oromasi filius, & artis magicæ repertor, igne quoque cælesti absumptus creditur. Volaterranus.

Adimanthus rex Phileſiorum, quum Iouem ſuis indignũ ſacrificiis iudicaret, ab eodem fulmine percuſſus eſt. Ouid. in Ibin: Quæq; in Adimanthum Phileſia regna tenentem, A' Ioue uenerunt, te quoq; tela petant.

Aſopus Oceani filius, dum propter Aeginam filiam à Ioue ſtupratam bellum ſuis undis in aſtra uellet gerere, ab ipſo Ioue fulminatus dicitur. Statius: Donec ui tonitru ſum motus & igne triſulco, &c.

Aurelius Carus quum biennio imperaſſet, in caſtris ſupra fluuium Tygridem exanimatus fulmine, occubuit. auctor Fl. Vopiſcus.

Chore filius Iſahar, cognatus Moſis ex leuitarum tribu natus, quum de ſacerdotio cum Aarone contenderet, igne cæleſti periit.

Preſter filius Hippomenis, quum deos deteſtaretur, itidem fulminatus eſt. Sabellicus.

Atrax quoque quum Doſithoem uiolatam à Ioue prodidiſſet, Deo ulciſcente ictus eſt fulmine. de utroque memi nit Ouid. in Ibin: Aut Iouis infeſto telo feriare triſulco, Vt ſatus Hippomene, Doſithoesq; pater.

Porphyrio filius Siſyphi paternam in deos imitatus impietatem, itidem cæleſti ſuffocatus eſt igne. Ouid. in Ibin: Vt ferus Aeolides, ut ſanguine natus eodem, Quo genita eſt, liquidis quæ caret Arctos aquis.

CRVCE, ET SVSPENDIO mortui.

OMnium, qui cruce perierunt, nemo maiore ludibrio affectus eſt, nemo pluribus tormentis afflictus, nemo frequentioribus plagis mutilatus, quã intemeratæ uirginis innocens filius. nulla in eo peccati ſcintilla reperta eſt: nihil deliquit unquam: mundus ex mũda matre natus eſt: mundè uixit, iuſtitiam & æquitatem uerbo ſemper & opere docuit. neque tamen puduit uerpos illos & recutitos canes, liuore & inuidia tabeſcentes cauſam machinari, qua eum morti traderent. quam licet nullam reperiſſent, agnum tamen primùm flagellis ubique membrorum mutilauerunt, frontem corona ſpinea perforauerunt, faciem immundis deformauerunt ſputis, colaphis immanibus totum caput condulerunt, latronis more uinxerunt, uinctum ad maiorem ignominiam traxerunt compitatim, & ad extremum inter latrones ueluti latronem ſuſpenderunt. quod quum ad mortem non putarent ſufficere, manus & pedes clauis, latis lancea confoderunt.

Illum ego de Libyca natum iurabo leæna,
Areadiasq; inter delituiſſe lupas;
Cui tua crux lacrymas non nouerit, ò bone CHRISTE,
Ille erit & ferro durior & chalybe.

Diſmas Aegyptius natione, unus fuit eorum latronum, qui cum CHRISTO patibulati ſunt. huic autem dominus in cruce pepercit, & ſtatim poſt mortem ſua clementia ad cælum euocauit.

Achæus rex Lydię, quum noua tributa à populo uellet extorquere, in factione populari ſuſpenſus eſt, pedibus ſurſum verſum erectis, & capite in aquas Pactoli demiſſo. Ouid. in Ibin: More uel intereas capti ſuſpenſus Achæi, Qui mi ſer aurifera teſte pependit aqua.

Hadingus rex Danorum regreſſus è bello Suetico, ubi ærarium pecunia ſpoliisque bellicis furto uiolatum comperit, cuſtodem eius Glumerum ſuſpendio affecit. auctor Saxo grammat.

Dario in Græcos bellante, Hiſtiæus Mileſius, ab Harpago Darij tribuno captus, & cruci affixus eſt. auctor Herod.

Artayctes uir Perſa Seſti præfectus, ab Athenienſibus Xantippo Antiphronis filio duce captus, ſtipiti ſuffixus eſt. auctor Herodotus.

Amata Lauiniæ mater ægreferens filiam Aeneæ copulatam, quam contra uotum patris Turno nuptã dari uolebat, ſeipſam ſuſpendit, & uitã laqueo finiuit. amabat enim Turnum, adeò ut cum exiſtimaret eum mortuum, ad mortem ipſa cucurrerit. Virg. lib. 12. Infelix, &c.

Arachne Lydia puella, lanificii peritiſſima, ægreferens opus ſuum à Palladę (quacum certamen ſuſceperat) confractum, laqueo iugulum præfocauit. Ouid. lib. 6. Met.

Non tulit infelix, laqueoq; animoſa ligauit
Guttura. pendentem Pallas miſerata leuauit:
Atque ita, uince quidem, pende tamen improba, dixit.

Marsya tibicen ab Apolline uictus, pependit laqueo. quòd innuit Plin. lib. 16. cap. 45. Ibi, inquit, Platanus ostenditur, ex qua pependit Marsya uictus ab Apolline.

Arnulphus septimus Gallorum imperator, Bergamo capta, Ambrosium eius loci principem suspendio enecauit. Sabellicus.

Capronia uirgo Vestalis stupri comperta, suspendio affecta est. oportebat enim eas in uirginitate persistere, quæ ministerio Vestæ allegabantur.

Helena post mortem Menelai à Megapentho & Nicostrato filiis Orestis fugata, in Rhodum ad Polyzo uxorẽ Tleopoleni, siue Tlepolemi peruenit. cui quum suspecta esset ob uiri zelotypiam, eiusdem mandato arbori suspensa est. auctor Pausanias apud Volater.

Alexander Macedo mortuo Ephestione, quem unicè diligebat, medicum eius Glaucum cruci suffixit. auctor Plutar. in Alexandro.

Beatus Andreas & Petrus pro CHRISTI nomine arboribus suffixi sunt. hic sub Nerone, ille sub Aegea proconsule: hic capite deorsum uersum demisso, ille sursum uersum erecto. de utroque Ioannes Fran. Mirandula sic scribit in hymnis: Extenditq; alacer, figendaq; brachia lætus Porrigit Andreas, versiq; sub arbore pendet: Et caput in terrã simili sub stipite Petrus Præbuit, atque lubens protendit in aera plantas.

Dorothæus & Gorgonius martyres pro Christiana pietate uitam suspendio finiuerunt sub Diocleciano imperatore: mortuorumq; corpora famelicis canibus obiecta sunt, quæ illæsa remanserunt.

Symeon filius Cleophæ, post Iacobum fratrem domini Hierosolymarũ episcopus, sub Traiano imperatore, crucis patibulo spiritum emisit.

Zoe Nicostrati martyris uxor in furcam erecta, ibidem cum morte uitam mutauit, partim crucis tormento, partim fumo, quem carnifices ad arboris radicem posuerant, suffocata.

Petrus Aulanus tempore Diocleciani & Maximiani imperatorũ, supplicio crucis uita finiuit, sub Seuero præside.

Bomilcar

Bomilcar Amilcaris filius Pœnorum dux, ueniens in suspicionem Carthaginiensium, cum Agathocle conspirasse, in medio foro patibulatus est. Ferunt autem eum cruci iã affixum magnis clamoribus, multisq; conuiciis, subditorum ingratitudinem obiurgasse, & inter clamores spiritum emisisse. Iustinus lib. 2.

Hanno Carthaginiensis (qui Philippi regis Macedonum floruit ætate) quum ob potentiam, tyrannum uellet inducere, captus à ciuibus uirgis primùm cæsus est, deinde effossis oculis, fractisq; cruribus & manibus cruci affixus. auctor Trogus.

Val. Bestius à L. Imbrico affixus est cruci, quòd Ruscium ipsius Imbrici filium, sue fidei commissum interfecisset, ut eius auro potiretur. Aristot. apud Plutar.

Polycrates tyrannus Samiorum, & pater Silosontis, quũ tota uita felicissimus fuisset, ad extremũ ab Oræte Persa cõprehensus, & in furcam erectus, docuit cum Solone nihil omni ex parte beatum. auctor Herodotus in Thalia, & Strabo lib. 14. Mantuanus de Fortuna Gonzagæ, Inuenies unũ toto qui uixerit æuo, &c.

Sataspes Persa Teaspis filius à Xerxe rege cruci affixus est, quòd Zopyri filij Megabysi filiam uirginem uitiasset, quodq; etiam totam Africam non peragrasset, quod se fecisse ad diluendum stuprum dixerat. auctor Herodotus.

Idem Xerxes Leonidem Spartanorum regem ac principem bellica uirtute clarum iussit absciso capite in cruce tolli. auctor Herodotus.

Simon puer Tridentinus sedente Xysto quarto Pontifice die Veneris (quo CHRISTVS pro nobis cruce immolatus est) à Iudæis clam comprehensus, omnibusque tormentis prius affectus, demum cruci affixus est.

Daphitas Grammaticus, quum reges conuiciis aspergeret, & probris notaret, comprehensus in Thorace monte itidem erectus est in crucem. vnde est adagiũ: Cauere Thoracem. Eras. in Chil. Strabo lib. 14.

Narses rex Italiæ Sindualdum Brentorum regem prius victum, donatumq; uenia, quum iterum rebellasset, captũ in trabe suspendit. auctor Paulus Diaconus lib. 2. de gestis

Longobardorum.

Alexãder & Epipodius martyres passi sunt apud Lugdunũ sub Antonio Vero, & pro CHRISTI nomine patibulo crucis affixi.

Claudius quoque, Asterius, & Menon, dum Christianã profiterentur religionem, & gentilem insectarentur hæresim, post multa supplicionum genera, tandem in crucem erecti sunt, eaque morte spiritum domino reddiderunt.

S. Agricola Vitalis magister, itidem pro fide orthodoxa suffixus est patibulo, temporibus Diocleciani & Maximiani imperatorum. Sabellicus.

Iulia uirgo Carthaginiensis, dum idola & simulacra deorum contemneret, Christianamq; profiteretur religionem, eodem mortis genere animam efflauit.

Nemesius martyr sententia Aemiliani iudicis apud Aegyptum inter latrones patibulatus est.

Nestor episcopus eandem subiit mortem sub Decio imperatore, & Pollione præside.

Ludouicus Hutinus Philippi Pulchri filius rex Gallorũ, Enguerranum quendam inter Gallos auctoritate & opibus pollentem crucifigi fecit. Volat.

Pleriq; alij vitã suspẽdio & furca clauserũt, vt Lycambes Biblis, Phyllis, Monyma Mithridatis vxor, Calluce, Anaxarete, Auctolia, Bubalus, Silanus, T. Mãlij filius, Iudas, Erigone. de quib⁹ quoniã iã sumus locuti, nihil hic repetemus.

SITI, ET FAME MORTVI.

ERisicthó, vt iam diximus, propter neglecta Veneris sacra ad tantam famem adactus est, vt propria membra corroserit. Ouidius lib. 3. Metam.

Sic epulas omnes Erisicthonis ora profani
Accipiunt, poscuntq; simul. cibus omnis in illo
Causa cibi est, semperq; locus fit inanis edendo.

Pausanias ab Agesilao patre inedia consumptus est, quòd pecuniam à Xerxe accepisset, vt Spartam proderet. auctor Chrysermus apud Plutarchum.

Sisigambis Darij Persarum regis mater inedia extincta est, quum cibo aliquandiu abstinuisset. Curtius lib. 4. de gestis Alexandri ait eam itineris continui labore, animiq;

ægritudine fatigatam, inter manus filiarum cecidisse. de mum lib. 9. die quincto extinctam, quo mori statuerat, cibo & luce, dedita opera, sibi substractis.

Eurysthenes à matre inedia interfectus est, quòd malè in bello pugnasset. Ouidius in Ibin:

Obstrictusq; famem patiaris limine tecti:
Vt legem pœnæ cui dedit ipsa parens.

Vgolinus Pisanorum comes, quum à suis expulsus patriã bello oppressisset, tandem captus per proditionem, vnà cum liberis fame absumptus est.

Neocles Scyoniorum tyrannus, à suis ob crudelitatem fame & frigore extinctus est. Ouidius in Ibin:

Aut vt oliuifera quondam Sicyone profecto,
Sic frigus mortis causa, famesq; tuæ.

Aristo Poeta ab Athenienſibus fame extinctus est, quòd suis carminibus eorum laudes fuisset insectatus. Ouidius in Ibin: Vt ve parum stabili qui carmine læsit Athenas Inuisus pereas deficiente cibo. Solent luculenti scriptores his multum gloriæ comparare, quos suis dignantur monumentis. contrà verò inepti, qui suis modulis se non metiuntur, & multa supra vires audent tantum probri & ignominiæ afferunt, quantum illi honoris & famæ. propterea non verto crimini Alexandro, quòd insulsum versificatorem Chœrilum (quem præconem suorum dedignabatur factorum) inedia suffocauerit, dicente eodem Ouidio:

Inclususq; necem cauea patiaris, vt ille
Non profecturæ conditor historiæ.

Richardus secundus Eduardi filius, puer admodum ab Anglis fame extinctus est, quòd inutilis regno videretur. O duræ ceruicis populum, cui semper fuit moris secundum aut tertium quemq; regum crudeliter enecare.

Cleantes Philosophus Zenonis discipulus, dum cibum sibi subtraheret, vt cuidam morbo (quo laborabat) mederetur, nimia inedia se peremit. Laertius.

Pomponius Atticus Ciceronis amicus, morbo quodam in senectute correptus, seipsum abstinentia cibi itidem suffocauit. Cor. Nepos.

Gabinus presbyter ciuis Romanus iussu Diocleciani im-

peratoris in carcerem coniectus est, ibiq; fame extinctus, quòd Christianam profiteretur religionem.

Orator, Fortunatus, Felix, & Silinus martyres, apud Alexandriam pro CHRISTI nomine fame & inedia interfecti sunt.

Murita martyr ab Elpideforo quodam Arriano in exsiliũ missus, ibidem fame & frigore extinctus, vitam cum morte mutauit.

Volaterranus ait Thaleta philosophum (dum Gymnicum certamen prospiceret) æstu & siti absumptum fuisse.

Benedictus sextus pontifex à Cincio ciue Romano in carcerem detrusus, ibidem fame enectus est, vel (vt alij volũt) strangulatus.

Bonifacius octauus, dum inimicitias cum Philippo Gallorum rege exerceret, rex Sciarram Columnienſem in eum misit, qui captum Pontificem in carcere fame extinxit.

COMBVSTI.

PErillus rogatus à Phalaride Tyranno Agrigentino, vt nouum tormenti genus ad plectendos reos comminisceretur, taurum æneum excogitauit, quo inclusi flãmis suppositis perirent, & boum mugitus imitarentur. quã pœnam primus expertus est. Ouid. in Ibin: Aere Perillæo veros imitere iuuencos, Ad formam tauri conueniente sono. Idem lib.5. Tristium: Ipse Perillæo Phalaris permisit in ære Edere mugitus, & bouis ore queri. Plin.cap.8.l.34.

Macedon mulier (à cuius nomine Macedonia dicta est) igne cælesti vnà cum marito absumpta est. Ouidius in Ibin:

Vt Macedon icta est rapidis cum coniuge flammis,
Sic precor ætherei vindicis igne cadas.

Scribit Plinius lib.7. Nat. hist. Auiolam consularem in rogo viuum fuisse crematum.

Fama est Cæsium Bassum poetam lyricum in suis prædiis ardente Vesuo, lateque vagantibus flammis cum villa sua conflagrasse.

Eustathius Traiani aulicus, dum ceruum in venatione sectaretur, viso inter eius cornua crucis simulacro auditaque hac voce: Cur me persequeris, statim conuersus est vnà cum Theophita vxore. quod vbi postea resciuit Traianus,

ambos in tauro æneo comburi iussit. Volaterranus.

Plinius secundus, quũ nihil in maiore negotio haberet, quàm rerum naturalium causas scrutari, periit in Veseui montis incendio, dum rationem vellet inquirere.

Polycarpus Ioânis discipulus & Smyrnæ præsul, pro Christiana pietate palàm, & spectante populo in amphiteatro combustus est. Volater.

Valens imperator fratre Valentiniani, prœlio superatus à Gothis, in tugurio (quò spe salutis confugerat) ab eisdem crematus est. Sex. Aur.

Alexander Milesius, Polyhistor cognominatus, libertus Cor. Lentuli grammaticus, apud Laurentes ex incendio crematus est Syllæ tẽporibus. auctor Suidas apud Volaterranũ.

Alcibiades Clyciæ filius, dum in Phrygia ab Athenienſibus exsularet, percussorum (qui immissi fuerant) decreto viuus in cubiculo crematus est. Ouid.in Ibin.

Clyciadæque modo circundatus ignibus atris,
Membra feras Stygiæ semicremata neci. Iust.lib.5.

Innocentius tertius iussit Almericum hæreticum (qui docebat Ideas in mente diuina creare, & creari) apud Lutetiam coburi. Volat.

Clotarius rex Gallorum, cum Conabro Britonum duce bellum gessit, victumque interfecit, & Crominum eius filium nothũ, una cum uxore ac liberis cremauit.

Medea ægre ferens se ab Iasone relictam, sibique Creusam seu Glaucam Creontis filiam superinductam fuisse, nouæ nuptæ dona quædam misit nuptialia, quæ eidem & toti domui incendium attulerunt. Propertius libro 2. Aspice quid donis Eriphyla inuenit amaris, Arserit & quãtis nupta Creusa malis. Nigidius tamen apud Maserium ait, Corinthi fontem esse Glaucem nomine, in quem se illa præcipitauit, quum aduersus Medeæ ueneficia ignesque id sibi speraret profuturum.

Saxo lib.7. historiarum Danicarum ait Frothonem regẽ incendio consumptum fuisse, & in antro, quò confugerat, flamma & fumo fuisse suffocatum.

Phalaris tyrannus Agrigentinus, dum ciues suos multis torqueret suppliciis, à populo una cum liberis & coniuge

crematus est, & in eodem tauro, quo reos puniebat, lege talionis suffocatus. Ouid. in Ibin:

Vtque ferox Phalaris lingua prius ense resecta, &c.

Nicias fuit inter uenatores quispiam uenandi ardore cõcitatior, dum feras immissis canibus ardentius insectaretur, in carbonariam præceps decidit fornacem. auctor. Cælius cap. 59. lib. 12.

Plutarchus scribit Pythagoram philosophum uiuum fuisse à Cyloniis exustum. Laertius ait hoc factum fuisse in Nicoclis Crotoniatę domo à quodam, quem in disciplinã admittere noluisset.

Nigrinum quendã Ammianus Marcellinus fuisse scribit, qui propter excitatum bellum uiuus sit exustus.

Laurentius & Tiburtius martyres pro CHRISTI nomine incendium uolentes pertulerunt. Io. Fr. Mirandula lib. 2. Hymn. Iucunda incendia Laurens Suscipit, Empyrea multùm irroratus ab unda, atq; per Ardentes prunas illæsus abibat, Maiores in corde ferens Tiburtius ignes.

Emerita Lucij Anglorum regis soror, pro Christiana itidem pietate flammis extincta, spiritum domino reddidit.

Fuerunt & alij permulti, qui incendio finiuerunt uitam ut Empedocles, Dido, Euadne, Hercules, Sardanapalus, Catulus, Luctatius, Hasdrubal, Portia, Dædalion, Brotheus: quorum mortem reperies in eorum historia, qui se occiderunt.

Martyrum quoq; plurimi hoc mortis genere uitam reliquerunt, &c.

PRAECIPITATI.

TRoia diruta, Troianisq; profligatis, ne quid superesset reliquiarum, quod in posterum urbis & populi ruinam ulciscereturꝫ Vlysses Astyanactem Hectoris filium in præceps dedit mira quidem immanitate. Oui. lib. 13. Met. & in Ibin. Et Seneca in Troade.

M. Manlius (qui Gallos in obsidione Capitolij obrepentes per ardua depulerat) conuictus de regno occupando cõsilium iniisse damnatus, è saxo Tarpeio præceps datus est. auctor apud Gellium, M. Varro. Cor. Nepos scriptum reliquit, eum uerberando fuisse necatum.

Thessalus (à quo Thessalia nomen sumpsit) Hæmonis filius, ab Euryalo quodam aduena ex Ossa monte præcipitatus est. Ouidius in Ibin: Vtq; dedit sãltus è summo Thessalus Ossa, &c.

Sabinis Romam obsidentibus, quum Tarpeia virgo Capitolium prodidisset, armillarum & anulorum (quos illi gerebant) pactione, ubi in arcem introducti sunt, obsequij immemores puellam præcipitauerunt. Plutarchus & Liuius testes.

Lycas ab Hercule præcipitatus est, quòd ei tunicam cruore Nessi tinctam, & ueneno imbutam attulisset. Sabellicus. Ouidius in Ibin.

Lycurgus Thracum rex (teste Lactantio) à suis in mare præcipitatus est, quòd primus mero aquam miscuisset.

Aesopus fabulator Phrygius, quum uenisset, Delphos, ibidem furti ab æmulis falso accusatus (phialam enim argẽteam inter eius sarcinulas clàm posuerant) de rupe insons præcipitatus est. Plut. de sera numinis uindicta.

Nauplius Palamedis pater, quum intellexisset Diomedem & Vlyssem naufragio liberatos (quibus tamen hoc malum per insidias machinabatur) seipsum præcipitauit. Seneca: Igne fallaci moriturus Argis Nauplios præceps cadit in profundum.

SCALARVM RVINA MORTVI.

ELpenor socius Vlyssis ebrius apud Circen factus, scalarum casu periit. Martialis lib. 11. Pene imitatus obit sæuis Elpenora fatis, præceps per longos dum ruit vsque gradus. Ouidius lib. 3. de Tristibus & in Ibin.

Martialis ait Philostratum, quum in balneis Sinuessanis esset, nimio haustu uini in ebrietatem lapsum scalarum casu, non tunc primùm, sed paullò pòst extinctum.

Plinius lib. 7. ait Asclepiadem medicum Prusiensem supremo in senecta scalarum lapsu fuisse exanimatũ. Sic qui ægrotis mederi consueuerat, qui è funere retulerat mortuum, fati insidias vitare non potuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERRA ABSORPTI.

AMphiaraus vates dum apud Thebas prœliaretur, terræ hiatu cum curru (cui insidebat) absorptus est. Propertius lib.2. Non Amphiareæ prosunt tibi fata quadrigæ. Idem lib.3. Tu quoq; vt auratos gereres Eriphyla lacertos, Delapsis nusquam est Amphiaraus equis. Ouidius lib.3. de Ponto quoq; meminit. Plutar. in Paral.

Quum ingens voragó Romæ paullatim excresceret, & terram absumeret, responsum est ab oraculo, hiatum non posse desinere, nisi quis intro se demitteret. quo audito Curtius equo insidens illuc desiliit. Liuius lib.17. Propertius lib.3. Ouid. in Ibin.

Idem fecit Anchurus Midæ regis filius, vt iam diximus in eorum historia, qui se occiderunt.

Paullo Aemilio in Pyrrhum Epirotarum regem rebellante, quum ab oraculo responsum fuisset Romanos fore victores, si quis eorum in voraginem se demitteret, Val. Torquatus sponte se obtulit. auctor Critolaus apud Plutarchũ.

Chore, Dathan, & Abyron quum insurrexissent in Moysen & Aaronem, excitassentq; populum ad auferendum huic sacerdotium, illi principatum, protinus (vt scribitur Numeri cap. 16.) dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum, descenderuntq; viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.

VENENO EXTINCTI.

COnuenit Cæsarem Claudium imperatorem veneno ab Agrippina vxore occisum: vbi autem, & per qué dato, discrepat. alij ab Haloto spadone præministratum, alij domestico per ipsam Agrippinam conuiuio, quæ boletum medicatum eidem talium ciborum auido obtulerat. quod confirmare videtur Martialis lib.1. Epig. dicens: Boletum qualem Claudius edit, edas. Et Ausonius: Claudius ambiguo conclusit fata veneno. Item Plinius de Boletis loquens. Item Cor. Tacitus libro 12.

Lotharius rex Gallorum, Ludouici quarti filius, decessit ex veneno, ab vxore adultera (vt fertur) præministrato. eius quoque filius Ludouicus V. Blanchæ coniugis opera

eodem fato periit. Volat.

Mahomethes ex Arabia ortus vastata Syria, expugnataq; Damasco eius regionis capite, quum Scænitas & Arabas suæ adiecisset ditioni, anno vitæ x l. veneno à domesticis dato, periit. Bap. Egnatius.

Constantinus imperator Heraclij filius, quum annum vnicum rebus præfuisset, Martinæ nouercæ dolo & insidiis venenum hausit, quo suffocatus est.

Ioannes Zimisces imperator, post Nicephorum Phocam Constantinopolim profectus, ibidem post annum imperij sextum, & sex menses potionatus decessit.

Carolus Caluus imperator & Gallorum rex veneno à Sedechia medico Iudaici sanguinis dato interiit, quum Mantuæ in valetudinem incidisset.

Henricus ex Lucelburgo imperator post Albertum à Clemente pontifice designatus, dum superata Hetruria, Florentinis salutem iam desperantibus immineret, veneno in Eucharistia & pretioso CHRISTI sanguine dato periit, anno imperij quinto. illud autẽ venenum datum est opera Roberti Siciliæ regis. Egnatius.

Iulius Pollio tribunus, & venefica, nomine Locusta, Britannico iussu Neronis fratris venenum dederunt bibendum. quod ita cunctos eius artus peruasit, vt pariter & spiritus eius raperetur. auctor Cor. Tacitus lib.13.

Ferunt Diocletianũ è Dalmacia oriundum, post annum x x. imperij sui veneno extinctum. cuius autem opera, non constat. Volat.

Ludouicus Balbus dum biennio cum Carolo Crasso fratre suo imperasset, veneno sublatus est, relictis Carolo Simplice, & Carolo Magno liberis.

Socrates ab Athenienſibus iniusta de causa morti deuotus tritum in calice venenum hausit. cuius vis dum in præcordia & venas serperet, iacuit resupinus. Cicero lib.1. de Orat. & in Quæst. Tusc. Ouid. in Ibin.

Marullus in Epigrammatis scribit Biliotum astrologum aspersis veneno boletis instar Claudij periisse, vbi ait:

Dum cauet astrologus perituris sidera nautis,
Dum sibi boletis non cauet, ipse perit.

Lucullum imperatorem clarissimum amatorio poculo periisse testis est Plinius lib. 23. cap. 3.

Hannibal Amilcaris filius post multas clades Romanis illatas tandem victus, quum de Prusiæ regis Bithyniæ (ad quē confugerat) fide dubitaret, venenum hausit, quod in anulo gerebat.

Aratus dux Sicyonius, quum multos tyrannos sua virtute sustulisset, Philippo iuniori Macedoniæ regi cœpit esse formidolosus. propterea veneno lento ac sensim dato ab eo potionatus est. Plutar.

Theramenes Athenienſis philosophus, iussu triginta Tyrannorum instar Socratis in carcerem detrusus, ibidem venenum hausit. quo hausto propinquo (inquit) Critiæ, quoniam is erat, cuius insidiis moriebatur. Valerius de Fortit.

Alexander Macedo ab Iola præguſtatore, Antipatri ad regnum aspirantis filio, veneno potus est. vis autem veneni, quod in Macedonia gignitur, tanta est, vt ferrum quoque exurat. Curtius testis est, venenum illud per Cassandram allatum fuisse, traditumque fratri Iolæ. conuenit inter scriptores Aristotelis infamia & maxima nota excogitatū. Ouid in Ibin: Nec tibi fida magis misceri pocula possint, Quàm qui cornigero de Ioue natus erat.

Ladislaus rex Apuliæ, dum Florentinos bello aggredi, suæq; ditioni submittere constituisset, eorum opera & insidiis veneno suffocatus est.

L. Vectius à Cæsare subornatus, & premiis inductus, vt se de inferenda Pompeio nece, à Bibulo, Curione, Catone, Lucullo, & Cicerone (quos oderat) solicitatum profiteretur: quū unum atque alterum, non sine fraudis suspicione, nominasset, desperato consilij euentu, ab ipso Cæsare interceptus veneno creditur. auctor Suetonius, & Appianus lib. 2. bell. Ciuilium.

Rosimunda Cunimundi Gepidarum regis filia, interfecto primo marito Alboino rege Longobardorum, secundum quoque Helmigem nomine, Rauennæ principem, veneno præsentaneo perdere conata est. cuius partem quum hausisset, vbi sensit contagium per venas serpere euaginato gladio, eam coegit reliquam poculi partem bibere. quo facto

ambo suffocati sunt. Paulus diaconus.

Antharis Longobardorum rex, Theolindæ maritus, quū sex regnasset annos, insidiis domesticorum apud Titium extinctus est venenato poculo, nonis septembris. auctor Paulus Diaconus lib. 4. de Gestis Longobardorum.

Cossinus eques Romanus amicitia Neronis notus, quum lichene laboraret, uocatus Ægypto medicus, ut eius morbo medetur, quum cantharidum potum præparasset, interemit. Plin. lib. 29. cap. 4.

Scribit Erathostenes apud Cæliū, Demosthenē, uel (ut alij) Democritū præsidio ultimorū casuū consuesse uenenū gestare inclusum, quod etiam intrepidè hauserit, ne qd indignum sua uirtute à Macedonibus patereturur. nam quum in Antipatri (qui Alexandro successit) odium uenisset, sanxerat Demades, ut capite plecteretur. Plut. & Plin. lib. 33.

Philopœmen seu Philopœmenes magnus Græciæ imperator, quum apud Messenios in domicilium subterraneum, neque auras, neque lucem exterius excipiens, fuisset impactus, hausto ibidem ueneno periit. uenenum autem porrexit Dinocrates Messeniorum dux, parta de illo victoria. Plutar. in eius uita.

Seneca à Nerone præceptore coactus, ut quod uellet genus mortis eligeret, uenas medico præbuit: veneno demū in balneo hausto, periit. Suetonius.

Victor tertius Pont. Max. quum vnicum annum sedisset, mortuus est non sine maxima suspicione dati ab Henrico veneni in calice, dum sacrificaret. Volater.

L. Tubulus sacrilegus ab exsilio (quò propter multa flagitia missus fuerat) reuocatus, ne in carcere necaretur, venenum hausit. auctor Asconius Pedianus.

Guillermus dux Veronensium nocte quadam cum Florentinis Veronam ingressus, a Carrarienſibus captus, & veneno sublatus est. Volater.

Anaxagoras philosophus, quum annis LXXII. uixisset, ab Athenienſibus in carcerem coniectus, quòd Solem (quē illi reuerebantur) ignitum lapidem uocasset, ibidem epoto ueneno interiit. Hermippus apud Diogenem. Plutar. in uita Periclis aliter sentit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aristobolus rex Iudææ captus à Gabinio, & Romam ductus, in carcere porrectum hausit uenenum.

Conradus imper. Frederici filius periit veneno, quod medici à Manfredo (qui imperio successit) pecunia corrupti dederunt.

Constans fama est, atque etiam Volaterranus scribit, Carolum VIII. Gallorum regem ueneno suffocatum. quod à ueritate non abhoret, quum in Sphæristerio præter spem, ac nihil sibi timens, exanimatus propè concidisse, ac paullò pòst exspirasse dicatur.

Laodice regina Syriæ, Antiochum, Deum cognomento, maritum suum ueneno extinxit, ob superindictã sibi Ptolemæi sororem Berenicem.

Themistocles, quum annum ætatis quinctum & sexagesimum absoluisset, spectantibus amicis epoto sanguine tauri no uitam finiuit. auctor Plutar. in eius vita. quod eum fecisse dicunt, ne in patriam (qua tamen pulsus fuerat) pugnare ab Artaxerxe cogeretur.

De Cleopatra, Lucretio, Baudicea Britannorum regina, & quibusdam aliis veneno itidem præfocatis, iam sumus locuti.

MORTE SVBITA MORTVI.

PLinius lib. 7. cap. 53. Nullis euidentibus causis obire, dum calciantur matutino, duo Cæsares, prætor & prætura perfunctus dictatoris Cæsaris pater: hic Pisis exanimatus, ille Romæ.

Q. Fabius Maximus in consulatu suo pridie kal. Ianua. in cuius locum M. Orelius pauciſſimarum horarum consulatum petiit.

Item Volcacius Gurges senator. omnes adeò sani, atque tempestiui, ut de progrediendo cogitarent.

Q. Æmilius Lepidus, iam egrediens, incusso pollice limini cubiculi.

C. Ausidius, quum egressus in senatum iret, offenso pede in comitio.

Legatus quoque (qui Rhodiorum causam in senatu magna cum admiratione orauerat) in limine curię protinus exspirauit progredi volens.

Cn. Bebius Pamphilus, prætura & ipse functus, quum à puero quæsisset horas.

A. Pompeius in Capitolio, quum deos salutasset.

M. Iuuencius Thalna consul, quum sacrificaret.

Seruilius Pansa, quum staret in foro ad tabernam hora diei secunda, in P. Pansam fratrem innixus.

Bebius Iudex, dum vadimonium differri iubet.

M. Terentius Corax, dum tabellas in foro scribit.

C. Iulius medicus, dum inungit, specillum per oculum trahens.

A. Manlius Torquatus consularis, quum in cena placentam appeteret.

L. Durius medicus Valla, dum mulsi potionem haurit.

Ap. Saufeius scriba, quum à balneo reuersus, mulsum bibisset, ouumque sorberet.

P. Quinctius Scapula, quum apud Aquilium Gallum cenaret.

Decimus Saufeius scriba quum domi suæ pranderet.

M. Ofilius Hilarus histrio, sumpta post cenam calida potione. hactenus ex Plinio.

Caninius quoque primo die sui consulatus interiit. unde exiit Ciceronis iocus: Vigilantem habuimus Caninium cõsulem, qui somnum in suo consulatu non uidit. Macrobius, & Cic. lib. 7. epist. famil.

Fuit & Cn. Carbonis mors multùm insperata, qui dum ventrem exoneraret in latrina, occisus est. Plutarchus in uita Pompeij.

Sertorium inter epulas incautum iugulauit Perpenna. idem Plutar.

Mithridates quoque senior rex Ponti, morte repentina interceptus est.

Gandericus rex Vandalorum, dum capta Hispali, Bæticæ urbe, templum vellet prophanare, mortuus repentè cõcidit. Volater.

Alaricus imperator apud Consentiam morte subita defunctus est. Paulus Diaconus.

Alphonsus septimus rex Hispaniæ in itinere sub arbore quadam repentè excessit.

Andebuntus rex Anglorum, in cena nimio vini hausſtu cecidit extinctus.

Aegeas proconſul poſt affectum martyrio Andream, à malo ſpiritu correptus, momento exſpirauit.

Nicanorem Parmenionis filium ſubita correptum morte, ſcribit Curtius lib. 5. de geſtis Alexand.

Periit & ſubita morte Andragoras, auctore Martiale, qui lib. 6. ſic inquit: Lotus, nobiſcum eſt hilaris, cenauit & idē, Inuentus mane eſt mortuus Andragoras.

Argia ſacerdos à Cleobi, & Bithone filiis ad Dianæ templum in curru vecta, quum deam oraſſet, vt illis præmium daret pro pietate, & quod homini videretur optimū, mortuos in lecto mane reperit. quod fuit argumento, matura morte nihil eſſe melius. auctor Cic. lib. 1. quæſt. Tuſc. & Plut. in Solone.

Trophonius quoque, & Agamedes dum ædificato apud Delphos Apollini templo, deum mercedem laboris poſtulaſſent, quodque homini eſſet vtiliſſimum, paullò pōſt itidem mortui inuenti ſunt. Idem Cic.

Ioannes Guilmerius Corbinicus (Corbinum oppidum eſt in finibus Eduorum) vir potens opibus, auguſta maieſtate, & Catoniana propè grauitate, dum in templo ad ſacrificium & orationem ſe reclinaret, incerta cauſa & inexplorato mortis argumento, repentè exſpirauit, iam plenus annis.

Petrus Calceonus, vnus eorum, qui Ioannam puellam gallicam Anglorum expultricem flammis deuouerunt, dum radendam tonſori barbam committeret, in ipſa tonſtrina repentè deceſſit. Valerandus Varanius: Sic & Calceonus (qui cenſuit eſſe cremandam) Pendula dum tonſor ſecat excrementa capilli, Exſpirans cadit, & gelida tellure cadauer Decubat. vltrices ſic pendent crimina pœnas.

GAVDIO, ET RISV MORTVI.

IMmodica periit lætitia Lacedæmonius Chilo (quum filium in complexibus teneret Olympiæ coronatum. Sophocles & Dionyſius Siciliæ tyrannus, vterque accepto Tragicæ victoriæ nuncio. Plinius cap. 37. lib. 7.

Lucianus & Sotades apud Crinitum, contra Plinij ſententiam, dicunt Sophoclem acino vuæ periiſſe. Val. Max. tamen & Volater. fouent partes Plinij. quorum vexillum ſequitur Politianus in Nutricia ſcribens: Quenq; ſenem meritæ rapuerunt gaudia palmæ. niſi fortaſſe de Philippide intelligi malis.

Mulier Romana, filio poſt cladem Cannarum incolumi viſo poſt falſum nuncium.

Philippides Comœdiographus, quum in certamine poetarum præter ſpem viciſſet, ac propterea lætiſſimè gauderet, inter illud gaudium repente mortuus eſt. Gellius.

Philiſtion Nicæus poeta Comicus (qui Socratis ætate floruit) nimio quoq; riſu mortuus eſt. Politianus in Nutricia: Implicitusq; Sophron, riſuq; Philiſtio tandem Perditus.

Diagoras Rhodius, quum tres filios athletas eodem die vincere, & victores coronari vidiſſet, populusq; gratulabundus flores vndique in eum iacerent, in ſtadio ſpectante populo in oculis & manibus filiorum animam efflauit præ lætitia. auctores Cicero lib. 1. quæſt. Tuſc. & Gell. lib. 3. noct. Attic. quibus in hac re idem eſt conſenſus, præterquam quòd Cicero duos tantùm filios Diagoræ coronatos, tres Gellius dicit.

Philæmon poeta videns aſinū ficus menſæ paratas comedentem, tanto diffluxit gaudio, ut eo exſpirauerit. auctor Val. Maxim.

Ariſtoteles apud Gal. eſt auctor, Polycratam nobilem feminam è Naxo inſula cognito repentè inſperato gaudio animam exſpiraſſe. Plut. de Claris mulier.

M. Iuuentius Thalna conſul, dum ſacra diis exhiberet in Corſica (quam ſuis auſpiciis ſubegerat) acceptis litteris, decretas ei à ſenatu ſupplicationes nunciantibus, dum intento illas animo legeret, ante focum præ gaudio collapſus, mortuus humi iacuit. auctor Valerius Maximus, de morte non uulg.

IN VENEREO ACTV MORTVI.

COr. Gallus, & Q. Heterius eques Romanus in Venere obiere. auctor Plin. lib. 7. Quorſum autem (inquit Valerius) attinet eorum cauillari fata, quos non

libido sua, sed fragilitatis humanæ ratio abstulit?

Arcibiades Athenienſis cum Timandra meretrice à Lyſandro interfectus eſt, in actu Venereo, ut credibile eſt: incertum tamen. Plut. & Val.

Phaon, quum eſſet hominum pulcherrimus, à Mitylenæorum mulieribus ardenter appetebatur. unde factum, ut in adulterio deprehenſus iugularetur. auctor Cælius.

Tertullianus in Apologetico contra gentiles ait, Speuſippum philoſophũ de Platonis ſchola in adulterio periiſſe.

Cor. Tacitus ait, Tigillinum præfectum vigilum & prætorii inter ſtupra concubinarum & oſcula, ſectis nouácula faucibus inhoneſtam clauſiſſe uitam.

Iouianus Pontanus in opuſculo de Obedientia, ait Beltrandum cognomine Ferrerium, Barcellone (vrbs eſt Hiſpaniæ) in Venere exſpiraſſe.

Rodoaldus Longobardorum rex, in libidine deprehenſus, cum matrona interfectus eſt. Paulus Diac.

Ioannes XII. pontifex in adulterio comprehenſus, itidé interfectus eſt. cuius mors eò turpior eſt, quò ſanctiorem eum eſſe oportet, qui dignitate ceteros antecellit. Platina.

CIBO, ET POTV NIMIO MORTVI.

ARcheſilaus Prytanæus immodico hauſtu vini periit, anno ſuæ ætatis LXXV. Hermip. apud Diogenem. Euſebius ſcribit, Domicium Aphrum, cibi ſuperfluitate redundantem, in cena periiſſe.

Septimius Seuerus imperator dum membrorum omniũ, maximè pedum, dolorem pati nequiret, loco veneni, cibum plurimę carnis incoctę auidus deuorauit: quem dum coquere non poſſet, cruditatem paſſus, exſpirauit. auctor Sextus Aurelius.

Valentinianus imperator Quadorũlegationi reſpondens, voce impetus ſanguinis amiſſa, ſenſu integer exſpirauit, quod ex intemperantia cibi, ac ſaturitate, qua artus diffuderat, accidiſſe multi detulere. idẽ auctor Sextus Aurelius.

Ferunt & Iouinianũ imperatorem ciborum in ſtomacho incoctorum cruditate periiſſe. teſtis Bapt. Egnatius.

Iam dixmus Anglorum regem Andebuntum in cena quá doque

doque tãtũ vini ſumpſiſſe, vt eo ſuffocatus repẽtè exceſſerit.

Gregorius Turonenſis ait, Childericum Saxonem, quum aliquando ad ambas vſq; aures cibo ſe ingurgitaſſet, eo ſuffocatum fuiſſe, & repertum in lecto mortuum.

Anacreon Teius poeta dum aliquando liberius Baccho indulgeret, acino vuæ paſſæ ſtrangulatus eſt. Politianus in Nutricia: Tandem acino paſſæ cadis introceptus ab vuæ. Val. Max.

LAPIDIBVS OBRVTI, AVT murorum ruina.

CEbrion Priami filius à Patroclo in bello Troiano ſaxo obrutus eſt. auctor Homerus.

Cycnus Neptuni filius, quum à patre habuiſſet, ut ferro inuulnerabilis eſſet, ab Achille apud Troiam lapide extinctus eſt.

Athenienſibus in Eumolpum bellantibus, dum immineret fames, Pyrander quæſtor à populo ſaxis obrutus eſt, quòd triticum parcè ſuppeditaret. auctor Calliſthenes apud Plutarchum.

Romanis in Gallos bellum gerentibus, dum annonæ caritas inualeſceret, Cinna tritici largitionem ſurripiens, regnum affectaſſe creditus eſt, ac propterea ſaxis obrutus. Ariſtides apud Plut. teſtis.

Mardonius Perſa (quem Xerxes apud Salaminem uictus cum exercitu reliquit, ut belli reliquias confoueret) ab Arimneſto Spartiata ſaxo obrutus eſt. quo fato præmonuerat eum periturum Amphiaraus. auctor Plut. in Ariſtide.

Neocles & Demopolis Themiſtoclis filii, quum Athenienſium memoriam refricuiſſent ſuper legibus, quæ aduerſus exſules fuerant ſancitæ, à paternis inimicis lapidibus obruti ſunt. Cæl. cap. 12. lib. 8.

Chryſantus Alexandrinus unà cum Daria uxore ſub Numeriano imperatore pro catholica pietate ſaxis obrutus eſt. Volaterr.

Euſebius Sardus, præſul Vercellenſis à Conſtantino principe factus, ab Arrianis lapidibus oppreſſus eſt.

Paulina virgo Romana, Artemii præfecti filia, ſaxis obruta eſt ſub Diocleciano, cum Candida matre, idque pro

CHRISTI nomine. Volaterr.

Polydamas Herculani roboris athleta, dum sub saxo ruinam minante cum aliquot conuiuis cenaret, omnesque sibi timentes diffugerent, solus uirium confidentia remansit; sed ruinam sperans, ut cadentem molem manibus sustineret, quata men oppressus est. auctor Pausanias apud Volaterranum, & Val. Max.

M. Postumus Regilienſis, in Equos Italiæ populos bellum mouens, dum militibus urbis prædam spopondisset, ac postea urbe capta eosdem eluisset, certatim ab omnibus saxis obrutus est. auctor Liuius.

Macrobius auctor est Vatinium in ludis gladiatoriis fuisse lapidatum à populo.

Scribit Herodotus, Coem unum ex Alexandri ducibus à Mitylenæis comprehensum, & lapidibus interemptum.

Lycidas senator Athenienſis à suis interfectus est, quòd pecuniam à Mardonio Persa Athenarum inimico, accepisse crederetur. auctor Herodotus lib. 9.

S. Stephanus martyrum primus, pro CHRISTI nomine lapidibus oppressus est. Io. Fr. Mirâd. Et lapides Stephano dulces, torrentis amari Mancipiis scelerum.

Elphegus Cantuarienſis archiepiscopus, pro Christiana pietate eandem subiit mortem.

Vitalis quoque Mediolanenſis, Onesimus, Metranus, Mammes, Magnus & Cyriacus martyres eodem oppressi sunt tormento.

Pyrrhus Epirota dum aduersus Antigonum Argos obsideret, tegula, vel (ut mauult Trogus) saxo à uetula iacto interfectus est. Ouid. in Ibin:

Aut vt Achillidem cognato nomine clarum.
Opprimat hostili tegula iacta manu.

auctor Plutarchus in eius vita.

Henricus, Alphonsi octaui regis Castellæ filius, dum vnà cum pueris lusitaret, tegulæ casu periit apud Palâtiâ vrbẽ. Ioannes XXI. pontifex, ruina cameræ (quam ædificabat) oppressus est.

Clemente v. Pont. Lugduni solenne sacrificium celebrâte, tantus agminatim confluxit populus, vt Ioannes Britanniæ dux cum multis aliis muri ruina occubuerit.

Athenæus philosophus, quum Romam venisset, ruina domus, quam habitabat, oppressus est. Strabo lib. 14.

Siluinus & Falconius famuli Quinctiani Siciliæ præfecti eadem morte perierunt.

Alidice, Alebæ Larissæi filia, vnà cum viro Lycoride ruina domus extincta est. Ouid. in Ibin:

Lapsuramq; domum subeas vt sanguis Alebæ,
Stella Lycoridæ cui fuit æqua viro.

Tranquillus ait; Fidenis theatri ruina duo & viginti hominum millia periisse.

IVGVLATI, ET STRANGVLATI.

SErgius Galba, quum Pisonem in conflatæ inuidiæ remedium adoptasset, in medio foro ab Othone iugulatus est.

Gandulphus martyr, suasu uxoris adulteræ (cum qua diuortium fecerat) noctu ab adultero iugulatus est.

Commodus post tertiumdecimum imperii annum strangulatus est. Læto auctore, & Martia concubina. Sextus Aurelius ait Martiam prius tentasse, vt eum veneno perderet.

Lucilla Nemesii tribuni filia, Romę in via Appia sub persecutione Valeriani iugulata est.

Cethegus, Statilius, Gabinius, Cæparius, & Lentulus Catilinarii, in carcere iussu senatus strangulati sunt. Sallustius.

Galsonda Athanagildi Gothorum regis filia à Chilperico marito noctu iugulata est, suasu Fredegundæ pellicis. Volaterranus.

Antistius, auctore Plut. in senatu iugulatus est, quòd ob Pompeium Syllanam sequi factionem videretur.

Dinarchus Corinthius iussu Polypercontis iugulatus est. Plutarchus auctor.

Darius Caudemum Athenienſem (quem de apparatu sui exercitu percontatus fuerat) recta monẽtem, iugulari fecit. Curtius lib. 3. de gestis Alexandri.

P. Cor. Lentulus prætor vrbis comprehensus in coniuratione Catilinæ, iussu Ciceronis iugulatus est in carcere. Sallustius.

Amalasuntha Gothorum regina, Atalarici mater, à Theodato (quem mortuo filio regni socium asciuerat) in balneo iugulata est. Paulus Diaconus.

Gerontius Comes à militibus suis iugulatus est, quòd Constantem Constantini filium feciſſet perimi. Idē auctor.

Apries ab Amasi superatus, datus est Ægyptiis iugulandus. Herodotus.

Albanus martyr à latronibus hoc mortis genere suffocatus est.

SAGITTIS CONFOSSI.

ACHillem poetæ fabulātur nullibi membrorum præterquàm in talo fuisse uulnerabilem, quòd eam partem mater Thetis non abluisset Stygiis undis, ut cæteras. huc ergo iaculatus Paris, euersorem Troiæ peremit. Virg. lib. 6. Æn. & Ouid. lib. 12.

Lycophron poeta Iambographus à quodam æmulo traiectus est. Ouid. in Ibin: Vtque cothurnatum periisse Lycophrona narrant, Hæreat in fibris fixa sagitta tuis. Volat.

Acron rex Ceninensium, à Romulo victus, & sagitta cōfossus est. Vide Tortellium.

Anacharsis Scytha, à Sauleo rege eodem modo extinctus est, quòd alienæ gentis sacrificia imitaretur. auctor Herodotus. sunt tamen qui à fratre interfectum velint.

Hyrene virgo à Sisinnio pro CHRISTI nomine hanc oppetiit mortem.

Christina virgo sub Iuliano hoc modo passa est.

Beatus quoq; Sebastianus ciuis Mediolanensis, sub imperatore Diocleciano.

De Procride sagitta à Cephalo confossa, iam sumus locuti in Patricidis.

PEDICVLARI MORBO mortui.

HOnorificus Vandalorum rex, quīn octo annis Christianam religionem infectatus fuisset, morbo pediculari miserè periit. Volat.

Arnulphus imperator post Carolū Crassum, quum ad rapinas & templorum spoliationes animum conuertisset, iusta numinum ira, paullò pòst pediculari morbo interiit.

Bapt. Egnatius.

Speusippum Eurymedontis filiū, Athenienſem philoſophum, sunt qui dicant mortem sibi intuliſſe. Plutarchus tamen efferuescentibus toto corpore pediculis interiisse.

Plinius lib. 7. Nat. hist. scribit Syllam erodente seipso corpore, & Supplicia sibi gignēte interfectum. Plutarchus scribit, contractam carnis corruptionem in pediculos fuisse cōuersā: adeò, vt tunicæ oēs, thermæ, lauacra, dapes illius exundantis sordis implerentur, tanta vis epullulabat. quo circa per singulos dies ingrediebatur aquam, sed nulla erat vtilitas. celeriter enim inualescebat permutatio, & pædoris magnitudo omnia purgamenta superabat.

Pherecydes quoq; rerum diuinarum scriptor, eodem periit morbo. Pherecydes Syrum (inquit Plin.) copia serpentum ex corpore eius erumpente exspirauit. de hoc extat Q. Sereni carmen: Sed quis non paueat Pherecydis fata Tragœdi? Qui nimio sudore fluens animalia terra Eduxit, turpi miserum quæ morte tulerunt.

Aleman vnus ex clarissimis Græciæ poetis hac etiam fœditate periit: auctoribus Plinio lib. 11. & Plutarcho in Sylla, scribente, Ex posterioribus autem, Alcmanem (qui mirificus componendis cantilenis artifex fuit) hoc morbo periisse ferunt. Politianus in Nutricia.

Ferunt ex antiquissimis Acastum Peliæ filium hoc morbi genere (quē phthiriasim appellant) interiisse. Plutarchs.

Callisthenes quoque Olynthius, dum carceris custodia teneretur; præterea & Mumius iurisconsultus eadē tabe passim membrorum corrosi sunt. Idem auctor in Sylla.

Traditum est (inquit idem Plutach.) eum, qui in Cilicia belli seruilis auctor fuit, Eunū nomine, captum, Romāq; perductum, ex phthiriasi mortem obiisse.

Platonem philosophorum haud dubiè principem, sunt qui dicant in celebrandis amici nuptiis, quum quietus decumberet, animam de repentè exalasse. nonnulli in morbum incidisse, quem à corruptione pediculorum phthiriasim vocant. inquit idem auctor.

Maximianus imperator, vlcere inguinibus innato, quū deessent remedia, nec medici ob hominis immanitatem opē

ferre auderunt, uermibus vndique erumpentibus obiit.

Herodes rex Iudæ post trucidatos innocentes, quum in Apostolos Domini sæuiret, ad extremum tantæ feritatis luit pœnas. eruperunt siquidem in toto corpore vermes, qui dum vniuersum passim corpus eroderent, tyrannum coegerunt, vt desperato remedio gladium arriperet, eoque finiret vitam.

Herodotus in Melpomene scribit Pheretimam Barcæorum reginam, immani crudelitate feminam, Deorum vltione, totam vermibus putruisse, eoque morbo miseram euomuisse animam.

Sunt qui dicant Antiochum Epiphanem Syriæ regem, quum Hierosolymas peteret, curru delapsum, in hanc fordem incidisse, vermibusq; fuisse absumptum.

IN CARCERIBVS MORTVI.

IVgurtha Manastabalis filius nothus, Micipsæ regis Numydarum nepos, propter Adherbalem & Hyempsalem fratres regni consortes occisos, à Mario bello petitus, victus, & in triumphum ductus, postremò in carcerem coniectus est, vbi exspirauit. Plut. in Mario.

Aldegisius Desiderij Longobardorum regis filius, à Carolo Magno victus, & in carcerem coniectus est: vbi & clausit vitam.

Cælestinus v. quum summo pontificatu se abdicasset, à Bonifacio octauo (qui rei summam commiserat) successore, in carcerem detrusus, & ibidem extinctus est.

Syphax rex Numydarũ, quum à Romanis ad Carthaginenses defecisset, victus à Scipione, & in triumphum ductus, Tiburi in custodia mortuus est.

Aristonicus ab Aquilio consule in triumphum ductus, & in carcere suffocatus est.

Henricus tertius, imperator, ab Henrico filio captus, & Leodij custoditus, pædore carceris miseram exhalauit animam. Bap. Egnatius.

Agatha virgo Catanensis sub Quinctiano consule in carcere extincta est.

Romanus martyr sub Aselepiade præfecto in carcere præfocatus est.

Ioannes primus, pontifex à Iustino in carcerem coniectus, ibidem pædore emarcuit, & extinctus est.

Ioannes XIIII. à Romanis inedia & pædore in carcere itidem interfectus est.

IN LATRINIS MORTVI, aut occisi.

LAmpridius ait Heliogabalum, seu Elagabalum naturę portentum, fato à tali monstro pœnas reposcente, in latrina occisum fuisse, dum ventrem exoneraret. Plutarchus.

Cn. Carbo dum in Sicilia ventris onus poneret, iussu Pompeij in latrina itidem occisus est.

Felicula virgo quũ nullis tormẽtis aut pollicitationibus à Christiana religione diuerti posset, iussu Flacci comitis in latrinam detrusa est, & ibidem mori coacta.

Valerianus Irenæum & Abundium martyres in cloacam detrudi, & ibidem emori fecit, quod sanctæ Concordiæ corpus inde extraxissent.

EXCORIATI.

MArsyas ab Appolline (quem ad tibiæ certamen prouocauerat) victus, & excoriatus est. Ouid. in Ibim.

Mens quoque sic furiis vecors agitetur, vt illi,
Vnum qui toto corpore vulnus habet. Idem: Nuda ve direpta pateant tua viscera pelle, Vt Phrygij cuius nomina fumen habet; Claud. lib. 2. in Eutrop.

Manes hæreticus (qui diuinam solum in CHRISTO naturam ponebat) à rege Persarum cute direpta interfectus est, quòd eius filium morbo laborantem interfecisset, quẽ tamen sanaturum se promiserat. auctor Suidas apud Volaterranum.

Bartholomæus Apostolus, regis Syrię filius iussu Astyagis excoriatus est. vnde Io. Fr. Mirandula in Hymnis: Hinc etiam pellem Ptolemæi filius ardens, Deposuit.

FVMO, AVT VAPORIBVS suffocati.

MInos rex Cretæ, quum Dædalum ad Siciliam vsque persequeretur, à Cocalo eius loci rege (quẽ Dedalus multis obsequijs sibi demeruerat) per

proditionem captus, & in thermis suffocatus est. Ouidius in Ibin.

Q. Luctatius Catulus orator, collega Marij in consulatu, ab ipso Mario mori iussus, inclusus in cubiculo candentium carbonum vapore suffocatus est. auctor Val. Maximus.

Zoe Nicostrati matyris vxor à beato Stephano ad catholicam inducta pietatem, crinibus suspesa, fumo subter suffocante periit.

Thurinum fumi venditorem fumo necatum fuisse scribit Erasmus in illius adagij explanatione, Termeria mala.

MVLIERES PARTVS DOlore mortuæ.

TVlliola Ciceronis filia Pisoni primùm collocata est, deinde Crassipedi, postremò Dolabellæ, à quo dimissa ex partu periit. uide epist. 5. lib. 4. fam. cuius initiũ est, Posteaquam mihi renunciatum est de obitu Tulliæ filiæ.

Iulia Cæsaris filia, & Pompeij vxor, quum intuita esset vestem coniugis humano cruore respersam, atque ex iis comitiis, quibus Pompeius & Crassus magna ciuium contentione consulatum obtinuerunt, domum temerè delatam, grauius aliquid viro accidisse rata, subitò partus dolore ẽcidit. Valerius de amore coniugali.

Iulia Clandilla, Caij Caligulæ imperatoris vxor, & Marci Silani nobilissimi viri filia, itidem in partu diẽ obiit. Suet.

DECOLLATI.

ALebas rex Lariſſæ vrbis Theſſaliæ, à ſuis ſatellibus ob crudelitatem obtruncatus eſt. Ouid. in Ibin: Quosq; putas fidos, vt Lariſſæus Alebas, Vulnere non fidos experiare tuo.

Cantharus fuit quiſpiam Athenienſis caupo, quem Athenienſes ipſi ob maleficia & impoſturas ſupplicio capitis affecerunt. auctor Zenodotus apud Eraſmum. Valerius.

Philippus Maria dux Mediolanenſis Italianum Foroliuienſem vnum ex ſuis ducibus ſecuri percuſſit, quòd cum Florentinus (in quos bellum gerebat) diceretur clàm conſentire. Volaterr.

Sp. Caſſius affectatæ dominationis ſuſpectus, ſupplicio capitali affectus eſt, domo eius diruta. Valer. de Seuer. Libro 2.

Iulia cõmes Eulaliæ ſub præſide Diacono capitẽ truncata eſt. Volaterr.

Margarita virgo Antiochena, ſub Olybrio eadem morte affecta eſt. Volaterr.

Sp. Melius ordinis equeſtris largitione frumenti ex Hetruria adueẽti in plebem facta, ad regnum aſpirare creditus eſt, ac propterea à Seruilio Hala obtruncatus. Liu. lib. 4.

Theodora, virgo Antiochena, ſub Diocleciano hac extincta eſt morte.

Timagoras Athenienſis capitali ſupplicio affectus eſt, quòd Darium (ad quem legatus miſſus fuerat) more Perſarum adoraſſet. Plutar.

Victor præſul Carteiæ vrbis Hiſpaniæ ſub Maximiano non procul Mediolano hoc ſupplicio vitã finiuit. Sabell.

Didius Iulianus imperator à Septimio Seuero ſucceſſore ſuo in abditas palatii balneas ductus, extenta damnatorum modo ceruice, decollatus eſt. auctor Sex. Aurel.

Opilius Macrinus ab Heliogabalo, ſeu Elagabalo victus, quinquagenario maior obtruncatus eſt.

Patricius Senenſis in factione vrbis Romæ ſecuri percuſſus eſt. pleriq; martyrum hoc ſupplicium vitam finiuerunt, vt Anſanus, Agathon, &c.

FEBRE MORTVI.

ANtipater Sidonius die ſuo natali ſemper febre labo rabat, eoq; morbo periit vltima ſenectute. Val. Max. de Miraculis.

Antonius Monachus febre itidem correptus quieuit in domino, ætate beati Gregorii.

Guido Petramala Vbertinorum princeps, apud Nigrum montem hoc itidem morbo exſpirauit. Volat.

Columbanus monachus cœnobii Luxouienſis itidem.

Serena, Diocleciani vxor, dolore martyrum à marito interfectorum in febrem incidit, qua extincta eſt.

Tacitus imperator apud Tharſum febri itidem abſumptus eſt. auctor Sex. Aur.

Titus Veſpaſianus in agro Sabino.

Antonius Pius duodecim millibus paſſuum ab vrbe, apud

Loricos in villa sua. idem Aurel.

Leo Constantini Capronymi filius eodem periit morbo.

Gotfredus primus rex Hierosolymæ, anno vno post ipsam vrbem captam.

Alexander Iudæorum pontifex quartana.

VENTRIS PROFLVVIO.

TRaianus imperator, dum rediret ex Perside apud Seleuciam Isauriæ ciuitatem ex vētris profluuio periit, anno imperii sui XIX. mense VI. Platina.

Henricus septimus imperator itidem.

ARTICVLARI MORBO.

Septimius Seuerus imperator decessit morbo articulari, septuagenario maior.

Iustinus iunior graui pedum dolore, anno imperij sui XI.

INTERCVTIS MORBO.

HEraclius imperator periit intercutis morbo, anno imperij XXXII. Volater.

Michael Paphlago eo morbo laborans, Michaelem Calaphatem heredem instituit.

Crantor Solensis, Xenocratis auditor, eadem periit morte. Diogenes Laertius.

PESTE MORTVI.

DOmitius Calderinus patria Veronensis, natus annos XXX. decessit ex pestilentia. Volat.

Facius quoq; Pisanorum comes, vir iustissimus, eodem perit morbo.

Zoe imperatrix & Constantinus Monachus, eius maritus eodem fere tempore pestilentia interierunt.

Volaterranus ait beatum Ludouicum à secunda expeditione in Saracenos redeuntem, pestilentia passim castro occupante vnà cum Ioanne filio periisse.

Alphonsus vndecimus rex Hispaniæ, dum Saraut & Zibar oppida obsideret, eodem periit morbo.

M. Antonius imperator decessit pestilentia, sexta quàm ægrotasset die.

Michael Maurocenus dux Venetorum eodem periit modo. Volaterranus.

Furius Camillus octogenarius, pestilentia Romæ interiit.

Plutarchus.

Oppianus poeta (qui de piscibus scripsit) Roma in Ciliciam patriam reuersus, ibidem ingruente pestilentia suffocatus est, anno ætatis XXX.

Hostilianus Perpenna paullò post assumptum imperium, eodem periit fato. Sex. Aurel.

Cælius scribit Paralium & Xantippum eodem suffocatos exitio. Plutar.

Io. Andreas Ioannis Calderini præceptor decessit Bononiæ ex peste.

Lucius secundus summus Pont. anno sui pontificatus XI. peste consumptus est.

Hermolaus Barbarus eodem modo Romæ exspirauit, & in fata concessit. Crinitus lib. I.

APOPLEXIA MORTVI.

VAlentinianus imperator cōtra Sarmatas (qui Pannoniam occupauerant) profectus, voce aliquandiu amissa, apoplexia mortuus est. Paulus Diac.

Paulus secundus Pontifex, dū post cenam cum architecto Aristotelē sermonem haberet, obruente crapula repentè ex apoplexia mortuus est.

L. Aunius Verus à M. Antonio ad imperij partē accitus, dum inter Altinum atque Concordiam iter faceret, apoplexia itidem extinctus est. auctor Sex. Aurelius.

Franciscus Petrarcha in agro Patauino, apoplecticus itidem mortuus est.

SANGVINIS FLVXV MORTVI.

GRimoaldus decimus, Longobardorum rex, dum nono die post phlebotomiam in brachio factam, sagittam in columbam direxisset, erumpente continuò sanguine exspirauit. Diaconus de gestis Long.

Alexāder imper. Basilij filius erūpente naribus sanguine.

Atila rex Pannoniæ multo vino potus, dum quiesceret, eruptione sanguinis (qui ei de naribus solitus erat effluere) suffocatus est. auctor Paulus Diaconus.

PODAGRA.

Lycon seu Glycon philosophus Socraticus periit podagræ morbo, annos natus LXXIV. Laertius.

Tyrannion grammaticus (qui tria librorum millia fertur habuisse) decessit iam senex morbo podagræ. Volaterranus.

DYSENTERIA

Albertus Austriæ dux, Pannoniæ & Bohemiæ rex, dum à Turcis in Austriam rediret, dysenteriæ morbo decessit, post quam biennio imperasset. Egnatius.

Theophilus imperator post Michaelem Balbum, dysenteria itidem periit anno x 11. imperij sui. Idem.

Eodem quoq; morbo periit eius pater Michael Balbus, seu Thraulus

Sansonem Chilperici regis filium dysenteria exspirasse, testis est Greg. Turonen.

Idem scribit Austrigildem reginam eodem modo periisse.

LATERVM DOLORE.

L. Crassius orator, quæstor interiit ex dolore laterum, quum in senatu contra Philippum consulem accerimè declamasset. Cicero lib. 3. de Oratore.

Bonifacius nonus, anno x 1 v. & mense 1 x. sui pontificatus, eodem periit fato.

CASIBVS ALIIS DIVERsis mortui.

AEschylus poeta in Sicilia in mœnibus vrbis (in qua morabat) egressus, aprico in loco resedit. sup quē aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis (quod erat capillis vacuum) eādem perinde ac lapidi illisit, vt fractæ testudinis carne vesceretur. quo ictu mortuus est poeta. auctor Val. Max. & Polit. in Nutr. Aeschylus aeriæ casu testudinis ictus.

Arrius Alexandrinus, Armodij filius, dum suam hæresim (qua filium ab æterna patris substantia conabatur abducere) passim dissemināsset, acriusq; serperet, & eundo vires acquireret ipsum contagium, suæ tandem impietatis pœnas luit. etenim dum Constantinopoli secessum peteret, ventris exonerandi causa, fluentibus in foricam intestinis, miserā eum muit vitam, eius postea iudicium experturus, de quo peream sensérat. Vol. Sabell.

Constantinus Capronymus periit elephantiasi, quum annos x x x v. imperasset.

Orpheus Calliopes & Apollinis filius quum propter liberalem formam à mulieribus adamaretur, ac nihilominus amore sui captas auersaretur, vel quòd esset castissimus, aut (vt aliquibus placet) procliuiore in mares libidine, à Mænadibus inter Bacchi sacrificia occisus est. quiq; saxa & arbores cantu duxerat, & leones exarmauerat, duras mulierum ceruices emollire non potuit. Ouid. lib. 11. Met.

Pius tertius Pont. Max. vlcere cruris (quo diu laborauerat) ad extremum periit.

Diodorus Cronus, sapientiæ dialecticæ professor, pudore exspirauit, lusoria quæstione non protinus ad interrogationem Stilbonis dissoluta. auctor Plin. lib. 7.

Eupolis poeta, Niciæ Athenienſis filius, primo die nuptiarum ruina lecti vnà cum vxore interfectus est. Ouidius in Ibin.

Lacides philosophus Cyrenæus excessit ex paralysi circa Olympiadem cxxx1v. Diogenes.

Pericles Athenienſis, Thucididis æmulus, in administranda rep. excessit morbo lento. Plutarchus.

Procopius tyrannus insurgens contra Valentem principem, apud Natoliam Phrygiæ ciuitatem victus, reflexis per vim arborem truncis alligatus & discerptus est.

Thimagenes Alexandrinus sub Pompeio captiuus Romā ductus, periit ex vomitu post cenam. Volaterranus.

Anatholia virgo iussu Faustiniani præsidis gladio per latera transuerberata est.

Gregorius x1 Pontifex Maximus, dum annis octo sedisset, intolerabili vesicæ dolore concessit in fata. Platina.

Cælius scribit Minyæ cuiusdam filias eo furore percitas, vt humanis carnibus vescerentur, imò etiam filios ad eam rem sortirentur, ac Leucippam Hippasum filium (quem petierat sors) laniauerint.

Ioannem Scotum Christianæ Theologiæ disciplina præstantem (dum erudiendis in Britannia pueris operam daret) factæ cōspiratione discipuli sui graphiis occiderūt. Crinit°.

Scribit Herodotus Psammenitum Aegypti regem poto sanguine taurino suffocatum.

Carolus Magnus Aquisgrani (vbi templum Martini ex-

truxerat) decessit pleuresi.

Ibycus poeta à latronibus correptus spe prædæ, dum cultros iugulo vidit instare, præteruolantes grues obtestatus est. aliquanto pòst tempore dum homicidæ sederét in foro, rursumq; grues superuolarent, per iocum inter se susurrabant in aurem: Adsunt Ibyci vltores. quo sermone audito, homicidii suspectos habuerunt qui audierāt, correptosq; tormentis ad verum coegerunt, & ex eo quæstionem exercuerunt. atque re comperta scelus vlti sunt. Ausonius: Ibycus vt perijt, vindex fuit altiuolans grus. Plut. apud Eras.

Carolus paruus Roberti Siciliæ regis filius Ioannam fratris sui Andreæ vxorem puluillo ori iniecto enecauit, quod illa maritum suum interfecisset. Volat.

Alexander Macedo Bessum Bactrianorum ducem bello victum, curuatis per vim arboribus alligauit: quas demum tanto impetu concitatas remisit, vt lanata passim membra discerpserint. auctor Plut.

Dircem mulier dolens maritum suum Licum Antiopæ amore captum, Antiopam ipsam cauri cornibus alligauit, ad cuius vociferationem protinus accesserunt Zethus & Amphion, eiusdem filii, qui ad vlciscendam iniuriam matri factam, tauro indomito Dircem alligauerunt, eaq; morte extinxerunt. Propertius lib. 3.

Atilius Regulus Xantippi ducis Lacedæmoniorum insidiis ab Asdrubale captus, missusq; ad populum R. legatus, vt ex se vno & sene Carthaginiensium captiui pensarentur, dato in contrarium consilio, ad inimicos iuxta præstitam fidē rediit. à quibus in arcam ligneam coniectus clauis introrsum adactis, efferatam Barbaræ gentis sæuitiam expertus est. demum palpebris oculorum infernè & sursum versum consutis, Soli expositus, aliisq; postmodum multis tormentis lento peremptus fato. Claudianus: Prorogat æternam feritas tibi Punica palmam Regule. Cicero Offic. Gel. cap. 4. lib. 6. & Val. de Crudelitate.

Arcadio martyri manus primùm, demum pedes, eoq; modo cetera membra seriatim amputata sunt.

Andronicum martyrem Maximus præses circa ventrem papyris inflammatis fecit exuri, incensos clauos eius digitis apponi, ignitum ferrum in os immitti, dentes excuti, có fractis maxillis linguam abscindi, ad extremū capite puniri.

Bassius episcopus à Perennio præside in eculeo primùm suspensus, demum laminis ardentibus circa latera appositis excruciatus, fustibus & scorpionibus cæsus, in ignē missus, duobus postremò verubus a talo ad uerticem capiti, có fixus, spiritum D E O reddidit.

Corona mulier sub Antonio imperatore arboris ramis per vim reflexis alligata, eisdē in aera remissis discerpta est.

Minutia Vestalis suspecta libidinis propter elegantem corporis cultum, viua defossa est. Liu. lib. 8.

Oppia quoque Vestalis, comperta stupri, obruta est terra. Liu eodem lib.

Hely sacerdos, quum in filiorum Ophni & Phinees delictis conniueret, eosq; relinqueret impunitos, de sella cadens, fracta ceruice exspirauit, domino dissimulationem vlciscente. Sabell.

Hadrianus quoque martyr extinctus est crurifragio, sub Maximiano imperatore.

MORTVI QVI REVIXERVNT.

Aviola vir consularis, auctore Plinio, in rogo reuixit. et, quoniam subueniri non poterat, prævalente flamma viuus crematus est. Val. de Mirac.

Idem de L. Lamia traditur.

Cælium Tuberonem functum præfectura à rogo relatum idem ait ex testimonio Messalæ.

Ait & Corsidium funere locato reuixisse, & locatorem funeris ab eo elatum.

Gabienus fortissimus classium Cæsaris à Sex. Pompeio captus, eiusdē iussu incisa ceruice iacuit in littore tota die. deinde quum aduesperauisset, petiit, vt Pompeius ad se veniret, testatus se ab inferis remissum habere, quod nuncia ret. Plin. cap. 52. lib. 7.

Ferunt Glaucum quempiam mortuum præter omnium exspectationem, gustato mellito pharmaco reualuisse. alii multis accurrentibus medicis, herba (quam draconem vocant) vitæ restitutum dicunt. auctor Eras. in explanatione illius adagii, Glaucus poto melle resurrexit.

Æsopum ex Phrygia fabulatorem, Tyndareum quoque & Herculem reuixisse, testis est Cælius lib. 8. Lectionum antiquarum.

Æschylus apud Volaterranum scribit, Palicos Iouis, & Thaliæ filios, mortuos semel iterum reuixisse. Macrobius libro 5.

Athena Cataldi (qui postea fuit episcopus) mater in partu mortua, ab ipso Cataldo primùm nato ad vitam solo amplexu reuocata est. quod si verum est, mirum in eo futuræ sanctitatis fuit ostentum.

QVI IN MORTVOS sæuierunt.

SEptimius Seuerus Clodio Albino (quem Cæsarem dixerat) tumultuanti caput abscidit, reliquumq; eius cadauer equo refugienti dedit conculcandum. Spartianus & Capitolinus auctores.

Achilles Hectorem Patrocli sibi carissimi interfectorem occidit, occisum ter circum Troiæ muros raptauit currum quumq; instar frendentis belluæ immanitatem expleuisset, Priamo patri venale cadauer exposuit. Cic. lib. 2. Tusculanæ quæst. Propertius lib. 2. Virg. lib. 1. Æn. Hom. lib. 23. Il.

Apuleius Saturninus tribunus plebis, quum Gracchorum leges Agrarias vellet asserere, à Cajo Mario & Lucio Valerio consulibus in Capitolio obsessus, deditionem tandem facere coactus est. captus autem, fustibus & saxis cooperatus, ibidem exspirauit. mortui caput C. Rabirius senator per conuiuia in ludibrium circuntulit. uide Suet. & Plin. de Illust. viris.

Cyrus rex Persarum, dum Sargapisem Thomyris Scythorum reginæ filium bello captum ad mortem impulisset: irata mulier non prius finem fecit furori, quàm mortuum vidisset. contractis itaque copiis ica conflixit, vt maximam inimicorum partem, cum ipso etiamnum rege occiderit. nec tamen hoc euētu propterea emollita est animi rabies. mortui enim caput in vtrem humano cruore plenum demisit, his verbis insultans: Filii mei sanguinem hausisti, & meum sitiuisti Cyre. at ego te cruore saturabo. auctor Her. lib. 1.

Cambyses rex Persarum, mortuo Psammenito Ægyptiorum ge(quem

ge(quem victum ad haustum cruoris taurini coegerat) è Memphi in vrbem Sain abiit, ibiq; Amasis cadauer è conditorio reuelli, reuulsum verberibus cædi & vellicari, stimulis denique pungi, & contumelia infestari, ac postremò comburi iussit. Herod. auctor.

Idem Cambyses Sisamenem iudicem (quòd iniustè, pecunia corruptus, iudicasset) interemit, interempto corium detraxit, detractum in lora concidit, eoque tribunal (in quo perperam & iniquè iudicauerat) operuit, atque Oranē eius filium ibidem sedere iussit, & periculo patris, ab iniquo iudicio cauere. idem auctor.

Onesilus Gorgii Salaminiorum regis frater, quoniā Cyprios induxerat, vt Dario se submitterent, comprehensus ab Amathusiis (quibus id volebat persuadere) obtruncatus est: eiusque caput supra vrbis portas suspenderunt. auctor Herodotus.

M. Crassus facilè docet inexplebilem hominum auiditatem nullis auri cumulis, nulla bonorum myrmecia, aut drachmæ grandine expleri, sed crescere semper, & augeri copia. nā quū esset ditissimus Romanorū, haberetq; tātum agri, quātū nec miluus oberret, sibi tamen modum prescribere, aut temperare non potuit, quin Parthos (quorum opes sitiebat) aggrederetur. a quibus cum toto exercitu fusus, immodicæ libidinis dedit pœnas. non solùm enim à Pomaxarte occisus est, verùm mortuo quoq; insultarunt inimici. causam siquidem agnoscentes, qua bellum suscepe-rat, in caput interfecti aurum liquauerunt, hisq; irriserunt verbis: Aurum sitisti. Crasse, aurum ad saturitatem bibe. L. Florus & Sex. Rufus.

Tarquinius Superbus Seruium Tullum sextum Romanorum regem (vt regno succederet) morti dedit, cuius filiā nomine Tulliam in vxorem prius duxerat. scelerata mulier eadem regnandi libidine, qua maritus, pruriens, vbi intellexit patrem interfectū, vehiculo se properè ferri iussit, vt interfectori gratularetur. quum autem inter eundum, comperto cadauere, equi & auriga constitissent, erubescerentq; mortuum conculcare, mulier nefaria currum super faciē mortui parētis duci iussit. Sen. in Octa. Oui. in Ibin.

Odio Ciceronis vsque adeò exarsit Antonius, vt mortui caput in mensa apponi voluerit, perq; diem illud aspexerit, quousq; tali spectaculo animum exatiasset. auctor Appianus lib. 4. belli ciuil. Antonij quoque vxor Fuluia caput ipsum maledictis primùm, ac diris execrata est. deinceps in spuens, gremio suo apposuit, acriusq; despiciens, linguam illi faucibus extraxit eamq; acicula plerunque confixit. vnde Quinctianus in Cleopoli, - Latiam foderet nec Fuluia, linguam.

Sylla rerum potitus corpus Marij iam defuncti reuellit, atque disiecit. quapropter talionem formidans corpora cremari instituit. auctores Plinius & Cic. li. 2. de legibus.

Cleomenes dux Spartanorum fugatus ab Antigono, ad Ptolemæum se recepit. à quo benignè primùm exceptus, mox Nicagoræ cuiusdam calumnia, insidiarum suspectus, se interfecit. interfectum rex pelle nudauit, crucique effixit. Plutarch.

Aroldus rex Anglorum, Cuntonis filius nothus, patri successit: quod ægreferens Andebunthus (qui erat legitimus) mortuum Aroldum refodi iussit, refossum in mare proiici. Volat.

DE VARIO INHVMANDI RITV.

INexpiabile quondam scelus creditum est sepulcra violasse, adeò vt lex sacrum esse locum iusserit, vbi corpus hominis demortui iaceret; diceretur; minxisse in patrios cineres, cui omnia sinistrè cadebant, & inauspicatè. Apud nos quoque Christianis damnatur cæremoniis, qui aut lotium sepulcretis egesserit, aut aliquid aliud ibidem fecerit immundum. neq; hoc ipsum apud nos solùm religio sum est. nam nulla propè tam efferata gens est, quæ non seruerit habendam sepulcrorum rationem, præter paucos Barbaros, qui quum belluino propè ritu inter se degant, nihil mirum, si aliorum vestigiis nequaquam insistant. nunc de vtrisq; loquendum: his scilicet, quibus nulla est funerum cura, & illis, quibus maxima.

Lothophagi suos in mare defunctos abiiciunt, assueerantes parum interesse, humo ne, an aqua, aut igne absumantur. Cælius cap. 43. lib. 9.

Albani olim nefas putabant, curã mortuorum agere. Idẽ.

Sabæi corpora defunctorum eodem quo stercus modo, ducebant: quinetiam reges reiiciebant inter sterquilinia. ibidem.

Trogloditæ mortui ceruicem pedibus alligabant, & raptim cum iocis & risu efferebant, nullaq; habita loci ratione, mandabant terræ.

Scytharum verò mos longè melior. qui mortuos inter epulas, vorare causa honoris consueuerant.

Hyrcani non ad alium usum nutriebant canes, quàm ut eis functos vita vorandos obiicerent. auctor Cic.

Athenienſibus tanta fuit sepulcrorum cura, ut si quis dux bello peremptos, sepulcro honestare neglexisset, capita plecteretur.

Macedonibus nullum fuit tam solenne militiæ munus, quàm suos sepelire.

Apud Hebræos cautum fuit lege, ne insepultum hostem relinquerent. Cælius lib. 9. cap. 43.

Antiquitus nemini licebat in vrbe Roma sepeliri, nisi his tantùm, qui optimè de repub. meruissent: quod Val. Publicolæ, C. Fabricio, & Postumio Tiburto concessum est. Cic. 2. de leg. Propterea ferunt Hadrianum imperatorem aureorũ quadraginta pœnam statuisse in eos, qui in ciuitate sepulcrum fecissent. Crinitus lib. 21. cap. 12.

Aegyptij in domorũ ædificatione negligentes miro sumptu superbaq; magnificentia construere sepulcra consueuerant, operæq; prodigiosæ pyramydes, quòd existimarent defunctorum domos sempiternas: uiuorum verò domicilia esse uelut uitæ momento trãseuntis diuersoria idem mortuos condiunt, & eos domi seruant. auctor Cic. li. 1. quæstio. Tuscul.

Perse cæra circumlitos itidem condiunt, ut magis diuturna sint cadauera. auctor Cicero.

Mos erat Magorum, non humare corpora suorum, nisi prius à feris laniata. auctor Cicero.

Pleraque Assyriorum corpora in locis palustribus fuisse condita feruntur. Cælius.

Apud Gerros, Scytharum populos, quum rex fato con-

ceſſit, corporis auferunt inteſtina, poſitisque inibi aromaticis herbis uentrem demum conſuunt. Idem, cap. 45. l. 9.

Perſarum in luctu mos eſt detondere lugubri veſte coniuges ac liberos. ibidem.

Indi pulchrum putant diem fati præuenire: imò verò ſe viuos cremari iubent, coronatiq; deorum laudes concinũt. nullus honos ſolutis ſenectute corporibus exhibetur.

Solebant plerique Ethnici diebus nouem mortuos flere, unde Nouendialium ſacrorum manauit conſuetudo.

Apud Tauros quum rex moritur, cariſſimi quique ſponte ſimul commoriuntur.

Sindi tot piſces in ſepulcra mortuorum mittunt, quot hoſtes interfecerunt.

Phryges marmoribus pro ſepulcro ſuſpendunt.

Maſſagetæ eos, qui morbo pereunt, tanquam impios canibus dãt in prædam. bello verò interfectos honore maximo proſequuntur.

Mos fuit pleriſque populis mulieres conductitias (præficæ vocabantur) comparare, quæ in eorum morte lugerent, quibus deeſſent parentes.

Mortuo apud Græcos vel principe, aut quouis alio magnæ auctoritatis viro, duodecim hoſtes velut victimæ occidebantur, quemadmodum quoſdam Troianorum Patroclo contumulauit Achilles.

Sylius Italicus lib. 13. varios funerandi ritus deſcribit his verſibus: -tumuli, & cinerum ſententia diſcors.
Tellure (vt perhibent) is mos antiquus Ibera,
Exanima obſcenus conſumit corpora vultur.
Regia quum lucem poſuerunt membra, probatum eſt
Hyrcanis adhibere canes. Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat vmbram.
Exauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro
Ora virum, & longum myrrhata reponit in æuum.
Quid, qui recluſa nudos Garamantes arena
Infodiunt? quid, qui ſæuo ſepelire profundo
Exanimes mandant Libycis Naſamones in oris?
At Celtæ, vacui capitis circundare gaudent

Oſſa (nefas) auro, & menſis ea pocula ſeruant.
Cecropidæ ob patriam Mauortis ſorte peremptos,
Decreuere ſimul communibus vrere flammis.
At gente in Scythica ſuffixa cadauera truncis
Lenta dies ſepelit putri liquentia tabo.

Porrò lege fuit olim ſancitum, ne quis ſepulcrum faceret operoſius, quàm quod decem homines triduo poſſent abſoluere. Cic. lib. 2. de leg.

Demetrius lege ſanxit, vt mortui ante lucem efferentur. Cic. ibidem.

Funerare in bello corpora primus docuit Hercules.

In exequiis cupreſſo fores ornare fuit moris, quòd hæc arbor ſit Plutoni ſacra. Blondus.

Solon mortem ſuam lugeri iuſſit: contrà verò Ennius vetuit. Cic. in lib. de Senectute.

Cyrus apud Xenophontem inhibet, ne corpus ſuum auro, aut argento includatur, ſed terræ mandetur protinus.

Tobias ſepeliendis mortuis vacabat.

Machabæus inimicorum interfectorum cadauera ſepeliri iuſſit.

Alexander Darii interfecti corpus matri tumulandum præbuit. Plutarchus.

Paulli Æmilij cadauer Hannibal hoſtis ſepeliuit.

BRVTA, ALIA'QVE ANIMALIA honorata ſepulcris, aut ſtatuis.

ALexander equum habuit Bucephalum nomine, qui regio inſtratus ornatu, nullum alium ab Alexandro ſeſſorem admiſit, alios paſſim reiiciens. propterea rex defuncto duxit exequias, urbemque muro circundedit nomine eius.

Cæſaris quoque dictatoris equus neminem alium dorſo recepit. idem homini ſimiles pedes habuiſſe fertur, hac effigie locatus ante Veneris genitricis ædem. auctor Plin. Statuam eius graphicè deſcribit Statius lib. 1. Siluarum.

Equus Auguſti Cæſaris mortuus, tumulo honoratus eſt.

Agrigenti complurium equorum tumulis ſuperpoſitæ ſunt pyramides. Plinius.

Universidad de Deusto
Biblioteca
Facultad de Filosofía y Letras
Provincias Cast. Orientales

Cimon Atheniensis equabus(quibus in olympico certamine tertium vicerat)sepulcra erigi prope suum monumentum iussit. auctor Plutar.

Romæ fuit Coruus,qui humano sermoni assuefactus,omnibus matutinis euolans in rostra,Tiberium,Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim,mox transeuntem populum salutabat. quem quum postea nescio quis ira percitus occidisset, à populo factum ægreferente, saxis obrutus est, funusque aliti innumeris celebratum exequiis. Plinius ca. 43. lib. 10.

Xãtippus dux Lacedęmoniorum Canes familiares ac domesticos curauit humandos. unum præcipuè in arce,cui loco Cynotaphium extitit cognomentum. auctor Plut.

Saxo li. 5. Danicarum historiarum scribit Arsuitum Bironis filium cum cane & equo fuisse humatum.

Ceruus Syluiæ(qui uulnere violatus, causa fuit belli inter Troianos & Latinos)rosis & tumulo ornari meruit.

Herodotus lib. 2. scribit Feles mortuas magno luctu deferi ab Ægyptiis,demum ad sacra tecta deferri,vbi salsæ sepeliuntur in vrbe Babusti. Canes quoque in sua quisq; vrbe tumulant sacratis in loculis. Vrsos, qui sacri sunt, & lupos non multò vulpibus grandiores eo sepeliunt loco, vbi iacentes inueniunt.

Crocodilum(vbi mortem obiit) sale conditum sacris in vrnis sepeliunt. viuenti gemmas & inaures appendunt.

Lethargus Hippamonis equus mortuus cum mortuo domino inhumatus est.

Auram Atalantæ canem, quum Calidonia sus peremisset, bruto ab indigenis sepulcrum erectum est.

Geryonis canis Gargitios Cerberi frater,ab Hercule cæsus,in Iberia monumentum habuit.

Marthes rex Ægypti cornicem habuit impendio miten, adeoq; cicurem, vt quocunque fuisset imperatum litteras deferret,sciens quò transuolandum,vbi sidendum,quiescendum ve foret. propter quod obsequiũ adeò mite, nulliusq; stipendii indigum,rex dignam putauit,cui erigeretur tumulus. quod quoniam apud auditores ægrè capit fidem, si cui videor hoc finxisse, videat Cælium lib. 13. cap. 58. qui ex

Græcorum monumentis hoc ipsum aduocat.

Apud Persas equi, apud Molossos canes sepulcra & exequias meruerunt. vnde Stat. lib. 2. Sil. -gemit inter bella peremptum Parthus equum, fidosq; canes fleuere Molossi: Et volucres habuere rogum,ceruusque Maronis. Iteꝫ Strozа filius:-suos de more Molossa vetusto Condit terra canes, cineres nec lædit opertos.

PESTILENTIÆ MEMORABILES.

LEone Isauro imperante, tanta in vrbe Constantinopoli sæuitum est clade,ut tercenta & amplius ciuium millia peste & fame cõsumpta sint. Vol. & Egnatius. Anno à virginis partu M. CCCC. Florentiæ pestis triginta hominum millia absumpsit. porrò scribit Plinius Locris & Crotone pestilentiam nunquam fuisse.

SVPLICIIS APVD INFEROS damnati secundum poetas.

FAbulantur poetæ Tantalum diis hospitio susceptis, Pelopem filium apposuisse comedendum,vt eorum experiretur dignitatem,ac propterea ad inferos perpetua siti ac fame torqueri,aquis & pomis ori imminentibus, quæ non possit arripere. Propert. li. 2. & 4. & Hor. in Epodo. Seneca in Octauia.

Sisyphus Æoli filius, quoniam ex hospitibus alios saxo perimebat,alios calce in aquas præcipitabat, hanc apud inferos luit pœnam,vt relabentem semper scopulum ad verticem montis cogatur voluere. Ouid. lib. 4. Met.

Ixionem Thessalum rota perpetua volui dicunt, quòd se Iunoni gloriaretur concubuisse. Tibullus lib. 1. Seneca in Hercule furente.

Tityus, Iouis filius, propter tentatam stupri Latonam, ab Apolline sagittis confossus est. hoc autem supplicio nunc torqueri dicitur, vt renascentes eius fibras, iecurque vultur semper dilaniet. Ouid. 4. Metamor. & lib. 1. de Ponto, & in Ibin.

Filiæ Danai (quæ ab auo Belo dicuntur Belides) propter maritos noctu, excepto Lino, interfectos, perforatis vr-

nis, aquas apud inferos æternùm hauriunt. Ouid. in Ibin. Tibul. lib. 1.

Prometheus Iapeti filius propter ignem Ioui surreptum, formatumque luto hominem, a vulturibus roditur sub Caucaso. Propert. lib. 2.

Theseus Aegei filius perpetuo damnatur otio, quòd cum Pirithoo Proserpinam rapere voluisset. Virg. lib. 6. - sedet, æternumq; sedebit Infelix Theseus. Seneca in Hippolyto. Rota resistat membra torquens, Tangat Ixion humũ, &c. Idem in Agamemnone: Vbi ille celeri corpus euinctus rotæ In se refertur. Vbi per aduersum irritus, &c.

QVI SVIS INVENTIS PERIERVNT.

THrasius, seu Thrasillus quum ad exorandas à Ioue pluuias, Busirim docuisset hospites immolare, interfectus est omnium primus. Quid. in Ibin: Vt qui post annos sacri mõstrator iniqui, Elicuit pluuias victima cæsus aquas. Idem libro 1. de arte. Dicitur Aegyptus caruisse iuuantibus arua, &c.

Perillus quoq;, (ut diximus suprà 34.) in tauro æneo, quem ad reos torquendos excogitauerat, à Phalaride combustus est. Ouidius in Ibin: Aere Perillæo veros imitere iuuencos, ad formam tauri conueniente sono. Idem lib. 4. De arte amandi: Et Phalaris tauro violenti mẽbra Perilli Torruit, infelix imbuit auctor opus. Idem in Tristibus. Perillum primò, deinde Phalarim sic inducit loquentes: -ut munus munere pensẽs; Da precor ingenio munera digna meo. Dixerat, & Phalaris pœnæ mirande repertor, Ipse tuum præsens imbue dixit opus. Claudianus libro 1. in Eutrop.

Sic opifex tauri tormentorumq; repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno
Sensit opus, docuitq; suum mugire iuuencum.

Phalaris quoque tyrannus eodem postea tauro inclusus & crematus est, quo alios prius suffocauerat. Ouid. in Ibin: Vtq; ferox Phalaris lingua prius ense resecta, More bouis Paphio clausus in ære gemas.

Pygmalion frater Anthæi, quum immolationem hospitum docuisset, deorum aras suo sanguine instar ceterorum imbuit. Ouidius in Ibin: Frater vt Anthæi, quo sanguine debuit, aras Tinxit, & exemplis occidit ipse suis.

Diomedes ab Hercule datus est in pabulum suis equis, quos humano prius sanguine ipse pauerat. Ouid. in Ibin: Vt qui terribiles pro gramen habentibus herbis, Impius humano viscere pauit equos.

Scyron latro in attica à Theseo in mare præcipitatus est, quo prius hospites ipse deturbabat: cuius ossa mutata dicũtur in scopulos.

Icarus pater Erigones, quum Atticos vsum vini docuisset, ab eis in ebrietatem lapsis interfectus est. Ouidius in Ibin: Muneribusq; tuis læderis, vt Icarus, in quem Intulit armatis ebria turba manus.

Aegesta Siciliæ fuit oppidũ, in quo principatus est Aemilius Censorinus, qui noui tormenti inuentores muneribus cumulabat. cui quũ Aruntius Paterculus, equum ex ære factum ad fontes perimendos excogitasset, eiusdem iussu primus eò coniectus est, & ibidem enecatus. auctor Aristides Milesius apud Plut.

MORBI DIVERSI.

ALbugo est macula quædam in oculo, à colore subalbido, quæ ex glutinosa pituita procedit. Plin. Qua alligata oculi, albugines tolli dicuntur.

Alopecia morbus est in capite humano ex vitio humorũ proueniens. dictus à vulpe, quam Græci Alopeca dicunt, quòd crebro hoc genus morbi patiatur, uel ex proprietate urinæ eius animalis, qua vt asperſæ herbæ arescunt, neque renascuntur nouæ; ita quoque pilos decutit hic morbus. qui postea non succrescunt. vocatur aliter Alopeciasis. et Alopecades vafer seu vulpio dicitur. Plinius ait hunc morbum Linguæ herbæ radice combusta & trita, emendari.

Angina morbus est acutissimus, fauces occupans & strangulans, qui aliter Tonsæ seu Tonsillæ dicitur, ab Hippocrate & Galeno Synanche: tracto etymo ab ango verbo, quòd hominem angat. Plaut. Vellem me in anginam verti, ut huic aniculæ fauces præoccuparem. fit autem quando nec tu-

mor, nec rubor ullus apparet, sed corpus aridum, & vix spiritus trahitur. Arethæus medicus dixit, morbum hunc ex frigore frigidisq; potionibus generari. Anginæ genera tria sunt Synanche Cynanche, Perasynanche. Iulius Modestus apud Macrobium testis est Angeronæ deæ olim sacrificatum, quòd populus R. hoc morbo, premissis votis liberatus sit.

Amphimerinon febris est quotidiana, quæ ex humoribus corruptis, ac præsertim pituita, coalescit. Plinius cap. 10. libro 28.

Apoplexia, seu Apoplexis dicitur subita percussio, & velut quædam consternatio: quam qui patiuntur, dicuntur Apoplectici. hoc modo periit Valentinus subiti sanguinis eruptione. si fiat in parte corporis tantùm, Hemiplagia dicitur. hunc morbum Latini Stuporem vocant. Galenus ait in Apoplexiis totum corpus sensu priuari ac motu, solumq; superesse anhelitum, qui si probibeatur, maxima est & acutissima apoplexia. fit autem hic morbus interdum fulminis ictu, interdum morbo.

Argema est morbus oculorum, quum vlcus circulum oculi infestat. Irim Græci, & Leucoma à candore nominãt, Latini Albuginem. fit autem quando ex plaga tenui venis fractis sanguis suffunditur toti oculo, deinde nigrescit.

Aurigo morbus est, qui aliter Regius dicitur. nomen habet à colore auri, quem bilis per totum corpus diffusa repræsentat. quo qui laborant, Auriginosi vocantur.

Arquatus morbus dicitur à varietate colorum arcus cæleſtis, quos affectorum facies reddit. Plinius scribit hunc morbum & Ictericum eundem esse cum Regio morbo, ab Icterone aue, quam nos Galgulum dicimus. de hoc Lucretius libro 4.

Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati, quia luroris de corpore eorum.
Semina multa fluunt, simulacris obuia rerum,
Multaq; sunt oculis in eorum denique mixta,
Quę contage sua palloribus omnia pingunt.

Plutarchus scribit Alphon morbum esse quendam, quo quamuis laboraret Atossa Artaxerxis filia, nihilominus à

patre in uxorem ducta est.

Arthritis dicitur articulorum affectio, sicut Pleuritis, costarum; & Nephritis, renum.

Apophtosis dicitur pruritus palpebrarum, quum pili earũ decidunt, quarũ Diabrosis, Distochiasis, Phthiriasis etiam sunt vitia.

Amaurosis morbus est visum impediens incolumi pupilla, ferè citra vllum dolorem.

Amblyopia idem prope est cum Amaurosi, quando ita premuntur oculi, vt exerti perseuerent, & plus iustò patentes sunt, ut contingit athletis in certamine compressis.

Aphtæ vlcera sunt in ore summo, infantibus plerunque peculiaria, vitio lactis (quo nutriuntur) calido humore corrupti. oriuntur & in prouectis ætate, quando humoribus calidis concurrentibus tumescunt ora aspectu sanguineo.

Ancurysma tumor est arteriæ præclusę è sanguine, & spiritu causam trahens. fit autem quum vulnerata arteria pellis nequaquam superinducitur.

Anorexia est morbus quidam, quo affecti cibum respuũt, & fastidiũt: pelliturq; olfactu aceti, & aliis odoribus acutis.

Atrophia morbus est maciem contrahens, quando corpus non alitur, continuò aliquibus decedentibus, & nullis succedentibus.

Acrocordona vlcera sunt verrucis similia, vbi sub cute coit aliquid durius, & interdum paullò asperius.

Apostemata dicuntur corruptiones carnium, musculorũ, venarum, & arteriarum, quæ initio rubra & dura sunt, demum quum maturuerunt, multam emittunt saniem.

Branchus species est Cathari guttur arripiens, quando fauces arteriarum asperitate læsę sunt.

Bubonocele morbus dicitur, quando intestinum vsque ad inguen duntaxat eruperit, aut decubuerit.

Batrachus est tumor sub lingua maximè pueros infestans.

Bulimus dicitur morbus, quum ob famem stomachus deficit, paullatimq; adeò frigescit, vt extreme partes destituãtur: curatur autem aceti, aut panis calidi olfactu: aut si extrema membrorum calida aqua abluantur.

Cærium genus est vlceris, dictum à faui similitudine, quã

habet. Plinius Ramorum fici teneri cauliculi cum melle ul ceribus (quæ Cæria vocantur) illinuntur.

Cancer canceris, morbus est nascens in omnibus fere cór poris partibus, sed maximè in mammis mulierum, que naturali menstruo non purgantur. Ouid. lib. 2. Met. Vtq; malum latè solet immedicabile cancer Serpere, & illæsas uicinis addere partes. Cato de Re rustica, Cancer, cancri, ponit in masculino: Eadem (inquit) brassica vulnera putrida, Cancrosq; purgabit. Aliter Carcinoma, seu Carcinus dicitur. Crinitus ait Cancrum differre ab Elephantiasi: quòd Cancer vnicum duntaxat membrorum occupet, Elephantiasis verò vniuersum corpus suo passim contagio depascatur.

Carbunculus est tuber, seu vitium proueniens ex inflammatione: diciturque ab igneo carbone propter inflammationem. super eum pustulæ eminent maximè nigræ, interdum subliuidæ, aut pallidæ, in quibus sanies esse videtur. hunc morbum Græci Anthracem vocant. Plin. lib. 26. ait, Carbunculum in Italiam primum venisse L. Paullo & Q. Martio censoribus, ac esse peculiare Narbonensis prouinciæ malum.

Carcinoma sunt qui idem esse putent cum Cancro, nisi quòd maximè in superioribus partibus circa faciem, nares, & aures prouenit. Cato ait hûc morbũ sanari brassica trita.

Cephalæa morbus est acutus & pestilens, qui totum caput infestat. qui dimidia solùm capitis parte laborant, hemicranici dicuntur. Cephale caput significat.

Condyloma tuberculum est insanabile, nascens circa coronam podicis, proueniens ex inflammatione: in quo sunt eminentes tumores, figura rotunda, nunc duri. tres autem præcipui podicis morbi sunt Rhagadia, Hemorrhois, Condyloma.

Cordapsus morbus tenuioris intestini, quem iuniores Iliacum nominant.

Coriago morbus est pecoris bubuli, quum pellis ita tergori adhæret, vt apprehensa manibus à costis deduci nequeat. prouenit hic morbus, si bos ex aliquo languore maciem contraxerit, aut sudans in opere, postea refrixerit.

Coriza morbus humore nasũ obturans, Latinè Grauedo.

Cynanche dicitur pituita crassa in fauces & ceruicem delata, qua maximè laborant canes. unde etiam tractum etymum. tunc vox nihil potest exprimere.

Chiragra dicitur manuum morbus, quo qui laborant, Chiragrici dicuntur. Horatius: Nodosa corpus nolis prohibere chiragra.

Chemosis morbus est oculorum, quando ex tumore vehementi vtræque palpebræ connectuntur, vt vix liceat conniuere.

Crethe est tuberculum, quod nascitur in palpebra, hordei similitudine. unde & Hordeolum vocatur.

Chalazia, morbus est, præcedenti similis, quando tuberculum album modo grandinis innascitur.

Cophosis aurium morbus surditatem afferens.

Cion seu Cionida tumor est in gutture, quando scilicet excrescens caro in faucibus ex Rheumate impedit uocem.

Calculus morbus est in renibus, proueniens ex defectu concoctionis. fit etiam in vesica; tum appellatur Lithiasis.

Cardiacus morbus est in ore uentris, qui accidit cum febre acuta, & motu arteriarum frequenti, recreaturque flabelli ventilatione.

Cœliacus ventris morbus, quum emollita aluo, liquida egeruntur causa debilitatis. causa morbi est superfluus, & frigidus cibus, continua frigora, aut calores vehementes.

Cirsocele morbus est coleorum, quum tumescentes venę scrotum implent, fitq; testiculorum alter maior altero.

Catoche & Cathalepsis morbus est inter Lethargum & Phrenesim medius, melancholico humore cum febre veniens, quo affectus oculos quandoque apertos, quandoque concretos & immobiles habet sine sensu.

Caros species est Lethargi, uehementé somnũ inducens.

Cachexia est malus corporis habitus omne alimentum corrumpens quando corpus longo morbo extenuatum refectionem ob debilitatem non accipit. prouenit etiam quandoque à retentione excrementi.

Comitialis morbus est tantam animi consternationem afferens, affectumq; adeò mente alienatum & attonitum red-

dens, vt trementibus membris, venisq; palpitantibus in terram decidat. unde & Caducus dicitur. uocatur etiá Herculeus, quòd eo laborauerit Hercules. item Morbus sacer, quòd in eam maximè partem sæuiat quę sit sanctissima. Comitialis autem, quòd primus Romanorum (qui eo laborauit) affectus sit in comitiis. huic morbo præcipuè sunt obnoxij viri, qui atra bile vexantur, & ingenio clarent.

Dysenteria est intestinorum exulceratio, qua qui laborant, vocantur Dysenterici. Latinè Tormina dicuntur. prouenit quandoq; ex cibo, aut acuto, aut minime concocto.

Dysuria vocatur vrinæ difficultas, dum vesicæ passiones vrinam ipsam supprimunt.

Dispnœa est difficultas spirandi.

Discoia appellatur difficultas auditus.

Dracontium, morbus est apud Indos & Aegyptios, prouenies in membris musculosis, vt gutture, brachiis, coxis, cruribus.

Diabetes est morbus renum, qui inueteratus ex prauo humore congesto maximam inducit sitim. curatur superfluo humoris euacuatione.

Elephantus, Elephâtia, seu Elephantiasis, morbus est similis leprę crebras in summa corporis parte gignens maculas, ac tumores, rubore paullatim sese in atrum vertente. hoc affectis morbo omnes corporis partes nœuulis quibusdã rubris inflantur. nomen tractum ab elephanto animali, cuius cutis vlcerosis vallibus exaratur. scribit Plin. morbum hunc in Italia non fuisse antè Cn. Pompeij tempora. de hoc Lucr. lib. 7. sic inquit: Est elephas morbus, qui propter flumina Nili Gignitur Aegypti in medio, nec præterea vsquam. Galenus Elephâtiasim inter insantiles morbos numerat. differt à lepra, quoniam lepra habet cutis impetiginem quandam, & velut scabiem. elephantiasis verò non cutem solùm, sed neruos & ossa vitiat.

Encanthis morbus est oculorum, quum in ipsorum angulo tuberculum est, quod palpebras parum diduci patitur. est autem nautis frequens.

Epialos species est febris ex pituita frigida procedens.

Epiphora morbus est oculorum, quum humoris descen-

su anguntur oculi. Plinius ait carnem peponum Epiphoris oculorum prodesse. Columella, Magudarim contusam conspersa polenta ipsum morbum supprimere.

Epinyctis vlcus est aciem hebetans, & in cingulo oculi perpetim humor emanans: quem morbum ait sanari illitis porri sectiui foliis.

Ectropia morbus est oculorum Lagophthalmiæ contrarius, dum palpebræ deorsum conuertuntur.

Emphysma seu Sympysi dicitur tumor, & inflatio palpebrarum.

Epicauma vlcus est sordidum, ex cuius purgatione humida, quæ sunt intus, effluunt.

Epulis tumor est iuxta dentem genuinam, quandoq; cum febre & dolore vehemente, adeò vt hiscere hominem prohibeat.

Empyema morbus est thoracis, procedens vel ex sanguine commaculato, vel alicuius visceris vlcere.

Enterrocellæ morbus est intestinorum diffluentium in testiculo. Martialis libro 10. Enterocellarum fertur Podalyrius Hermes.

Epneumatosis dicitur ventris inflatio humoribus pituito sis in vapores resolutis ex mediocri calore.

Emphysma est spiritus inflatio sub cute. fit quandoque in ventre & in intraneis.

Erotes morbus est melancholiæ, ex nimia amoris ægritudine proueniens, qui curatur vini potatione, balneis, spectaculis, & aliis rebus iucundis mentem ab eo tormento auocantibus.

Ephialtes morbus est, quo affecti noctu se strangulari putant, aut membris aliquibus detineri, aut ex alto cadere, aut voce & parata venere prohiberi. hic si inueterauerit, apoplexiam, aut epilepsiam afferet. prouenit ex atra bile, & crassis humoribus ad cerebrum tendentibus.

Febres sunt variæ: Quotidiana, quæ accidit pituitosis, quandoque pueris hiemali tempore, & senibus ob nimium cibum vel in vita maximè otiosa. hæc certam habet periodum, & aliquando desinit. hanc Græci vocant Aphèmeriam. Putris febris cognoscitur ex pulsu arteriarũ inæqua-

li calore magno & fumoso. hæc sanatur missione sanguinis & humoris euacuatione. Continua non habet remissionē. Febris Acuta cognoscitur lingua affecti nigra, siccis excrementis, lutea & uehemente siti, inquiete nocturna & mentis alienatione. Tertiana vno die peritat, tertio postea redit. habet originem à flaua bili, horroremq; ac sitim infert ab initio, ac propterea tempore æstiuo plerunque venit. curatur alui decoctione, vrinæ prouocatione, & potione apij. Quartana oritur è frigido humore, & atra bili. calore tertianā inferior est. propterea plerunque solet esse autumnalis. sanatur diæta, vino tenui & albo, ac tribus piperis granis quotidie ex aqua sumptis. Dicitur autē febris à feritate. ea affecti dicunt febrire, febricitare, & febricitari.

Ficus uitium est oculis adnascens, quod non facilè potest auelli. nasciturq; ex nimio pruritu, in his maximè partibus, quæ pilis conteguntur.

Furunculus tuberculum est cum inflammatione & dolore, quòd in pus veniat.

Gangilium est morbus in capite, quum humor quidam includitur; est etiam nerui alicuius contorsio.

Gemursam Plinius lib. 26. ait morbum esse inter digitos pedum nascentem.

Glaucoma genus est morbi cristallini humoris mutati in colorem glaucum.

Gonorrhœa est emissio vrinæ minimè voluntaria, ex debilitate proficiscens, cui occurritur abstinentia rerum inflantium.

Gangræna est quædam scabies curatu difficilis, quando itidem tumor ingens afficit aliquod membrum.

Hecterocranea morbus est capitis, quum caput ipsum inæqualiter dolet tumetq;, & inter pilos rotunda, & tumida surgunt vlcera.

Hydron seu hyderon genus est morbi, quum distenditur aqua cutis.

Hydrocephalæa est capitis morbus, vbi humor cutem inflat.

Hydrops, seu Hydropisis est morbus, aqueus subcutaneus quando scilicet sub cute est aqua, quæ facit ventrem turgescere

scere & inflari. quo morbo qui laborant, explere sitim nequeunt. Horat. Crescit indulgens sibi dirus hydrops, Nec sitim pellit, nisi causa morbi Fugerit venis, & aquosus albo Corpore languor.

Herculanus morbus est ex eorum numero, quibus nulla medicorum ope succurri potest. nasciturq; quoties caro in humorem crassum & spumidum colliquescit. vocatur aliter Diuinus, seu Sacer, quòd diuinam, id est, rationalem animi partem violet.

Hydrocelle morbus est, quum intestina defluunt ac colliguntur. Martialis lib. 12. Omnes quem modo colei timebant, Dicentem tumidas in hydrocellas.

Hypisphasma dicitur ruptio venæ ex ictu & venæ plerunque procedens.

Hyptasmus est conuersio stomachi ex humore imperāte.

Harpe est humor ex flaua bile proueniens, qui totū corpus latè corripit.

Hæmorrhois genus morbi, quo affecti sanguinis fluxum patiuntur. Plinius ait, Allium potu, vel cibo, vel illitu priuatim contra hæmorrhoidas prodesse.

Ictерus est diffusio bilis per totum corpus, quæ interdum nigra, interdum flaua est: diciturq; ab Ictero aue, cuius aspectu sanatur. cognoscitur hic morbus ex colore oculorum, quando quod album est, fit luteum. procedit tam ex splene affecto, quàm ex hepate. eo laborans nulla cibi appetentia mouetur, alba egerit excrementa. vocatur aliter Regius, Arquatus, & Aurigo. Martialis lib. 11. Dicet & ictericam si forsitan altera mœcha.

Ileos morbus gracilioris intestini, quo affecti dicuntur Ileosi.

Impetigo est fœdatio cutis cum pruritu. affert autē morbum squamosum scabiei similem, totum corpus dehonestantem. Serenus: Si verò vitium est quod duci ab impete nomen, Hoc matutina poteris cohibere saliua. Aliter Petrix, & Petigo dicitur.

Intertrigo fit quando nerui in aliqua corporis parte contrahuntur. Cato ait morbum hunc sanari posse, si surculus absinthii pontici feratur sub anulo.

Ignis sacer numeratur inter mala vlcera. cuius duo sunt genera: alterum subrubicundum, quod sit in pectore, laterибus, aut plantis: alterum in summa cutis exulceratione, sed sine latitudine. dicitur sacer, propter admirationem, quòd nihil habeat cum aliis morbis simile, uel ab Hercule, qui eo laborauit.

Lepra morbus est idem cum Elephantia, aut non multùm dissimilis. de quo intellexisse videtur Horatius, dicens: Vt mala quem scabies, aut morbus regius vrget. hunc alio exulcerari, sanariq; cum origano, testis est Plinius lib. 20. Similitudinem habet cum Psora, sed altius aliquando penetrat, pulmonemq; adeò corrumpit & putrefacit, vt eo affecti rauescant, ægreq; loquantur, & respirent.

Lychenes masculini generis dicuntur oris vlcera, furfurem cutis excitantia, latinè Mentagra dicitur. Martia. lib. 11. Non vlcus acre, pustulæ ue lucentes, Nec triste mentum sordidiq; Lychenes. Fuit hic morbus Romanis ignotus vsque ad principatum Tiberij. auctore Plinio lib. 26. ca. 1. Aliter etiam uocatur Lychen.

Lithiasis uocatur morbus calcularis. alij ocularem faciunt in conuersis palpebris. si in renibus accidat, aut uesica, procedit ex defectu concoctionis.

Lyenteria vocatur intestinorum dissolutio, quum cibus non perficitur, sed egeritur incoctus. Lyenteriam qui patiuntur, dicitur Lyenosi.

Lippitudo vitium est oculorum, humorem & lacrymas emittentium, quo Horatius fatetur se laborasse, vbi ait: Hic oculis ego nigra meis collyria lippus, Illinere.

Lagophthalmia morbus est oculorum, quando cõtractis supernè palpebris apertis dormitur oculis, instar leporis.

Leucomata maculæ sunt profundæ in oculis.

Lycantropia species est melancholiæ, quum more luporum affectus noctu in somnis vlulat.

Lethargus morbus est Phrenesi contrarius, dormitans, & ex atra bile proueniens. cui consanguineus Veternus, alter obliuione, alter somno semisepultus. in lethargo præter somni appetentiam, est quædam mentis alienatio, & rerum propè omnium obliuio. Boetius, Lethargum patitur communem illusarum mentium morbũ, sui paulisper oblitus est. hoc affecti dicuntur Lethargici.

Leonthiasis capitur pro Elephantiasi, quòd hoc morbo affecti frontem Leonis modo corrugatam habeant.

Mentagra est faciei morbus, nomen sortitur à mento, à quo oritur: occupatq; interdum totos vultus, oculis tantũ immunibus. descendit nonnunquam in colla, pectusq; ac manus fœdo cutis furfure. vocabulo Græco Lichen, seu Lichenis dicitur. Mentigo verò morbus est pecorum.

Melatheam Plutarchus in Phocione ait esse morbum, quo laborauerit Dimarchus Corinthius: morbi tamen non exprimit qualitatem.

Nephritis est renum morbus, qui inter acutos numeratur, de quo fortè intellexit Horatius, dicens: Si latus, aut renes morbo tentantur acuto. Nephritici dicuntur omnes, qui hoc morbo laborant.

Nausea vocatur stomachi fastidium, ob circumstantem prauum humorem. cui propè similis Anorexia, id est, ciborum inappetentia.

Narce est alicuius membri torpedo seu labore, seu frigore stupescentis. Narcodes dicitur, qui hoc patitur, à Narco pisce hoc malum inferente, qui & Torpedo appellatur.

Ozenia morbus est, quum multa vlcera ac crustæ sunt circa nares, quę fœtidum reddunt odorem, & olfactum impediunt.

Otalgia est aurium morbus, quum intus fiunt quidã soni.

Pernio morbus est pedum ex frigore proueniens, & maximè calcaneum infestans, quem rapo domestico, si feruẽs imponatur, sanari, testis est Plinius.

Petigo maculosus est morbus, totum plerunque vultum præter oculos occupans. aliter vocatur Impetigo ab impetendo.

Phrenesis morbus est conturbans mentem, & insaniam plerunque excitans. fit autem, quum quis vanas imagines accipit. Possidonius scripsit Phrenesim tumorem esse membranarum circa caput cum febri acuta, qui mentem alienat. prouenit autem ex flaua bile. si humida est, somnos facit profundos: si sicca, vigilias: si humida, cum paruo frigo-

re ſtultitiam.

Phthiriaſis appellatur morbus pedicularis, quo Sylla, Pherecydes & alij pleriq; (vt iam diximus) perierunt.

Pituita eſt morbus capitis proueniens ex catharro: Græcè Phlegma dicitur. eſt autem origo omnium languorum, qui ex diſtillatione fiunt. quum exſpirat extrinſecus, varios tumores producit. intrinſecus verò cohibita, vrentes edacesq; morbos parit. Horat. in epiſt. Præcipuè ſanus, niſi quem pituita moleſta eſt. Pituitoſi hoc morbo affecti.

Pleuritis ſeu Pleureſis eſt dolor laterum, quo affecti dicuntur Pleuretici. quo morbo periit Lucius Craſſus eloquentium iuriſperitiſſimus. affert plerunq; febrem, tuſſim, & anhelitus difficultatem.

Podagra eſt dolor pedum, quo affecti dicuntur Podagrici. Plin. ait hunc morbum rarum fuiſſe in Italia patrum, auorumq; memoria, ſuaq; etiam ætate, nec eſſe incurabilem. nam in multis ſponte definit & in pluribus curatur. vide remedia lib. 20. cap. 11. quamuis Ouid. lib. 2. de ponto dicat: Soluere nodoſam neſcit medicina podagram. Si eſt in genu, vocatur Gonagra ab Hippocrate.

Porrigo genus eſt morbi, qui creſcendo porrigitur & extenditur, vnde nomen traxit. naſcitur in capillo, barba, & ſupercilio. Lucius: Triſtem & corruptum ſcabie & porrigine plenum. Qui hoc infeſtantur, dicuntur Porriginoſi.

Priapiſmus morbus eſt, quo genitale membrum citra rei venereæ cupiditatem extenditur. cui rebus frigidis occurritur: quo periit Michael Verinus poeta Hiſpanus, aliter Prurigo vocatur.

Puſtula eſt tuberculum naſcens in ſummitate cutis. Plin. Puſtulas vocat eruptiones pituitæ. quandoq; tamen puſtula ſignificat bracteam argenti. Martialis lib. 8. Et niueum felix puſtula vincit ebur.

Pterygium membranula eſt nerueſa, oriens ſub angulo oculi, quæ interdum ita augeſcit, vt pupillam operiat. ſi inueterata ſit, chirurgi manu indiget, ſi mediocris, tantum collyriis.

Ptiloſis oculorum morbus, quum pili ſuperioris palpebræ connectuntur, vel quum decidunt, aut ordine duplici

ſupernaſcuntur ex craſſitudine palpebrarum.

Pſorophthalmia dicitur pruritus palpebrarum.

Phthiſis morbus itidem oculorum, quando pupilla angu ſtior fit, aut latior ex aliquo capitis morbo, ex quo obiecta apparent eſſe maiora quàm ſint. in hoc morbo fit exulceratio pulmonis ex pituita diſtillante à capite.

Polypus eſt narium morbus, ita dictus à ſimilitudine Polypi animalis. qui vt acetabulis venantes inuadit, ita quoque nares iſte occupat vſque ad ſermonis & anhelitus impedimentum. ponitur inter Carcinomata pænè incurabilia. Polypoſi ſunt, quorum naſus polypo morbo in fœdam magnitudinem excreſcit. Martialis: Naſutum volo, nolo polyposum.

Parotides morbi ſunt narium, qui naſcuntur ex capitis humore huc deſcendente & aggeſto. ſunt & quandoque ſine tumore.

Parulis dicitur tumor gingiuarum, cui niſi per pharmaca occurratur, in pus veniunt.

Pariſthmia morbus eſt gutturis & faucium, quando loca gulæ angusta præcluduntur, aut nimia vini potione, aut hauſtu ſubito alicuius rei acorem habentis.

Pneumonia morbus eſt pulmonis, quando tumeſcit: prouenies interdum ex vehementi catharro, uel pleuritide.

Phymoſis vitium eſt membri genitalis, quando nudum eſt aut contectum nudari non poteſt.

Pſora ſpecies eſt lepræ, que in ſummæ pelle verſatur. hac qui laborant, vlcera ſiue puſtulas ſupra modum contingere & ſcalpere cupiunt.

Paralyſis dicitur neruorum diſſolutio, & virium defectus, aliter Pareſis. hoc morbo qui laborant, vocantur Paralytici. arguitur autè in hominibus, quum rectum ſeruare inceſſum non ualent, & crura velut ardua conſcendentes attrahunt, & in ſiniſtrum quandoque dextra circunferunt, quandoque e diuerſo.

Recluuium morbus, quum circa vngues cutis ſe ſoluit. huic ſimilis eſt Rediuia, quam lana ſuccida ſanat ex aqua frigida.

Ramex ſpecies eſt herniæ. hoc affecti morbo vocantur

Ramicosi. sanatur siluestri ruta cum axungia. Plinius l. 10.

Regius morbus idem est cum Arquato, Aurigine, & Ictérico, uide in precedentibus. appellatur autē Regius, quòd eo morbo affecti, apparatu regio, vt conclaui cultiore, lu disq; & lasciuia sanentur.

Stranguria vocatur vrinæ difficultas, quando gutteatim egeritur. latinè dicitur Substillū. auctor Cato de Re rust.

Sacer morbus vocatur Comitialis, seu Caducus, quòd eo laborauerit Hercules.

Strophos appellatur intestinorum dolor.

Sycosis morbus est, qui aliter Ficus, seu Marisca dicitur. uide indictione Ficus fit quando caro excrescit.

Synanche morbus est spiritum, & fauces occupans, & strangulans, Angina Latinè dicitur. Demosthenes pecunia à Milesiis corruptus, quū postridie à concione flagitaretur, vt in eos orationem haberet, excusauit Synanchen. unus autem è turba suspicatus id, quod erat, exclamauit non Synanchen eum pati, sed Argyranchen, quasi dicas argentanginam. quibus verbis significauit silentium Demosthenis pecunia à Milesiis emptum.

Sonticum morbum veteres pro vehementi, ac grauissima ægritudine acceperunt, quam Plinius ait suffitu lapidis (qui vocatur Gagates) deprehendi. habet autem vim nocendi grauissimè. nam Sontire verbum est vehementer nocere. vnde Tibullus lib. 1. Causam sonticam vocat, dicens: Parce precor puero, non illi sontica causa est. hinc & Sontes rei appellantur.

Siriasis morbus est puerorum, & inflammatio circa cerebrum, vnde sequitur sincipitis, & oculorum incuruitas cum pallore & siccitate corporis. Plinius lib. 22. scribit Heliotropij folia, infantium distillationibus, quod Siriasim vocant, illita mederi.

Solerophthalmia est oculorum morbus, quando præ duritie palpebræ vix è somno aperiuntur, & sordes in oculis siccæ remanent, oculiq; propterea fiunt subrusi.

Synchysis est oculi confusio, ob plagam aliquam, ex qua pupilla turbatur.

Sympysis tumor est & inflatio palpebrarum.

Spasmus morbus est, qui concreto ferè toto corpore, nascitur e frigido humore maximè circa spinam musculorum. ex anteriore corporis parte Hemeprostoton, & posteriore Epistoton. signa morbi sunt, difficultas anhelitus, motus arteriarum paruus, ac tenuis rubor in vultu, oculi tumidi, vrina ferè aquea, vel sanguinea. Spastici dicuntur, quibus aliquid intus conuulsum est. et Spasmus nihil est aliud, quàm neruorum distentio, siue rigor procedens è siccitate nimia in euacuato corpore.

Syntexis morbus est ventris, quando humoribus eò descédentibus, simile quiddam flauæ bilis excreatur. generatur à febre vrente omnem intrinsecus humorem. hoc qui laborant, dicuntur Syntectici.

Scotoma est morbus, quem nos Vertiginem appellamus, quum tenebræ ob oculos voluuntur. Procedit autem ex vaporibus ad cerebrum delatis. affectis solet esse oculorum hebetudo, aurium sonitus, semisurditas. accidit plerunque quum surgitur è somno, vel quum fit circumactio corporis, aut ex ebrietate nimia & saturitate.

Satyriasis morbus est de specie elephantiasis. quo affecti, vlceribus scatent, tetrio sunt aspectu, ore squalenti non sine dolore & pigritia. neque vlla cibi aut potus voluptate mouentur. sic autem dicitur, vel quòd lasciuis hominibus (quales sunt Satyri) eueniat, vel quòd ora Satyrorum pictorum referant.

Sphacelus morbi genus est, quod ex immodica defatigatione solet accidere. quidam putant esse tormina articulorum, quidam ossium tabem, quum scilicet membrum aliquod vsq; adeò scabie corruptum est, vt sine sensu maneat.

Struma est tumor, sub quo concretæ quædam ex sanie & sanguine quasi glandulæ nascuntur, maximè in ceruice, sub alis, & vnguibus manus.

Scytrum tumor est prædurus insensibilis, vixq; curabilis.

Therioma vlcus est virilium, interdum etiam aliarum partium, dum multo ac nigro sanguine mali odoris, atra fit caro, & corroditur.

Tormina morbus à torquendo sumpsit nomen, quum dolore torquentur intestina, exulceratione. ex his cruor ma-

nat, frequens deiiciendi cupiditas, dolor est in ano. signum tunc est mortiferum, si carnes egerantur. Nonius Tormines dixit in masculino. uide Celsum lib. 4. cap. 15.

Tussis morbus est arteriarum, qui gignitur vel ex frigore, vel ex pituita in pulmonem descendente. prouenit quandoque ex vehementi conatu uocis, interdum & ex calore febris. inueterata difficilè tollitur. sanatur herba, quę propterea uocatur Tussilago.

Trichiasis est eruptio pilorum præter naturam in ordine palpebræ ex Reumate procedens.

Trachoma vocatur palpebrarum asperitas.

Tonsillæ morbus est faucium, carne durata circa guttur, dicuntur tonsillæ in homine, in sue glandulæ auctore Plinio.

Tympanites morbus est de genere Hydropisis, quo affectus tumet, & tympani modo inflatur.

Veternus morbus est somnum & marcorem inducens ex nimio otio & torpore. hinc pro pigritia & somno plerunque ponitur. hinc Veternosi.

Vnguis morbus est oculorum, qui à Græcis Pterygium dicitur.

Vomica tumor est excrescens in corpore, saniē plerunq; emittens. Vomicam Plautus crumenam uocauit plenam pecunia.

Vredo morbus herbarum, arborum, fruticum, qui in uiticibus dicitur carbunculus, in ceteris rubigo. Plinius: Aduriē lactescentes germinum oculos, quod in flore Carbunculum uocant.

Vermina sunt dolores corporis, qui quodam minuto motu, & quibusdam ueluti stimulis uermium initar scindere & pungere uidentur. Verminare est uermibus scatere. Celsus: Nihil perniciosius pueris, dum uerminant.

Verrucæ sunt tumores in uultu, quos Græci Myrmecias uocant. Festus Cossos appellat. serpunt usq; ad ceruicem, quandoque dolorem afferentes & pruritum.

Xerophthalmia est oculorum pruritus, tracto nomine à siccitate. est enim arida lippitudo, quum nec tument, nec fluunt oculi, sed graueſcunt.

Alij sunt morbi numero propè infiniti, qui non doctrinam tantum & elegantiam in scriptore postulant, sed experientiam quoque. nam pleriq; omnes, qui de his loquimur, fumum solùm attingimus, & nebulas pingimus in pariete. non est hæc nostra messis. et dum hoc scribendi argumentum sumimus, nihil aliud assequimur, quàm quòd peritorum linguas in nos ipsos acuimus. Multi dum suæ doctrinæ ac famæ dilatare volunt pomœria, minus multo emerentur laudis, quàm si quos nouerunt, remos impellerent. quo fit, ut his relictis ad mea licia redire uelim. neque hoc ipsum de morbis (quantulumcunque est) delibassem, nisi fuisset animus his quadam tenus satisfacere, qui ex omni dolio aliquid student pitissare, quiq; nihil indiscussum relinqui sibi uolunt. Pergamus ergo, & finem facturi breue auctarium consuamus.

Morbis induntur nomina quandoq; ab affecto membro, vt Pleuritis, à latere, Peripneumonia à pulmone: a causis, vt Maniæ, Melancholiæ: a similitudine, ut Elephas, Leo, Cancer, Ictericus, Polypus: ab artifice, ut Chironium ulcus: ab his, qui laborarunt, ut Tylosia, Herculanus.

APPELLATIONES EORVM, QVI variis laborant morbis.

Apoplectici, Auriginosi, Anorectici, Apostematici, Asmatici, Alsiosi, Aluini, Carbunculosi, Carcinomatici, Chiragrici, Chalaziaci, Calculosi, Cardiaci, Cœliaci, Comitiales, Colici, Dysenterici, Elephantiaci, Epiphoretici, Ectropici, Emphysmatici, Entherocelli, Erotici, Elliosi, Febriculosi, Glautomatici, Hydropici, Hydrocephali, Icterici, Impetiginosi, Ischidiaci, Ischiaci, Leprosi, Lienterici, Lippi, Lagophthalmi, Leucomatici, Lycanthropici, Lethargici, Lymphatici, Mentagrici, Melancholici, Narcodes, Opistonici, Orthopnoici, Phrenetici, Phthisici, Pituitosi, Pleuretici, Pedicosi, Podagrici, Porriginosi, Pustulosi, Psorophthalmi, Polyposi, Pneumonici, Paralytici, Peripneumonici, Suspirioſi, Splenetici, Stomachici, Strangurioſi, Sontici, Spastici, Syntectici, Scotomatici, Strumosi, Torminosi, Tetanici, Veternosi, Verminosi, Verrucosi, Xerophthalmi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

infecti, & affecti fuerunt.

EVnomius præsul Cyzicenus Arrianæ hæreseos sectator (qui sub Valente imperat. floruit) lepra & morbo regio laborauit.

Galla vidua Romana, Symmachi viri Patricii filia, laborauit ex carcinomate in mamilla. Volat.

Plotinus philosophus Platonicus, natione Ægyptius, morbo sacro fuit obnoxius. Crinitus lib. 25.

Froila secundus, Alphonsi magni filius, lepra correptus ærumnosa morte vitam clausit.

Aristarchus grammaticus Alexandrinus (qui floruit sub Ptolemæo philometore) hidropisi laborauit. Suid. apud Vol.

Andragasina virgo, vxor Ausberti cuiusdam, qui fuerat domesticus Vandegysilli comitis Palatini, lepra laborans, cœnobio se inclusit. Volat.

Maria filia Amædei Sabaudiæ ducis, vomica laborauit, ac propterea Philippo Mariæ vicecomiti marito suo nunquam congressa est.

Iulius Viator, eques Rom. coætaneus Volaterrani, laborauit morbo intercutis.

Medeius vnus ex iis, qui Ioannam puellam Gallicam Anglorum domitricem flāmis adiudicauerant, lepra infectus, miserè exspirauit. Valerandus Varanius lib. 4. Medeius si quidem longo sermone profatus, Astruit esse scelus flāmis & morte piandum, Multaq; adulandi studio confingit, vt Anglos Sic sibi conciliet, sed paucis inde diebus Corpus tabifico respergitur vlcere lepræ.

Metrodorus philosophus, Epicuri socius, laborauit Tympanite. est autem Tympanites species hydropiseos, vt iam diximus.

Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti podagrico morbo fuit obnoxius. Plin. lib. 7. ait & vomica laborasse, vulneratoq; pectore, (quum mortem in acie quæreret) medicinā inuenisse.

Idem Plin. scribit perpetuam fuisse febrem C. Mecœnati, cui etiam triennio supremo, nullo horæ momento contigerit somnus.

Antipater Sidonius poeta omnibus annis vno die, natali tantùm, corripiebatur febre, & ea consumptus est satis lōga senecta. Plin. lib. 7.

Manilius Cornutus mentagra laborauit. ad cuius remediū inueniendū ducenta sestertia elocauit. Plin. ca. 1. li. 26.

Seruius Clodius eques Rom. podagra laborauit, cuius dolore coactus est veneno crura perungere. quo facto sensu protinus caruit. Suetonius.

Ennius poeta itidem fuit podagricus, neque tamen propterea abstinebat à musis. Pont. de fort.

Cosmus Florentinus morbo podagræ coactus est domi se continere. idem Pontanus.

Ferunt M. Crassum surdastrum fuisse. auctor Cic. lib. 5. quæst. Tuscul.

Vatinius, auctore Macrobio, quamuis podagra laboraret, volebat tamen videri vitium discussisse, & mille passus ambulare se gloriabatur.

Cambyses ab ineunte ætate morbo sacro affectatus, nunquam postea satis conualuit. nam plerosque sibi familiares per insaniam occidit. Cæl. cap. 20. lib. 9.

In eundem morbum (qui propterea dictus est Herculanus) incidit Hercules, vel propter immensos labores, aut imminente Iunone, adeo vt in ipsa animi dementia filios interficeret. Crinitus.

Iulius Cæsar extrema ætate animo linqui consueuit, atque etiam per somnium exterreri. comitiali quoq; morbo bis inter res gerendas correptus est, auctore Tranquillo.

Liuius Drusus, tribunus plebis, quum eo morbo laboraret, Anticyram profectus, sumpto ibidem Helleboro conualuit. auctor Gel. cap. 25. lib. 17.

Ioannes Venetus, discipulus Theodori Gazæ, podagra plerunq; laborabat.

Theopompus phthisi morbo laborans ab Asclepiade medico sanatus est.

Diodorum podagricum fuisse docet Martialis dicens: Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat.

Amædeus secundus filius Ludouici Sabaudiæ ducis, morbo comitiali ad mortem vsq; laborauit.

Carolus rex Pannoniæ articulari morbo plerunque afficiebatur.

Volaterranus ait beatam Genouefam, ob vitæ abstinentiam multis annis ex lepra laborasse. quod ego impium & fabulosum puto.

Beniamin Anachoreta (qui annis LXXX. durauit in Eremo) fuit hydropicus.

Heracletus philosophus hydropisi quoque laborauit, neque tamen vti voluit medicis. Laertius.

Pontanus scribit Matthæum Aquilanum pedibus & manibus captum fuisse, neq; tamen à theologiæ & philosophiæ professione destitisse.

MVTI.

QVinctus Pedius, nepos Q. Pedij consularis, fuit natura mutus: quem propterea Messala orator pictura docendum censuit. auctor Plin. lib. 35. cap. 4.

Atys Crœsi filius à principio mutus, vbi vidit irruentem in iugulum patris sui Cyrum, O homo, inquit, ne interficias patrem. auctor Herod. & Gel. lib. 5. cap. 9.

Zoe vxor Nicostrati martyris septem annis muta fuit ex morbo, demum à beato Sebastiano curata.

Ægles athleta, quum sortitione inter pugiles facta vidisset fucum sibi fieri, ac dari verba; repentè in eum, qui id faciebat, sese videre quid faceret, magnum inclamauit. auctor Gel. & Val. de Miraculis.

HOMINES MALE OLENTES.

EVripides poeta oris graueolentia laborauit, quod quum ei obiectum fuisset à Dechannico Archelai aulico, excandauit poeta grauius, quà opinaretur quispiam. Cæl. cap. 10. lib. 13.

De Gorgonio & Ruffino, Martialis: Pastillos Ruffinus olet, Gorgonius hircum.

LIPPI.

HErodotus in Polyhymnia scribit Euritum & Aristodemum ob extremam lippitudinem è castris à Leonida remissos.

Horatius Flaccus variis in locis lippum se fuisse docet, vt Satyra 5. Hic oculis ego nigra meis collyria lippus Illi-

nere. Item: Lusum it Mecœnas, dormitũ ego, Virgiliusque: Namque pila lippis inimicum & ludere crudis.

Complexiones quattuor (vt dicitur) humani corporis, Phlegma, cholera seu bilis, sanguis, melancholia.

STRABONES, LVSCI, ET monoculi.

POlyphemus Neptuni ex Thosa filius, quum duos Vlyssis comites deuorasset, ab ipso Vlysse simulata amicitia inebriatus est vino, & altero (quia prius erat monoculus) priuatus oculo. Tibul. lib. 4. Cessit & Ætneæ Neptunius incola rupis, Victa Maronæo fœdatus lumina Baccho. Virg. lib. 3. Æn. -& telo lumen terebramus acuto, Ingens quod torua solum sub fronte gerebat. Idem: Móstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptũ. Sidonius: Atq; Ithaci ingenio fraudatum luce Cyclopam.

Cocles Romanus alterum in bello oculum amisit, nomen propterea inde sortitus.

De Phileni lusca, Martialis lib. 1. sic inquit: Oculo Phileni semper altero plorat: Quo fiat istud, quæretis modò? Lusca est.

Acacius orator socius Lybanij sophistæ vnico tantùm vidit oculo.

Philippus Macedo ab Astere milite sagitta percussus, alterum amisit oculum. unde & Aristides Philippum ipsum hoc ridebat scommate: Arimaspis cognatus es. Arimaspi enim populi sunt monoculi. Plin. lib. 7. cap. 37.

CÆCI, ET EXCÆCATI.

ORta inter Iouem & Iunonem ludicra quæstione, vtri scilicet maior esset libido, viro ne, an feminæ; Tyresias Thebanus iudex electus, quum pro Ioue sententiam tulisset, dixissetq; mulierem esse lasciuiorem, ab irata Iunone excæcatus est. indignatus Iupiter, cæcitatem vaticinio pensauit. Ouid. in Ibin: Qualis erat, postquam iudex de lite iocosa Sumptus Apollinea clarus in arte senex. Idem lib. 3. Met.

Politianus scribit eum ideò excæcatum fuisse, quòd nudã vidisset Mineruam, vbi in Ambra ait: -baculum dat deinde

potentem Tyresiæ magni, qui quondam Pallada nudam Vidit, & hoc raptam pensauit munere lucem. Sen. in Oedipode: Tyresias tremulo tardus accelerat gradu, Comesq; Manto, luce viduatum trahens.

Antipater Cyrenaicus fuit pariter defioculus. cuius cæcitatem quum mulierculæ lamentarentur: Quid agitis? inquit, An vobis nulla videtur voluptas esse nocturna? auctor Cic. lib. 5. quæst. Tusc.

Appius Claudius quamuis cæcus esset; tamen in illo suo casu nec priuato, nec publico muneri defuit. auctor Cic.

Cæcus fuit C. Drusus, tamen domus eius implebatur consultoribus, qui in suis causis, cæcum adhibebant ducem. Idem auctor, & Val. de Studio.

Gn. Aufidius prætorius in cæcitate, sententiam in senatu dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam scribebat historiam, & videbat in litteris.

Diodorus Stoicus, itidem uisu priuatus est. uersabatur tamen in philosophia, & fidibus Pythagoræorum more utebatur, munusq; tuebatur geometriæ, discentibus præciens, unde, quò, quamq; lineam scriberent.

Asclepiades nobilis philosophus, interroganti cuidam, quid ei cæcitas attulisset? respondit, Vt puero uno essem comitatior.

Democritus, quum existimaret animi aciem impediri aspectu oculorum, oculos ipsos sibi eruit, ut philosophiæ & rerum naturalium causas profundius meditaretur. Lucretius lib. 3. Deniq; Democritum postquàm matura vetustas Admonuit, memores motus languescere mentis, Spõte sua leto caput obuius obtulit ipse. Tertullianus ait, adeò Democritum se excæcasse, quòd mulieres sine concupiscentia aspicere non posset. Gel. li. 10. de cęcitate Democriti ex Laberio Mimographo citat aliquot versus, quos potes legere.

Hypsea mulier fuit notæ cæcitatis. vnde Hor. lib. 1. Sermonum: -ne corporis optima lynceis Contemplere oculis, Hypsea cæcior illa.

Thamyras Philamonis filius excæcatus est à musis, quas ad certamen cantus prouocauerat. Proper. lib. 2. Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur, Nunquam ad formo-

sas inuide cæcus ero. Politianus in Nutricia. Pontanus libro 3. de Stellis.

Stesichorus poeta, quum Helenam suis carminibus infamasset, excæcatus est. vbi tamen palinodiam cecinit, recepit visum. Politianus in Nutricia: -& damnans Helenam, laudansq; vicissim, Amittit, recipitq; oculos, tuus Imera ciuis Stesichorus. Suidas apud Volat.

Asconius Pedianus anno suę ætatis LXXIII. captus est oculis. duodecim tamen postea vixit annis.

Daphnis pastor, qui carmen Bucolicum inuenit, luminibus captus est, quòd ebrius cum quadam femina concubuisset. auctor Suidas apud Volat.

Dydimus Alexandrinus, præsul Cæsariensis, cæcus fuit à puero. nihilominus dialecticam & geometriam didicit, scripsitq; commentarios in psalmos. auctor Volat.

Lucilla virgo, filia Nemesij tribuni, cæca fuit primò. demum à Stephano pontifice recepit visum. hæc sub Valeriano passa est. Volat.

Homerum cæcum fuisse fatentur omnes. unde autem cæcitatem illam contraxerit, non satis conuenit. sunt qui dicant hoc ei ex morbo contigisse: alii ex longa senectute. Ouid. in Ibin, apum aculeis excæcatum scribit, & Pontanus de stellis lib. 5.

Cedonius, vnus ex discipulis CHRISTI, cæcus natus est.

Xenarchus philosophus peripateticus, paullò ante mortem visu orbatus est.

Sesostris rex Ægypti in extrema senectute oculis captus mortem sibi cõsciuit. Michael Anglicus; Niliaca tali cæcus regione Sesostris, Vltus adulterii est facta nefanda grauis.

Herodotus in Euterpe scribit Pheronẽ huius Sesostris filium, casu fortuito excęcatum fuisse.

Herodotus itidem scribit Anysim regem fuisse Ægypti oculis captum. pro quo Tortellius Amasim legit.

Anchisam Boccacius cæcum fuisse scribit, ex Seruij testimonio, ac propterea Troianorum consiliis non interfuisse. cæcitatem autem contigisse ait, quòd gloriaretur se Veneri concubuisse.

Salaberga puella ex agro Laudunensi, (quæ temporibus Dagoberti Francorum regis vita & sanctitate floruit) cæcitatem ab vtero matris attulit.

Phœnix Amyntoris filius, oculis caruit. vnde Ouidius in Ibin: Id quod Amyntorides videas, trepidusq; minister, Prætentes baculo luminis orbus iter.

Oedipus vbi agnouit se Iocastæ matri concubuisse, & patrem Laium dedisse morti, sceleris horrore, oculos sibi eruit. Ouidius in Ibin: Seneca in Oedip.

Phineus ira numinum excæcatus est, quòd filios suasu Harpalices excæcasset. sunt qui dicant Phineum Idæ filiæ Dardani, Scytharum regis amore vsque adeò captum fuisse, vt eius suasu filiis ex Cleopatra susceptis oculos euulserit. Ouidius in Ibin. Martialis lib. 9. Phineas inuites, affer & Oedipodas.

De Phinidis à Phineo patre excæcatis, Idem Ouid. inquit: Vt duo Phinidæ, quibus idem lumen ademit.

Polymnestor rex Thraciæ, quum Polydorum Priami & Hecubæ filium, fidei suæ tempore belli Troiani creditum, auri (quod ille habebat) cupiditate occidisset, indignata mater Hecuba eidem, per simulatam amicitiam conuocato, oculos eruit. Oui. in Ibin: Euripides apud Plutarchum in Parall.

Polyphemus quum prius esset monoculus, ab Vlysse prorsus excæcatus est. causam iam diximus. Ouidius in Ibin:

Pastor vt Aetneus, cui casus antè futuros
Thelemus Eurimedes vaticinatus erat.

Isacius Angelus imperator ab Alexio fratre (quem prius magna pecunia à Turcis redemerat) exæcatus est, & in carcerem coniectus. Egnatius.

Polyzellus Athenienſis in bello contra Datim ducé Persarũ, incerto casu cæcus factus est. auctor Plutar. in Parall.

L. Metellus orbam luminibus exegit senectutem, amissis incendio, quum Palladium raperet ex æde Vestæ. Plin lib. 7. cap. 43. vide etiam paullò infrà.

P. Cornelius Russus, Manlij Curij in consulatu collega, dormiens, oculorum visum amisit, quum id sibi accidere somniaret. auctor Plin. lib. 7. cap. 50.

Phanus

Phanus fuit vsurarius quispiam cæcus: de quo Erasmus meminit in illo adagio, Phani ostium.

Timoleon Corinthius (qui expulso Dyonisio Syracusas redemit seruitute) ætate iam prouectus, morbo cœpit laborare, quo cæcus factus est. auctor Plutarchus in eius vita.

Ophioneum, Messeniorum vatem, Pausanias apud Cælium scribit, semper à natali statim die luminibus captum, & priuatim & publicè vaticinia peregisse, & post vehementem capitis dolorem videre cœpisse, ac mox relapsum ad cæcitatem denuò.

Iustinianus imperator ante Leontium Gallinico patriarchæ Constantinopolitano (cuius dolo prius imperio fuerat detrusus) oculos eruit. Paulus Diacon.

Constantinus Copronymos imperator, Artabasdum primæ nobilitatis hominem, imperatorem ab orthodoxis creatum, biennio pòst captum, oculorum visu cum liberis priuauit. Egnatius.

Constantinus imperator, Leonis & Irenes filius, Nicephorum imperatorij stemmatis hominem (in quem suffragia multorum inclinabant) oculorum & linguæ vsu priuauit. Egnatius.

Irene postea imperatrix rerum potita, filium Constantinum in potestatem redactum excæcauit. Egnatius.

Haraedum quendam principem fuisse scribit Saxo, qui præ senio amiserit visum. quod etiam de Gormone testatur idem Saxo lib. 9.

Aribertus rex Francorum Sigibrandum Asbrandi filium oculis, priuauit, omnesq; eius propinquos variis tormentis affecit. Paul. Diac. de gestis Longobardorum.

Nautulphus puer natura cæcus, precibus sancti Senoch visum recepit. auctor Gregorius Turonen.

Belisarius præfectus copiarum Iustiniani imperatoris, deletis Vandalis, acto de Persis triumpho, Italia à Barbaris nõ semel liberata, propter prosperos successus ipsi imperatori formidolosus & suspectus factus est, ac propterea ab eodem oculis priuatus. quo facto tuguriolum in via frequenti sibi statuit, vbi victum à prætereuntibus mendicabat his verbis: Viator da obulum Belisario, quem virtus extulit, cæcauit

inuidia. auctor Procopius, & Crinitus, cap. 6. lib. 9.

Pontanus de fortitudine bellica ait, Lippum Florentinũ oculis captum fuisse, ac nihilominus in cæcitate rhetorum ac philosophorum auditoria frequentasse.

Quum in Troia Mineruæ templum arderet, Ilus demissum cælo Palladium eripuit, statimq; oculis captus est. postmodum placata ira deæ, pristinum recuperauit uisum. auctor Dercyllus apud Plut.

Metellus quoque templum Vestæ incensum conspicatus, Palladium eripuit, statimq; oculis captus est, postmodum dea placata, visum recepit. idem auctor.

Valerius Bestius dum Ruscium L. Imbrici soceri sui filium fidei suæ creditum, cupiditate auri interfecisset, ab ipso postea Imbrico correptus & excæcatus est. Plutarchus.

Herodotus in Erato ait, Epyzelum Atheniensem in bello incerta causa luminibus captum fuisse, neque saucium vlla corporis parte, neque ictum.

Kailla Pannoniæ regina maritũ suũ Vazulẽ exoculauit.

Endra filius Bazulis Pannoniæ regis, Petro itidem Pannoniæ regis oculos eruit. auctor Volat.

Bela secundus Almi filius, rex Pannoniæ, à Boricho filio notho Colomani itidem Pannoniæ regis, excæcatus est.

Colomanus rex Pannoniæ post Ladislaũ, Almo fratri oculos eruit, & eundem occidit.

Fara virgo (quæ sub Heraclio imperatore floruit) dum ab Hagerico patre ad nuptias compelleretur, in tantas prorupit lacrymas, ut inde cæcitatem contraxerit.

Maiolus patria Aruernensis, archidiaconus Matiscocensis, ex morbo luminibus orbatus est: uisum tamen complurib⁹ prodigiosè restituit.

Lycurgos à Thracibus (quibus principabatur) excæcatus est, quòd feminas quasdam sequentes Bacchum simulata cũ deo amicitia interfecisset. auctor Diodorus.

CLAVDI.

EPictetus philosophus Hierapolitanus claudus fuit, unde apud Macrobium hoc modo inducitur loquẽs. Seruus Epictetus genitus sum corpore claudus, Paupertate Irus, diis & amicus ego.

Colomanus rex Pannoniæ dicitur fuisse luscus, claudus, gibbosus, lingua blesus, & ore improbo.

Damon Pædotriba fuit quispiam claudicans, qui, quum crepidas furto amisisset, imprecatus est, ut furis pedibus maxime congruerent. erant autem hæ non rectæ nec accõmodæ: illi tamen pro pedum deprauatorum ratione in primis aptæ. Cælius.

Idem Cælius ait, Androclidem Laconem debilem crure & inutilem fuisse.

Cocles accepto vulnere claudus factus est, cui, quum cruris vitium obiectaretur, Per singulos, inquit, gradus admoneor triumphi mei. Plutar. in Publicola.

Philippus Macedo, accepto in coxa lanceæ ictu, incidit in claudicatem, quod laudi sibi vertebat aduersus calumniatores. Cælius lib. 8. cap. 5.

Nicomedem Cælius ait fuisse quendam claudum, alium à rege Bithyniæ.

Aristogiton Atheniensis fuit sycophanta, cuius conciones nihil nõ Martiũ spirabunt, adeò ut uentosa sua lingua populum in discrimina plerunque coniiceret. proindè quum die quadam exercitum parari, & milites deligi intellexisset, innixus baculo claudicatem simulauit, ne ad bellum vocaretur. vnde adagium fluxit in vulgus, Aristogiton claudicat. de his, qui morbum simulant, ne militiam, aut aliud oneris genus subeant.

Perdix, campo fuit quispiam claudus, cuius claudicatio prouerbio locum fecit, Perdicis crura, in loripedes & distortos. Aristophanes apud Erasmum.

Artemon faber fuit machinarius tempore Periclis, qui, quum claudus esset, suas passim machinas circunferebat. Erasmus in Chiliadibus.

Lambda mulier Corinthia, Amphionis cuiusdam filia, & Echionis vxor, fuit etiam clauda. auctor Herodotus lib. 5.

Vulcanus à Ioue præcipitatus ob deformitatẽ, vel quòd matri opem ferre vellet, incidit in claudicatem. ad quod alludit Valerius Flac. lib. 2. Argon. Accliuem scopulo inuenjunt, miserentq; fouentq; Alternos ægro cunctantem poplite gressus. Pontanus in lib. Meteo. Vulcanum fama est

cælo quum pulsus ab alto, Sub terris sine honore diu, sine munere claudum, Vixisse, & Sicula exsilium traxisse sub Aetna. Item Martianus Capella: Quidnam etiã claudus faber venit. Lactantius: Tum faber claudus Mineruæ nuptias postulauit. Germanus Brixius: Deumq; loripedem simul arma ad coniurata vocasse.

BALBI.

HErodotus in Melpomene ait, Battum Polymnesti inter Theræos opulenti, & Phronimæ filium, balbum fuisse, ac propterea consuluisse Apollinem, qui hoc modo responderit: Batte venis vocis causa. Dux te iubet ire Lanigeram in Lybien habitatum Phœbus Apollo.

Cicero 1 1 1. Philip. scribit, M. Fundum nescio quem cognominatum Bambalionem, ab hæsitantia linguæ.

Eodem nomine Fr. Philelphus Pogium Florentinum ob vitium linguæ insectatus est.

Euripides apud Cælium scribit Alcibiadi in dicendo balbutiem fuisse, quæ voci illius splendorem, & sermoni gratiam afferre videbatur.

Michael imperator (qui Leoni Armenio successit) lingua fuit balbus, dictus propterea Thraulus à Græcis. Egnatius.

FVRIOSI, ET MANIACI.

ORestes Agamemnonis & Clytemnestræ filius, propter interfecta matrem furiosus factus est, donec ad arã Dianę Tauricæ expiauerit scelus. Vir. l. 3. Æn. - et scelerum furiis agitatus Orestes. Ouid. lib. 4. de Trist. Quò postquàm dubium est pius an sceleratus Orestes, Exactus furiis venerat ipse suis. Lucan. lib. 7. Haud alios nondum Scythica purgatus in ara, Eumenidum vidit vultus Pelopeius Orestes. Hor. lib. 2. serm. Nec ferro vt demens genitricem occidit Orestes, An tu reris eum occisa insanisse parente. Statius lib. 1. Theb. Vel inanem mentis Orestem, Oppositò rapidam Pylade vitasse Megæram. Cælius scribit Orestem vi furoris sibi digitum arrosisse & voraſſe, eoq; facto, Eumenidas illi albas se ingessisse, quum prius nigro colore occurrerẽt formidolosæ. Adagium est apud Erasmum, Oresti pallium texere: in eum, qui parat munus abusuro. nã

Orestes per insaniam vestes dilacerabat. Virg. li. 4. Aen. Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes, Armatam facibus matrem & serpentibus atris, Quum fugit, vltricesq; sedent in limine diræ.

Pentheus dum sacra Bacchi despicaretur, vlciscente numine in furorem raptus est. Virg. lib. 4. Aen. Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus, Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas. Luc. lib. 7. Nec magis atto nitos animi sensere tumultus, Quum fureret Pentheus, aut quum desciisset Agaue.

Milo Epirota quum hastam in Laodomiam filiam Pyrrhi coniecisset, quæ ad aram Dianæ, velut ad asylum, confugerat, dea vindicante, in furorem raptus est, quo intra duo decimum diem periit.

Athamas Æoli filius furiis à Iunone immissis, vsque adeò correptus est & agitatus, vt Learchum filium interfecerit. Ouid. lib. 6. Fast. Hinc agitur furiis Athamas sub imagine falsa, Tuq; cadis patria parue Learche manu. Plin. lib. 34. cap. 14.

Agaue Cadmi & Hermiones filia, Bacchico furore correpta, Pentheum filium interfecit. Luc. lib. 1. - ingens vrbem cingebat. Erynnis, Excutiens pronam flagranti vertice pinum Stridentesq; comas, Thebanam qualis Agauem Impulit, aut sæui contorsit tela Lycurgi Eumenis. Idem lib. 7. Quum fureret Pentheus vel quum desciisset Agaue. Hor. lib. 2. Ser. Quid? caput abscissum demens quum portat Agaue Nati infelicis, sibi tum furiosa videtur. Sen. in Oedipode: Peior hac genitrix adest, Furibunda Agaue.

Lycurgus Dryantis filius rex Thraciæ, à Baccho (cuius nomen aspernabatur) in furoré versus, crura sibi amputauit. Luc. lib. 5. Thebanam qualis Agauem Impulit, aut sæu i cõ torsit tela Lycurgi Eumenis. Ouid. in Ibin: Vtq; Dryantidæ Rhodopeia regna tenenti, Ingenio dispar, cui pede claudus erat.

Marsyas dum Apollinem ad tibiæ certamẽ prouocasset, in furorem versus, & ab ipso deo excoriatus est. Ouid. Ibin: Mens quoque sic furiis vecors agitetur, vt illi, Vnum qui toto corpore vulnus habet.

Hercules visá apud inferos Megæra, in furorem versus est unde regressus filios imprudens occidit. Lucanus lib. 1.

-aut qualem iussu Iunonis iniquæ
Horruit Alcides viso iam Dite Megæram.

Alcmæon Amphiarai & Eryphiles filius, propter interfectam matrem furiis itidem agitatus est. Propert. lib. 3. Aut Alcmæoniæ furiæ, aut ieiunia Phinei. Politianus in Nutricia: Oenidęq; facem, furiis Alcmæona pulsum.

Aiax Telamonis filius, propter arma Achillis mortui data Vlyssi in uirtutis præmium, dolore animi & inuidia in furorem versus, armenta loro cædebat, existimans se interficere Græcos. Apuleius lib. 3. Met. In insani modum Aiacis armatus, non ut ille uiuis pecoribus infestus tota laniauit armenta.

Cleomedes Astypalensis, prodigiosis homo uiribus, dum Lachum Epidemnium, athletam, ictu pugni interfeciſſet, interfecti aperuisset latera, ac propterea iudices tantam perosi feritatem, in eum uellent animaduertere, indignatus, & in furorem uersus, columnam (qua ludi litterarij domus fulciebatur) diſſecit, eáq; ruina pueros omnes adobruit. sunt qui dicant hunc furorem eidem irrepsisse, quòd uictoriæ præmio fuisset fraudatus. Plutarchus in Romulo.

Fuit alter Cleomedes, seu Cleomenes, quem Herodotus in Erato scribit, à Lacedæmoniis (quibus imperabat) primò expulsum, demum pristinæ dignitati restitutum fuisse, nec multò pòst in tantam insaniam incidisse, ut unicuique obuio sceptrum in faciem impingeret. quod eum facientem propinqui soleis ligneis illigauerunt, & in carcerem cõiecerunt. ubi arrepto custodis & ergastularij gladio, ab ima corporis parte ad uerticem capitis sese dissecuit.

Prœtides seu filiæ Prœti Argiuorum regis dum Iunoni se præferrent, in furias versæ, ac postmodum mutatæ in uaccas finguntur à poetis. Virg. Prœtides implerunt falsis mugitibus agros. uide Seruium.

Plutarchus in vita Artaxerxis scribit, Charem fuisse quẽdam, qui in bello Cyrum vulnerauerit, succisa poplitis uena: quem ait insania postmodum fuisse correptum, nimia illati Cyro vulneris arrogantia.

Gallus Vibius vir fuit magnæ eloquentiæ, qui dum insaniam mentiretur, quod assimulabat, ad verum redegit. Cæl. lib. 6. cap. 35.

Cælius scribit Euagoram regem Cypriorum repentino furore correptum fuisse.

T. Lucretius poeta physicus, sumpto amatorio poculo in furiam lapsus est, qua impellente mortem sibi consciuit. Statius: Et docti furor arduus Lucreti. Cæl. cap. 26. lib. 9.

Sparsas fuit quispiam, quem Seneca scribit inter scholasticos insanum, inter insanos scholasticum fuisse. uide Cælium.

Timanthes Cleonæus. uide suprà eos, qui sibi mortem consciuerunt, 10. Cæl. l. 6. c. 35.

Acco mulier iam decrepita, quum faciem (quam ad speculum explorabat) senio deformatam conspiceret, animi ægritudine in insaniam lapsa est. alij aliter sentiunt. aiunt enim ipsam consuesse alloqui suam imaginem in speculo, eiq; subridere, comminari, promittere, subblãdiri, & quid quid confabulantes solent dicere. idem auctor.

Pisander eò vesaniæ lapsus est, vt timeret, necubi animæ suæ occurreret, à qua viuus esset destitutus. Cæl. cap. 26. lib. 9.

Cambyses quum Apim (quem Ægyptij pro deo colebãt) violasset, vlciscente numine, lapsus est in furias: quibus agitatus, vniuersam propè familiam deleuit. auctor Herodotus in Thalia. postremò furore victus seipsum interfecit.

Aio, filius Arichis ducis Beneuenti, missus à patre ad Rhotharem Longobardorum regem, in Italia veneno potus est, cuius virtute cœpit insanire. auctor Paulus Diaconus de gestis Longobardorum.

Harthbenus fuit athleta quispiam ex Helsyngia nouem cubitis procerus, quem Saxo grammaticus in tantas furias testã cecidisse, vt summas clypei partes corroserit, igneos carbones ventri mandauerit, rãptas ore prunas in viscerum ima transfuderit, crepitantia flammarum pericula percurrerit, & ad extremum in sex athletarum suorum præcordia furente manu ferrum conuerterit.

Vlysses, quum esset Græcorum prudentissimus, insaniâ tamen simulauit, ne ad bellum Troianum proficisceretur. ut autem persuaderet se esse verè insanum, salem seminabat, variisq; animalibus aratra iungebat. astum hominis explorauit Palamedes, qui aranti Telemachum filium obiecit. quem ne læderet ipse Vlysses pater, aratrum suspendit. uide Cic. in lib. 3. Offic.

FVRIÆ TRES.

FVrias poetæ Acherontis ex nocte filias vocant. Virg. Dicuntur geminæ pestes, cognomine diræ, Quas & tartarea nox intempesta Megæram, Vno eodemq; tulit partu. Propterea Galterius in Alexandreide decenti epitheto eas vocat Noctigenas lib. 10. vbi ait, Hoc ego si dea sum, qua nulla potentior inter Noctigenas, si me vestram benè nostis alumnam. Eadem ratione Mantuanus eas vocat Acherõtigenas. Apud inferos dicuntur canes. Luc. -iam vos ego nomine vero Eliciam, Stygiasq; canes in luce superna destituam. Apud mortales vocantur Furiæ, quòd furoris stimulos hominum præcordiis inculcẽt. propterea etiam finguntur iis colubros immittere, quos ad Maniam trahunt. unde Virg. -cæruleis vnum de crinibus anguem Coniicit, inq; sinu præcordia ad intima subdit, Quo furibunda domum monstro permisceat omnem. Dicuntur & Eumenides sensu contrario, & per antiphrasim. Eumenis enim beneuolens dicitur. Ouidius: Eumenides tenuere faces de funere raptas. Feruntur & capillorum loco, redimitæ serpentibus & colubris. Catullus: Quare facta virum mulctantes vindice pœna Eumenides, quibus sanguineo re dimita capillo Frons exspirantes præportat pectoris iras, Huc huc aduentate, meas audite querelas. Statius lib. 12. -& Anguicomæ ducent vexilla sorores. Mãtuanus in Apol. Exibant de sede Erebi teterrima monstra Tisiphone, furiæque aliæ multo angue comantes, Quippe quibus dominabantur Plutonides vmbræ. Appellantur etiam Diræ. Virg. At procul vt Diræ stridorem agnouit & alas, Infelix crines scindit Iuturna solutos. Idem lib. 4. Æn. -vltricesq; sedent in limine Diræ. Lactantius lib. 6. de Vero cultu, de his in

hunc modum scribit: Tres sunt affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt. propterea poetæ tres furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitent: Ira, vltionem desiderat; Cupiditas, opes; Libido, voluptates.

Furiarum prima est Alecto, quam Virg. depingit lib. 7. Æn. Luctificam Alecto dirarum à sede sororum, &c. quòd autem sit Noctis filia, testis est apud eundem Virgil. Iuno hoc modo loquens: Nunc mihi da proprium virgo sata Nocte laborem, &c.

Thesiphone, seu Tisiphone, secunda Acherontis filia, hoc modo ab Ouid. describitur: Nec mora Thesiphone madefactam sanguine sumit Importuna facem, fluidoq; cruore rubentem Induitur palam, tortoq; incingitur angue, Egreditur q; domo, luctus comitatur euntem, Et pauor, & terror, trepidoq; insania vultu. idem lib. 4. Trist. fecit inde adiectiuum Thesiphonæus, vbi ait: -cupiasq; eradere vitæ Tempora, si possis, Thesiphonæa tuæ. Hanc filiam esse Noctis docet Sylius lib. 2. dicens: Et palmas tendens, hos inquit Noctis alumna, Hos muros impelle manu, populumque ferocem, &c. Mantuanus lib. 4. Agelar. dicens: Ite, canes adsunt Erebi, crinita colubris Thesiphone, spiransque venenum ignemq; Megæra, &c.

Megeram, tertianam Acherontis & Noctis filiam, Claudianus de laudibus Stiliconis describit: Improba mox surgit tristi de sede Megæra, Quam penes insani fremitus, animique profanus Error, & vndantes spumis furialibus iræ, &c. Mantuanus lib. 2. de Cala. temporum: Per medias vrbes colubris crinita Megæra, Sanguineisque caput vittis intorta, flagello, &c.

STVLTI, ET INSIPIENTES.

COrœbi filii Mygdonis Phrygii stultitia vulgi fabulis celebrata est, qui maris vndas numerare conabatur, quum non posset vlera quinq; numerare. auctores Eustathius & Lucianus. apud Eras.

Bagas fuit quispiam stupidæ mentis, & attonitæ. auctor Plutarchus in Collectaneis apud Eras. unde ortum adagiũ: Vt Bagas constitisti.

Melitides fuit stultus, ab Homero celebratus: qui euersam iam Troia venisse legitur, auxilium laturus Priamo. Lucianus apud Erasmum: Melitidem aut Coræbum me putas per deos?

Enthusiasmus est quidam mentis stupor, quo lobarauit Mammachutus quispiam sola insignis fatuitate. unde Mammachuti dicuntur hiantes & stupidi. auctor Aristophanes apud Cæl. lib. 9. cap. 28.

Amphistides tantæ fuit stultitiæ, vt ignoraret, vtro ex parente prognatus esset.

Acco vernula eo laborauit delirio (sicuti iam diximus) vt solita sit ad speculum cum imagine sua, perinde ac cum alia muliere confabulari. auctores Cæl. & Eras. ex aduocatis Græcorum testimoniis.

Cippius simulabat se dormire & stertere, quò facilius eius vxor mœcharetur. quod arguit eum à zelotypia longè fuisse alienum. unde natum videt adagiũ Ciceroni in quadam ad Fabium Gallum epistola positum: Non omnibus dormio. auctor Lucilius apud Beroaldum.

Zenophantus fuit quispiam stultus, qui quò magis risum cohibere nitebatur, hoc ridebat profusius.

Midas Gorgij filius, quum agrestem Panos dei cantilenã Apollinis carminibus prætulisset, indignatus Apollo, asininas auriculas eidem indidit, quibus postea abiit in risum. uide Ouid. lib. 11.

Psylli populi, dum Austrum ventum plus nimio haberẽt inuisum, vt sibi & suæ terræ noxium, sumptis armis in eũ hostiliter profecti sunt, ceu viuum aliquem hominem, & non rem incorpoream peterent. Herodotus lib. 4. & Gel. lib. 16. cap. 11.

Inter stultos numeratur Claudius princeps, quòd Domicium Neronem adoptauerit, quum Britannicum legitimo toro natum haberet. Sabellicus.

MEDICI, PHARMACOPOLAE & chirurgi.

APollo Aesculapij pater medicinæ vsum primus dicitur attuliſſe, ac propterea meruiſſe deitatem. Ouid. lib. 1. Met. Inuentum medicina meum est, opifexq; per orbem Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis. Idem lib. 1. de Rem.

Aesculapio Apollinis filio plerique etiam inuentum medicinæ referunt acceptum: in qua adeò excelluit, vt mortuum Hippolytum fingatur ad vitam reuocasse, & Androgeum Minois filium ab Athenienſibus interfectum. Propertius lib. 2.

Et deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis,
Reſtituit patriis Androgeona focis.

Acron Agrigentinus medicus, Athenis Philosophatus est cum Empedocle. fuit antiquior Hippocrate, scripsit de medicina librum vnum. Suidas apud Volat.

Aristogenes Thasius medicus floruit temporibus Antigoni Macedoniæ regis, ad quem libros plurimos scripsit de medicina. Suidas apud Volat.

Aristogenes alter Gnydius, Crysippi philosophi frenus fuit, itidem medicus, qui magnam adeptus est famam ex curatione Antigoni Gonatæ cognomento.

Asclepiades Prusienſis, Cn. Pompei familiaris, rationem primus reperit, qua vinum ægris mederetur, relato è funere homine & cõseruato. dicebat salutẽ constare cibi potusq; abstinẽtia, præterea gestatione, ambulatione, & fricatione. scripsit ad Mithridatem volumina, auctore Plinio. morcus est scalarum lapsu in extrema senectute. Idem blandimenta & lenocinia cõmentus est ad ægrotorum gratiam & iucunditatem. siquidem & balneorum consuetudinẽ fecit, primusq; lectulos excogitauit suspenſiles, quorum molli iactatione irritaretur & obreperet somnus. auctor Plin. lib. 7. cap. 37. & cap. 3. lib. 26.

Acelias fuit imperitus medicus, qui dum cuidam podagrico mederi vellet, morbum & dolorem auxit. unde natum adagium: Acelias medicatus est, vbi res in deterius vergit. Eraſm. in Chil.

Arabs Apollinis fuit filius & Babylonis, quem Plin. lib. 7. medicæ artis apud Aegyptios repertorem dicit.

Antonius Musa medicus fuit Augusti, de quo Horatius meminit lib. 1. Epist. dicens: Nam mihi Baras Musa supernacuas Antonius.

Cassius Hemina apud eundem Plinium testis est Archagathum Lysaniæ filium Peloponnensem, primum è medicis venisse Romam. L. Aemilio, & M. Liuio consulibus. eiq; ius Quiritum datum, & tabernam in compito Acilio emptam. ob id publicè vulnerarium fuisse eum tradunt vocatum, mireq; gratum aduentum eius ab initio, mox à sæuitia secandi vrendiq; nomen carnificis meruisse. Plin. cap. 7. lib. 25. & cap. 3. lib. 30.

Amythaon Melampodis pater inter claros medicos olim habitus est.

Apollodori duo fuerunt, Scyllæus, & Tarentinus, ambo medici. de quibus Plin. lib. 20. cap. 4. loquitur.

Artemon fuit medicus, qui ex calua hominis interfecti, igneque cremati propinauit aquam è fonte noctu aduersus comitialem morbum. Plin. cap. 1. lib. 28.

Attalus medicus apud Plin. lib. 28. cap. 2. affirmat scorpione viso, si quis dicat duo; cohiberi nec vibrari ictus.

Alcon, seu Alcontius, medicus fuit vulnerum, centum sestertiis à Claudio condemnatus, & exsul missus in Galliam, demum restitutus. nescio an is sit, de quo loquitur Martial. lib. 6. Ostendit digitum sed impudicum Alconi, Dasioq; Symmachoq;. Ausonius de alio Alcone itidem medico loquitur, qui Diodorum aruspicem vaniloquum fecit.

Agron medicus fuit, qui pestilentia Athenas passim occupante, affectorum plæriscq; opem intulit salutarem, accensis in proximo ignibus. Cælius cap. 22. lib. 13.

Basilius Ancyranus professione fuit medicus, floruitq; imperante Constantino. apud Volat.

Chiron Saturni filius ex Phillyra, herbarum naturas primus inuenisse, Achillemq; & Aesculapium docuisse fertur: Phœnici Amyntoris filio oculis capto uisum restituit. Propert. lib. 2. Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon, Phœnicis Chiron lumina Phillyrides. Virg. lib. 3. Georg. Quæsitæq; nocent artes, cessere magistri Phillyrides Chiró, Amythaoniusq; Melampus. Ab eo nomen sumpsit herba, quæ Centaurea dicitur. Plin. cap 6. lib. 25.

Cornelius Celsus libros de medicina scripsit oratorio more. floruit paullò ante Fabium Quinctilianum.

Critobolus medicus fuit, cui singularem peperit laudem sagitta ex oculo Philippi Macedonis, citra oris deformitatem, euulsa. de quo abunde Curtius meminit lib. 8. de gestis Alexandri. Plinius lib. 7. cap. 37.

Cleophantus auctore Plinio medicus fuit, qui vini rationem illustrauit. hic apud Plinium ait semen pastinacæ erraticæ dysentericis prodesse.

Idem auctor scribit Chrysippum, Erasistrati preceptorē, medicum fuisse, qui Hippocratis, Aesculapij, & Prodici medicorum placita ingenti garrulitate mutauerit.

Crinas Massilienses fuit medicus, qui ad siderum motus ex Ephemeride mathematica cibos dabat, horasq; obseruabat. Plin. scribit hunc centum sestertia reliquisse, muris patriæ non minore summa extructis.

Charmis ex eadem Massilia fuit medicus, qui priores medicos & balnea damnauit, frigidaq; hibernis algoribus lauari persuasit. mersit ægros in lacus, adeò vt Plin. dicat, se vidisse capulares senes vsque in ostentationem rigentes.

Castor medicus docuit Piperitim herbam (quam alij Silicuastrum vocant) bibi contra morbos comitiales. auctor Plin. lib. 20. Idem scripsit succum radicis ferularum, oculorum claritati multum conferre.

Cherias Athenienses fuit medicus, qui apud Plinium testis est, radicem cardui ex aqua decocta potatoribus sitim facere, stomachum corroborare, & vuluis aliquid conferre, ut mares gignantur.

Chrysermus fuit medicus, qui Bulbi radice in vino decocta Parotidas curabat.

Cleempum Plin. scribit fuisse medicum, cui Pythagoræ librum de magicis herbis nonnulli adscripserunt.

Democides medicus Polycratem Samiorum tyrannum curauit talentis duobus, scripsitq; librum de medicina. Herodotus in Thalia scribit Democidem Taliphontis Crotonien sium principis medicum fuisse, atq; duobus aurearum compedum paribus à Dario donatum.

Dexippus Cous, Hippocratis fuit discipulus, qui scripsit librum unum de medicina.

Diocles Carystius floruit temporibus Darij Histaspis: re

sequit commentarios. Plin. in multis locis.

Democrates Seruilius citatur à Plin. lib. 25. primusq; medentium herbâ dicit inuenisse, quam appellauit Hyberidâ.

Idem lib. 24. ait Democritum fuisse medicum, qui in valetudine Considiæ, M. Seruilij consularis filiæ omnem curationem, ausferam recusantis, diu efficaciter usus sit lacte caprarum.

Dasius medici nomen est, cuius meminit Martialis lib. 6. dicens: Ostendunt digitum, sed impudicum Alconi, Dasioq;, Symmachoq;, &c.

Epicarmus Cous fuit auditor Pythagoræ. scripsit de rerum natura ac medicina commentarios, quos adhuc extare in bibliotheca Vaticana, scribit Volater.

Erasistratus medicus fuit, qui primus cognouit morbum Antiochi ob amorem Stratonices nouercæ. Plin. scribit hunc fuisse discipulum Chrysippi, ex Aristotelis filia genitum. cui, Antiocho rege sanato, centum talenta donauerit filius eius Ptolemæus. hunc citat Gellius lib. 16.

Euphorbus medicus, Euphorbiæ herbæ nomen imposuit. auctore Plinio lib. 25.

Eribotes Teleontis fuit filius, medicinę peritissimus, ut qui Oilei uulnus à Stymphalidibus illatum sanauerit. testis Orpheus apud Aegidium Maserium in Argonauticis.

Galenus medicus è Pergamo ciuitate Asiaticæ, floruit Traiani temporibus. huuc Auicenna, ceteriq́ue omnes medicorum principē fatentur. scripsit de medicina libros complures, & in opera Hippocr. Cælius lib. 16. cap. 19.

Glaucias medicus fuit in cognoscenda cadauerum natura diligentissimus. Plin. & Cælius cap. 29. lib. 16.

Hippocrates Cous Democratis fuit auditor, uixit in summa familiaritate apud Perdicam Macedonum regem: susceptit filios Thessalum & Draconem. hunc Artaxerxes magna mercede summisq; honoribus in familiam suam inuitauit, auctore Valerio. familiaris fuit Democrito, quē ut insania curaret, plerunq; ad eum scripsit. amauit Græciam, ex qua nunquā egressus est. mortuus est Lariſsæ, natus annos CIV.

Hermogenes fuit medicus, qui Hadriano imperat. se interficere uolenti, circumscripsit locum sub mamilla, quo letaliter percusso, celerius exspiraret. auctor Dion Cassius.

Iulianus fuit quispiam pharmacopola herbariæ artis peritissimus, quem Volaterranus ætate sua floruisse scribit.

Lucas Antiochensis medicus fuit, Pauli apostoli sectator, à quo edoctus, scripsit Euangelium, & Acta apostolorum. excessit natus annos LXXXIV.

Lycus Neapolitanus Atriplicem (nomen est herbæ) contra cantharidas bibendum censet, apud Plin. cap. 20. lib. 20.

Menecrates Syracusanus medicus, nullam ab his mercedem accipiebat, quibus medebatur. curabat in primis morbum sacrum hac lege, ut liberati se esse ipsius seruos fatentur, eumq; Iouem appellarent. feruntq; in id tumoris fuisse euectum, ut quandoque ad Agesilaum Spartæ regem hoc modo scriberet: Menecrates Iupiter Agesilao regi salutē. subridens Agesilaus respondit: Agesilaus Menecrati sanitatem. Plutarchus in Apoph. & Cælius cap. 38. lib. 6.

Martion Mitylenæus de simplicibus effectibus scripsit. item apud Plinium rumpi scolopendras marinas sputo, rubetas item, aliasq; ranas scribit.

Mycon apud eundem testis est aduersus serpentes nihil esse efficacius hippomarathro.

Machaon Aesculapij filius, & frater Podalyrij, medicus fuit clarissimus. Baptista Pius lib. 4. Eleg. Cura Machaonia maior & ista manu est. Hic Philoctetem Pæantis filium Herculis sagitta Hydræ ueneno tincta, uulneratum sanauit. Propertius lib. 2. Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon.

Melampus Amythaonis filius, filius Prœti Argiuorum regis ab insania purgauit de hoc Virg. lib. 3. Georg. cessere magistri, Phyllirides Chyron, Amythaoniusq; Melampus. Meminit & Herodotus in Euterpe, & Plin. 25.

Meges fuit chirurgus quispiam, quem Volat. citat in Philologia.

Nicias Pyrrhi medicus fuit, qui ad Fabricium ueniens promisit se domino mortē illaturum. quod flagitium auersatus Fabricius, Pyrrhum, quamuis inimicum, litteris monuit, vt à Nicia caueret. vide lib. 3. offic. Ciceronis. Gellius lib. 3. cap. 8. videtur hoc adscribere Timochari. apud Gellium ibidem Quadrigarius Niciæ. Vter vter fuerit, pa

rum refert de nomine. Claudianus lib. 3. in Rufinum.

Nicomachus Stagyrites Machaonis fuit filius, & Aesculapij nepos, scripsit de medicina libros sex. fuerunt eius nominis duo alij, pater & filius ambo medici. quorum filius scripsit commentarios in Physicâ patris, & octo libros Ethicorum ad Eudemum. auctor Volater.

Nicerotes vnguentarius fuit Syrius, à cuius nomine Martialis vnguenta vocat Nicerotiana, lib. 6. dicens: Quòd sèper Casia, Cinnamoq;, Et nido niger alitis superbæ, Fragras pumbea Nicerotiana. Idem lib. 10.

Oribasius Sardianus, Iuliani principis familiaris, scripsit libros medicinæ quinquagintatres ad ipsum Iulianũ. Suidas apud Volat.

Ocularius medicus fuit in Aegypto præstantissimus, qui floruit sub Amasi rege. auctor Herodotus in Thalia.

Philippus medicus fuit Alexandri, eiq; summa familiaritate & amicitia iunctus. nam quũ Parmenio litteras ad Alexãdrũ dedisset, quibus eũ monebat, vt ab insidiis Philippi, ne lut ab hoste Dario corrupti, sibi in ægritudine caueret: Alexander exploratum habens medici fidem, poculum ab ipso Philippo datum hausit, demum litteras Parmenionis eidem legendas concessit.

Pæon vir medicæ artis peritissimus, à cuius nomen Pæonia herba nomen sumpsit. Architrenius lib. 2. Pæoniis animo medicina potentior herbis.

Plin. ait. lib. 20. Petriclium fuisse medicum, qui Ophiaca scripserit

Eodem auctore Prodicus fuit medicus, Aesculapij discipulus, Selymbriæ natus, qui medicinam instituit, quam Iatralepticen vocant.

Philistion Locrensis fuit medicus, quem Gellius lib. 17. ca. 11. citat.

Philon medicus fuit nobilis, qui quum medicamenta quædam ad medendi usum exquisitissima concinnaret, & regias quasdam Alexipharmacas potestates, eas Deorum manus appellabat, uelut diuinas & salutares. Cælius l. 16. cap. 10.

Podalyrius filius fuit Aesculapij, & frater Machaonis, medicæ artis peritissimus, qui cum Græcis ad Troiam profectus

fectus dicitur. Baptista Pius lib. 4. Eleg. Depositò non præstat opem Podalyrius ægro.

Sinalus fuit medicus quispiam, de quo Sylius Italicus lib. 5. sic inquit: Ipse olim antiquo primùm Garamanticus Ammon Scire pater dederat Sinalo morsusq; ferarum Tolarãq; graues ictus sedare medendo.

Themison medicus fuit magni nominis, Asclepiadis discipulus, auctore Plinio, quem plerisq; in locis citat Plinius ipse. Iuuenalis: Quot Themisonæ ægros autumno occiderit uno. Baptista Pius lib. 4. Eleg. Omnibus hoc anno morbis, noxaq; carebis, Contemnesq; piam sic Themisonis opem. Fuit eius nominis alter, quem Martialis scribit consuetudinem ueneris habuisse cum sorore, ubi lib. 12. ait: Quare non habeat Fabullæ quæris uxorem Themison, habet sororem.

Theombrotus fuit medicus, quem Ptolemæus rex Megalensibus sacris donauit centum talentis, seruato Antiocho rege. auctor Plinius lib. 7. cap. 37.

Thessalus eodem auctore, medicus fuit Neronis temporibus, qui cuncta maiorum placita transiliuit, & rabie quadam in omnes æui medicos perorauit.

Vectius Valẽs adulterio Messalinæ Claudij Cæsaris nobilitatus, pariterq; eloquentiæ assectator, suo tempore nouã medicorum instituit sectam.

Sunt & plerique alij, quorum nomina & placita quandoque aduocantur à Plinio lib 29. cap. 1. vt Aristogiton, Athamas, Callimachus, Cleopolemus, Damion, Diuces, Diodorus, Petronius, Dorotheus, Dionysius, Sallustius, Hesius, Hicesius, Herofilus, Icethidas, Iollas, Lais, Leneus, Metrodorus, Nymphodorus, Opion, Praxagoras, Plistonicer, Sestius, Simus, Sosimenes, Sotacus. Q. Stertinius. quorum nuda nomina ad nos peruenerunt.

Porrò multiplex est medicina: Pharmaceutice, quæ medicamentis curat. Empyrice, quæ solùm experimentis constat. Iatraleptice, quæ vnguentis. Clinice, quæ victu & venenis corporibus medetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VNGVENTA QVAEDAM, et pharmaca.

ELaterium Plinius ait esse medicamentum, quod fit ex cucumere siluestri, succo expresso è semine.

Crocinum, species est vnguēti, quod efficitur Croci commistione. Propertius: Sit mensæ ratio, voxq; inter pocula currat, Et Crocino nares murrheus vngat Onix. Alio nomine Crocomegma dicitur. fiebat autem ex croco trito, & vino dulci. hoc Romani non solùm corpora delibuebant, sed & spargebant pulpita. vnde idem Propertius: Pulpita solennes non oluere crocos. Crocinum, auctore Plinio, i sola Cilicia diu maximè fuit laudatū, mox Rhodi.

Epilima vnguentum est vilissimum, quo passim vtebantur veteres.

Malobathrum vnguentum est odoris fragrātissimi, quod afferebatur ex Assyria. eo Romani suos capillos vngebant in deliciis, vt videtur innuere Hor. lib. 3. Car. Od. 7. Malobathrus à Sidonio vocatur, qui hoc vnguento delibutus est. Malobathrum teste Plinio, vrinam cit. oculorum epiphoris vino expressum vtilissimè imponitur. item frontibus, dormire volentibus.

Mendesium est vnguentum, quod fiebat in Mendeso Aegypti vrbe.

Mithridaticum, seu Mithridatios vocatur antidotum, quo Mithridates rex Ponti aduersus insidias venenorum cō sueuerat se tutari. eius compositio fit è duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano. quod qui ieiunus sumet, eum veneno securum fore toto die promittit Plinius lib. 23. cap. 8. Antidoti nomen adhuc nostra manet ætate.

Nardinū dicitur vnguentū, quod fit ex Nardo, quod alio noie vocatur Foliatum. est autem nardus seu nardū frutex odoris optimi. Tibullus: Illius puro distillent tempora nardo. Frequens est in Perside. vnde ab Horatio in Epodo vocatur Achæmenium, vbi ait: Nunc & Achæmenio Perfundi nardo iuuat. Indicum Plin. lib. 12. vocat: Inuenta, inquit, nuper in Thracia herba est, cuius folia nihil ab Indico nardo distant. Pontanus Arabum vocat, Hierony. mus

Balbus Assyrium. Lucretius lib. 2. Et nardi florem nectar qui naribus halat. Alias foliatum & spicatum dicitur. constat omphacio, iunco, balano, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo.

Narcissinum vocatur vnguentum, quod componitur ex Narcisso flore delicatissimo. cōstat generibus odorum. sed iam componi desiit. auctore Plin. lib. 13.

Nicerotianum vocatur vnguentum odoratissimum, cuius auctor fuit Nicerotes pharmacopola. Martia. lib. 6. Laudas pinguia Nicerotiana. Idem lib. 10.

Odontostimina vnguentum est, quo confricantur dentes, vt albescant, & exuant rubiginem.

Oenanthinum vnguentum est, quod fit ex Oenanthe, id est labruscæ flore. laudabile fuit in Cypro, deinde in Ægypto præpositum. Plin. lib. 13. cap. 1.

Panatheniacum fuit vnguentum Athenienſibus peculiare, à quibus nomen sumpsit. Plin. lib. 13. Panatheniacum suum Athenæ perseueranter obtinuerunt.

Amaracinum Amaraco flore odoratissimo conficitur. unde adagium natum: Nihil cum amaracino sui. Lucr. -postesque superbos Iungit amaracino & foribus miser oscula figit. Idem lib. 2. Porrò Sampsucinum aliter vocatur, quoniam Sampsucus eadem est herba, quæ & Amaracus, de qua Virg. lib. 1. Æn. -vbi mollis Amaracus illum Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra. Amaracus fuit puer regius vnguentarius, qui casu lapsus dum ferret vnguenta, maiorem ex confusione odorum creauit odorem, inquit Seruius, unde optima vnguenta dicuntur Amaracina. laudabile fuit hoc vnguentum in Co insula. postea eodem loco prelatum est Melinum. optimum est & Mitylenis & in Cypro, vbi plurima est sampsucus. Plin. lib. 13. cap. 1.

Metopium fuit vnguentum, cuius præcipuam laudem meruit Ægyptus, mox abstulit Phœnicia.

Pardalium laudabile in Tarso, cuius compositio & mistura obliterata est. dicitur autem à Pardali animali, cuius odorem reddit.

Balanus herba est vnguentaria, cuius succo vnguentum componitur Balaninum, quod expeditissimum olim fuisse,

scribit Plin. Resinaq; solitum misceri. Balanatus, à Perfio dicitur oleo delibutus, vbi ait: Tum cum maxillis Balanatũ Gausape pectis. Myrobalanũ vocat Martialis vbi ait: Quod nec Virgilius nec carmine dixit Homerus, Hoc ex vnguento constat & ex Balano. Glans autem, qua conficitur, præcipuę bonitatis est in Troglodytis, Thebaide, & Arabia.

Melinum vnguentum, fit è malis cotoneis, & strutheis admistis ompliacino, cyprino, sesamino, balsamo, iunco, casia, ambrotano. Plin. lib. 13. cap. 1.

Susinum constat ex liliis, balano, calamo, cinnamomo, croco, myrrha: & est omnium tenuissimum. Ibidem.

Cyprinum, vnguentum ex Cypro, fiebat omphacio, cardamomo, calamo, aspalatho, abrotano. fuit optimum in Sidone, mox in Ægypto. Ibidem.

Telinum fit ex oleo recenti, cypero, calamo, meliloto, fœnogræco, melle, melino, maro, amaraco. fuit ætate Menandri poetę celeberrimum. Ibidem.

Megalium succesſit ex oleo balanino, balsamo, calamo, iunco, xylobalsamo, casia, resina. Ibidem.

Cinnamomum vnguentorum omnium est crassissimum, vocatur ab eiusdem nominis frutice, qui in Æthiopia, Sabæis, & australi India frequens est. huic vnguento adiiciũtur balanium oleum, xylobalsamum, calamus, iuncus, balsami semina, myrrha, mel odoratum. Ibidem.

Cinnamum eadem est arbuscula, quæ & Cinnamomum, qua etiam conficitur vnguentum eiusdem nominis. hoc vidētur habuisse Thraces. Claud. de Nu. Honorij & Mariæ Cinnama vocat Pangæa, à Pangeo Thraciæ monte. A cinnamo fit adiectiuũ cinnameus, quo vsus est Baptista Pius: cinnameos nimiùm lacerate pharetriger artus.

Myrrha per se vnguentum facit sine oleo, stacte duntaxat, id est, distillatione. nam stacto verbum Græcum, id est, distillo. vnde cataſtagmos à Græcis dicitur, quem nos distillationem dicimus. & Lucr. lib. 2. myrrham appellat stactam, id est, distillatitiam, vbi ait: -ficut amaracini blãdum stactæq; liquorem. Est autem myrrha genus arboris odoriferę, de qua succus emanat fragrantissimus. Ouid. lib. 10. & lib. 1. Fast. Hac abundant Arabia, Achaia, Oro-

tes, Assyria. propterea Virg. myrrham vocat Arabam: Achaiam, Columella: Orontidem, Sidonius: Oronteam, Bapt. Pius. A myrrha fit adiectiuum myrrheus. Horatius lib. 6. Car.

Balsamum arbuscula est soli Iudææ concessa, frequens in collibus vt uinea. sustinet se sine adminiculis. trima iã fructifera est. proceritatem habet duorum cubitorum. eius lignum uocatur Xylobalsamum: succus, qui habetur unguenti loco, Opobalsamum, lac coagulans, & in ueste nullas faciens maculas. Carpobalsamum uocatur eius arboris fructus. hoc unguentum uiris conuenire scribit Martialis, quum Assyria unguenta magis deceant mulieres. sic autem ait: Balsama me capiunt, hęc sunt unguenta uirorum, Delicias Nini uos redolete nurus. A balsamo fit adiectiuum balsameus, quo usus est Sidonius.

Amomum etiam arbuscula est uenoso frutice, palmi altitudine, cuius quoque succus inter magni pretii unguenta numeratum. frequens est in Assyria. unde Virg. -Assyriũ uulgò nascetur Amomum. Sylius lib. 11. Nec crinem Assyrio perfundere pugnet Amomo. Habet & Armenia. Mantuanus in Catharina, -circunfluus aer Fragrat, & Armenio carcer lustratur Amomo.

Psilothrum unguentum erat ad depilandum corpus, fiebatq; ex uariis rebus; modò ex thimi sanguine, felle & ieore; modò ex sanguisugis coctis in uase fictili, & acetò illitis, prius tamen euellebantur pili, auctore Plinio: pòst adhibebatur Psilothrũ, ne renascerentur, ac repullularent. Martialis ad Gargilianum, Psilothro faciemque lauas, & Dropace caluam: Nunquid tonsorem Gargiliane times?

Thalassomeli unguentum, quod fit æquis portionibus maris, mellis, imbris, fictiliq; uase & depicato conditur. Plin. lib. 31. cap. 6.

Dropax unguentum depilatorium, seu euellendis pilis idoneum. Martialis lib. 3. Psilothro faciéq; lauas, & Dropace caluam.

Cæroma erat unguentum, ex oleo & cœno, quo utebantur iuuenes ad robur lacertorum. hinc Cæromatici eo delibuti uocantur. Mart. lib. 4. Seu lentum Cæroma teris, te-

pidumq; Trigona. Idem lib. 7. Vara nec iniecto Cæromate brachia tendis.

Panchrestum genus est medicamenti. de quo Cicero actione quarta in Verrem, Quum (inquit) omnes eius comites iste sibi suo, ille Panchresto medicamento amicos redemisset.

Collyrium dicitur oculorum medicamentum. Horatius: Hic oculis ego nigra meis Collyria lippus Illinere.

Apyron vocatur vnguentum ex auro. auctor Plin. lib. 2[illegible]

Atharis medicamentum est vtilissimum infantibus, quod fit Olyra herba decocta. Idem lib. 22.

Botryon erat medicamentum compositum ex cinere excrementorum, quo Aeschynes Athenienſis anginis medebatur & tonsillis. auctor Plin. lib. 28.

Irium Plinius vnguentum fuisse scribit, quod diu Corinthi placuerit, postea Cyrici.

Idem lib. 12. ait medicamentum esse, quod à Græcis Euhemon dicitur, singulari effectu contrahendis uulnerum cicatricibus.

Oporice medicamentum est, quod fit ad dysentericos, stomachiq; vitia in congio misti albi, lento vapore, decoctis malis cotoneis quinque cum suis seminibus, punicis cum totidem, & sorborum sextario. Auctor Plin. lib. 24.

Stomachice medicamentum est vtilissimum oris vitiis, narium, aurium, oculorum caligini, pterygiis, & genitalibus. Plin. lib. 33.

Diapasmata dicuntur vnguenta ex siccis odoribus. Martialis lib. 1.

Quid quòd olet grauius mistum Diapasmate virus?

Magmata verò dicuntur fæces vnguentorum, vt scoria ferri, amurca olei.

Regale vnguentum vocat Plin. lib. 13. ca. 2. quo Parthorum reges vtebantur. fiebat autem myrobalano, costo, amomo, cinnamomo, comaco, nardi spica, maro, myrrha, casia, styrace, ladano, opobalsamo, calamo, iunco, Syrico, oenante, malobathro, sericato, cypro, aspalatho, panace, cinnamomo, cyro, amaraco, collato melle, vino.

POrrò unguenta quandoque fiunt ex floribus, ut rosaceum, leucoium, susinum; aut ex foliis, vt myrrhinũ, oenanthinum; aut ex radicibus, ut nardinum, amaricinum. unguentis veteres multis modis vsi sunt: ad salubritatem, ut natantes, & lauantes: ad necessitatem, ut certantes cęromate ungebantur: ad luxuriam, ut delicati causa Veneris & mensarum. Græci mistum unguento uinum bibere non erubescebant, quod dicebatur Myrites. Bathilli populi unguentis madent. huius luxuriæ inuentum Persis refertur acceptum. unde Horatius: Persicos odi puer apparatus. Eius rei fidem facit scrinium vnguentorum laudatissimorum, quod expugnatis Darij castris reperit Alexander. Cyprij quoque, Cyziceni, & Corinthij eadem mollitie esse minati sunt. Constat usum unguentorum, aliarumq; rerum ad delicias repertarum usque ad Iulij Cæsaris tempora Belgis fuisse ignotum: cùm imperator ipse Belgas fortissimos dicat, quòd ad eos non commeent mercatores, qui quæ ad effeminandos animos pertinent, illuc comportent. inuasit hic luxus totam paullatim Italiam, adeò ut M. Otho Neroni monstrauerit uestigia pedum unguentis tingi, hisq; balnearum parietes quãdoque aspersi sint. Caium quoq; principem ferunt unguento solitum lauari anno post urbem conditam DLXV. P. Licinius Crassus & Iulius Cæsar censores edixerunt, ne quis uenderet vnguenta exotica. L. Plocius, Plocij bis consulis frater, proscriptus à Triumuiris, in Salernitana latebra unguenti odore proditus est. In confesso est, Heliogabalum imperatorem triclinia, quandoque lectos, & porticus, omni florum genere strauisse, ut liliis, uiolis, hyacinthis, & narcissis, ac per eos ambulasse, seq; unguentis omnium fragrantissimis nudum sæpenumero perunxisse. quem secuti imperatores, propè nullam mollitiem sibi non permiserunt, nullum uoluptatis poculum reliquerunt inguſtatum. quod ego in Romanis principibus, quamuis damnem plurimùm, non tamen admodum miror, quum etiam apud eos abiectissimi homunculi, idem sibi indulserint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE OLEO.

REperit & portentosa hominum luxuries in oleo uoluptatem, quo pleriq; ad nitorẽ cutis, alij ad confirmandas corporis uires se perunxerunt. fuit autem multiplex: Amygdalinum, quod ex amaris nucibus arefactis, & in offam contusis, aspersum aqua, & iterum tusis exprimebatur. mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat, uaros cum melle tollit à facie, prodest auribus cũ rosaceo & melle, & punici mali germine decoctum. auctor Plin. uide alias uirtutes apud eundem lib. 23. cap. 4. Oenanthinum fiebat ex oenanthe herba. Cicinum bibebatur ad purgationes uentris cum pari caldæ mensura. Laurinum vtilius est, quo recentius & uiridius colore: illinitur paralyticis, spaticis, ischidiacis, & plerisque aliis morbis. Cupressinum à cupresso arbore, ut Myrteum à myrto. Citreum à citro. Balaninum ex balano glande, de qua iam diximus, repurgat uaros, furunculos. lentigines, gingiuas Omphacium prodest gingiuis: si contineatur in ore, colorem dentium custodit magis, quàm aliud, & sudores cohibet. Narcissinum dicitur à narcisso flore. Raphaninum à raphano: phthiriases tollit, scabricies cutis facie emundat. Sesaminum aurium dolores sanat, & ulcera, quæ serpunt. Balsaminum contra omnes serpentes est efficax. Lilinum renibus vtiliſſimum est sudoribusq; euocandis. Seleucium neruis utile est. Picenum prodest ad quadrupedum scabiem. hæc omnia & multò plura his docet Plinius.

POTIONES DIVERSAE.

A Mystis erat quædam potio apud Thraces, quæ claussis oculis bibebatur: Horatius lib. 1. Car. Nec multi Damalis meri Bassum Threicia uincat Amystide.

Oxyhalme erat potio, quæ fiebat ex sale & aceto recenti aduersus serpentes.

Oxysacaron potio ex saccaro & aceto. saccarum autem est mel in arundinibus collectum, gummi instar candidum, ac fragile

Promulsis potio ex mulso condita. Cicero: Non eum, quem tu es solitus promulside conficere. hinc promulsida-

ria uasa, quibus mulsum continetur.

Piracium fiebat ex Piris, & loco uini sumebatur. Hieronymus contra Iouinianum: Timotheo dolenti stomachum uinum suadet bibere, non Piratium.

Bua, infantulorum potior à sono fictum uocabulum. Cato: Quum cibum ac potionem Papas & Buas uocent: & matrem mammam, & patrem tantam.

Ex frugibus, inquit Plinius lib. 22. fiunt potus similes Zithon in Aegypto, Cælia & Cærea in Hispania, Ceruisia & plura genera in Gallia, quorum omniũ spuma cutem feminarum in facie nutrit. Idem lib. 14. Aegyptius, inquit, è fruge sibi potus similes excogitauit. nullaque in parte mundi cessat ebrietas. Bibitur Ceruisia mera, non diluta inebriat instar uini.

Ptysana est itidem potio à Græcis inuenta, quæ ex hordeo fieri solet. Martialis lib. 12. Frumentum, milium, ptysanamque, fabamq; solebas Vendere.

Sabaia est potus in Illyrico paupertinus, ex hordeo & frumento in liquorem conuersus. auctor Ammianus Marc. l. 26.

DENOMINATIONES A VARIIS artium professionibus, ordine litterarum.

ABietarij dicuntur fabri lignarij, ab abiete arbore. abiegnæ trabes, abiete factæ.

Acupictores uocantur phrygiones, qui aurum & colores uestibus intertexunt.

Actuarii dicuntur notarij, qui ueloci stylo acta, actionesque describunt.

Acupedarii optimi cursores, à pedum acumine.

Alutarii sutores coriarij, ab aluta, id est, pelle, quæ à luteo colore dicitur.

Amphorarij pincernæ, seu pocillatores, ab amphora uase uinario.

Apiarij, qui curant apes. aliter uocantur mellatores.

Argentarij dicuntur campsores, seu nũmularij. Budæus: Argentarij Romæ tabernas in foro publico conductas habebant. aliter uocantur mensarij, mensularij, trapesitæ, collybistæ, monetarij.

Asinarij , qui asinos pascunt . hoc uocabulo utitur Cato de Re rustica.

Agasones equorum ductores . Horat . Si patinam pede lapsus frangat agaso .

Auiarij,qui auium curam gerunt . Colum. Sic tamen ut illustria sint loca,quæ commodius habitet Auiarius.

Aurarij , qui aliquid inaurant.

Aurifices dicuntur aurarij . Aurificina,aurificis taberna.

Architectus , primarius faber .

Atrienses custodes atriorum , seu uestibularij.

Argyrognomones minutuli nummularij , quasi pecuniæ spectatores .

Arcarii arcarum fabri . auctor Cæl. appellantur & Scriniolarii . apud auctores passim obuium .

Aquarii , qui aquam circunferunt uenalem . Idē auctor.

Aurigæ curruum & uehiculorum ductores .

Aucupes , qui aues capiunt .

Arcularii arcularum & scriniorum fabri .

Aliptes corporum unctor . idem ferè significant uespillo, sandapilarius , libitinarius . Iuuenal. Satyra 3.

Bractearii , qui bracteas faciunt , quiq; aurum malleis tu sum, & ad quamuis tenuitatem ductile rebus inaurandis reducunt . Budæus.

Bubulci, & bubsequæ, boum custodes.

Balneatores balneorum ministratores . unde & apud Erasmum est adagium: Asinus balneatoris .

Cellarii , qui asseruando penu præsunt.

Copiarii , qui legatis foras profecturis pecuniam suppeditant necessariam.

Coronarii , qui coronas conficiunt . Plin. lib. 21. Coronarii quidem & spinæ flore vtuntur .

Celeustes , qui remiges hortatur ,quasi nauigationis moderator . & Celeuma nauticus clamor dicitur . Budæus .

Conchyliarij , qui conchylia in mari conquirunt .

Codonophori , id est , atrati anteambulones , & ferales, præcones tintinnabula gestantes . Budeus .

Collybistæ dicuntur nummularij . nam collybus dicitur nummus .

Chirurgi ,medici vulnerarij .

Cinclidarij , quibus atrij & vestibuli committitur custodia. Cinclidas enim Græci appellant valuas duplices aut foramen , quo immittitur clauis .

Ceroplastæ , cerearum imaginum artifices.

Cinisiones,qui modum docent crispandorum capillorum calamistris .

Cosmeta dicuntur unguentarii , à Cosmo medico ,ut opinor sicut Cosmiani .

Condi , qui recōdūt in cellā penuariam bona domestica .

Carnicoctores , qui coctas carnes exponunt venales .

Crepidarij,qui crepidas conficiunt . aliter vocantur,Calceolarij sutores .

Calones , militum serui , qui clauas ligneas , hastas & fustes ferunt à tergo dominorum. Horatius : Hunc perminxerunt calones atque caballi .

Clitellarij , qui sarcinas ferunt clitellis . aliter vocantur Muli mariani .

Cupedinarij , venditores ciborum lautiorum, qui vocantur cupediæ .

Cubicularij, cubiculorum famuli . Sueton . in Iulio:Manusq; apud eos non sine summa indignatione propè x 1. dies cum vno medico , & cubiculariis duobus .

Cinerarij & Cinisiones , dicuntur tonsores , à conflādis calamistrorum cineribus , in quibus calamistra ad iuuenum puellarumq; capillos vibrandos calefaciebant . Catullus : Nunc tuum Cinerarius tondet os.

Crocatarij,qui crocino colore vestes inficiunt . Plautus: Qui incedunt infectores Crocatarij .

Cæmentarii, dicuntur cæmentorum, id est, ædificiorum (quæ ex lapidibus fiunt) structores. Hieronymus vocat fabros murarios .

Calceolarij , qui calceos consuunt & conficiunt . vocantur aliter alutarij , coriarij , crepidarij , sandaliarij .

Capsarij, capsārū & crumenarum custodes , vel artifices .

Carnarii , carnium venditores, à Græcis creopolæ dicūtur , & creurgi .

Carpentarii , fabri lignarii , qui carpenta conficiunt .

Caupones, esculentorum, poculentorumq; venditores.

Ciſtiferi, vaſculorum, aut capſarum vectores.

Dulciarii, dicuntur pictores placentarii, quos paſtillarios dicimus.

Decupa, qui vinum quotidie minutatim vendit. Cicero Vinum à decupa & propola quotidie ſumit.

Dardanarii, dicuntur propolæ, qui omnia præemunt, vt carius poſtea vendant: à Dardanio quodam mago, qui hoc facere conſueuerat.

Epibatæ dicuntur, qui ob hoc tantum ſunt in naui, vt vehantur. auctor Budæus.

Eſſedarii, dicuntur fabri eſſedorum vehiculorum. Suetonius in Auguſto: Quum eſſedario (pro quo quattuor filiis deprecabantur) magno omnium fauore indulſiſſet rudem.

Fœniſecæ, qui ſecant fœnum. Columel. vtitur.

Ferales præcones, dicuntur atrati illi anteambulones, qui cadauera (quæ efferunt) cum tintinabulis præcedunt.

Fullones dicuntur, qui maculas è pannis detergunt. eorum ars vocatur fullonica. Martialis lib. 7. Tam malè Thais olet, quàm non fullonis auari Teſta vetus.

Fartores, qui farcimina faciunt ex inſecta carne & adipe. Terẽtius. Cupedinarii omnes, cetarii, lanii, coci, fartores.

Ferramẽtarius ferramentorũ cõfector. Iul. Firmicus vtit.

Flamearii, dicũt infectores flamei coloris violæ luteæ: q flameola, appellat. hinc Flamea, coloris lutei veſtimenta.

Furnarij, qui ex furno, paniſq; coctura quæſtum faciunt. vocantur etiam fornacarij.

Gangabæ, à Perſis dicuntur, qui humeris onera portant. auctor Curtius lib. 3. de geſtis Alexandri.

Gemmari, gemmarum venditores. Cælius: Gemmarius quidam vitreas gemmas, vt legitimas verasque, imperatoris vxori magno pretio vendiderat.

Hoſtiarii, cuſtodes hoſtiorum. Plin. l. 12. Nat. hiſt. cap. 15. præter has & cuſtodes, ſatellitesque, & hoſtiarii, & miniſtri populantur.

Herbarii, qui vires herbarum noſcunt, aut ex his conficiunt vnguẽta. Idem Plin. lib. 13. Herbarii in vtraque pauca his & alia aliis miſcent. Item lib. 21. Scelus herbarium aperitur in hac mentione.

Helciarii, qui naues deducunt, ſubducunt ve ad oſticia inuicem adhortantes, & rudentibus corpori ſuo inuolutis trahunt inſtar equorum. Martial. lib. 4. Quem nec rumpere nauticum, nec clamor valet Helciariorum.

Hamiotæ, dicuntur piſcatores, ab hamis, quibus vtuntur ad capiendos piſces.

Horrearii appellantur horreorum cuſtodes.

Inſtitores, propriè dicuntur rerum delicatarum venditores & negotiatores, quòd gerendis inſtent negotiis. Propert. lib. 4. Mundus demiſſis inſtitor in tunicis. Ouid. Inſtitor ad dominam veniet diſcinctus emacem.

Inſulârii, inquit Budæus, dicuntur ab inſula, qui lingua vernacula Conciergi vocantur. eiuſmodi homines eſſe ſolent in domibus principum, quæ inſulæ plerunque ſunt, id eſt, à priuatorum domibus diſtinctæ.

Lactarii, qui cibos ex lacte conficiunt. Spartianus in Heliogabalo: Dulciarios & lactarios tales habuit.

Lachanopoles, olerum venditor, qui & olitor, & olearius dicitur.

Lanarii, qui lanas curant. Plautus: Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius.

Lixæ dicuntur, qui aquas hauriunt. Seneca in Theb. Humiliſq; ſocerum lixa dominantem ſequar. Sylius: & inutile Martis Lixatum vulgus.

Libitinarii dicuntur, qui ex rebus funeralibus, & exequiis quæſtum faciunt. à Libitina dea ſepulcrorum, aut ſepulcro ipſo. uide Senecam.

Linteones, qui lintea conficiunt. vocabulum eſt Vegetii.

Lathomi dicuntur lapicidæ: & Lathomiæ dicuntur lapidicinæ, vbi eruũtur & cæduntur lapides. Thomos enim Græcè, ſectio dicitur Latinè.

Lenones, dicuntur illectatores, & productores meretricum, ab alliciendo. & eſt communis generis, quamuis etiã dicamus lena.

Librarii, qui libros vendunt. aliter bibliopolæ. Catullus: Nam ſi luſerit ad librariorum Curam ſcrinia.

Libratores, qui aurum, aut aliquid aliud ad libram expẽ

dunt. Theoderitus per Zenobium Acciaolum: Ille (inquit) qui scire amet, quot pondo censenda sunt, vel aurea vasa, vel argentea, vel numismata quæpiam pendenda, ea librato ribus defert.

Lanius, seu Lanio, qui carnes vendit in carnareo. aliter dici potest Bouicida.

Lecticari, lecticarum curatores. Seruius Sulpicius: Mejsq; lecticariis eum in vrbem referre.

Lenobates, appellatur vuæ calcator.

Limborarii, qui limbos consuunt. Plautus: Textores limborarij. Est autem limbus vestimentum purpuram infernè consutam habens.

Lintearii, qui lintea vendũt & conficiunt, vt Linteones.

Lucernarii, anteambulones, & tedifari, appellantur & lucerniferi, & à Græcis daduchi, & dadurgi, tedifices.

Metallici, qui metalla eruunt, aut conficiunt. Plin. lib. 34. cap. 16.

Mesonauta, nomen est vilis mancipij in naui: diciturq; is, qui iubente nauarcho quæque munia subire cogitur.

Mediastinus, est mancipium abiectum, quod vilissima, & sordidissima ministeria obire domi cogitur: vt domum verrere, purgamenta efferre, ligna congerere, & huiusmodi alia facere. ita autem dicitur, quòd in media domo ad imperia omnium, nutusq; excubare soleat. Horat. in Epist. Tu mediastinus tacita prece rura petebas.

Mensarii, & Mensularii dicuntur collybistæ, seu monetarii, & trapezitæ.

Mulones, qui mulorum habent curam. apud Martialem Mulio capitur pro essedario, vbi lib. 9. ait: Nec pigri rota quassa mulionis.

Mansuetarij, qui siluestria animalia mansuefaciunt, & curant, & ex feris domesticos reddunt. aliter Exarmatores dici possunt, Lampridius.

Mangones, dicebantur magistri, & comptores formæ puerorum & puellarum, quos exponebãt venales. solebant enim artificio colorem corporis pulchrificare, quò facilius venderent quos volebant. hinc Mangonizare, est aliquid ornare ad alliciendos emptores.

Molitores, vulgò molendinarii, qui frumenta molunt in pistrino. aliter Pistrinarii dici possunt.

Mellatores, qui curam mellis & apum gerunt. aliter vocantur Apiarii. Volater. Ad hæc propellenda diligens mellator remediis instabit.

Machæropii, dicuntur fabri gladiorum: quo nomine dictus est Demosthenis pater, quòd cultellos factitaret. machæra Græcè, Latinè dicitur sica, seu gladius.

Machærophori, dicuntur hastiliferi. cuiusmodi sunt regii stipatores. Cic. ad Q. frattrem: Machærophoris cẽtum sequentibus miros risus nobis edidere.

Margaritarii, margaritarum, aliarumque gemmarum vẽditores, & negotiatores. dicuntur & gemmarii.

Medicamẽtarii, & medici, à medẽdo dicũt, qui morbis affe rũt remedia. Plin. Herbarias & medicamẽtarias artes dixit.

Mellisones, seu mellarii, qui mella & apes curant. aliter mellatores & apiarii, ut iam diximus.

Mercenarii, qui causa mercedis operam nobis præstant, à mercede hostimento.

Myropola, vnguentorum venditor, & myropolium, officina vnguentorum & pharmacorum.

Nauta, seu nauita, magister & ductor nauis. eodem etymo vocatur nauclerus.

Nouaculari, qui nouaculas seu cultros rasorios conficiũt.

Organici, & Organarii dicuntur organorum artifices. Lucretius lib. 2. -organici quę Nobilibus digitis experge- facta figurant.

Oeconomi, dicuntur custodes, & dispensatores frugum, pecuniæ & omnium rerum, quas dominus possidet. unde oeconomia, rei domesticæ administratio.

Obstetrices, & obstetriculæ, quæ parturientium curam habent, quòd sua peritia dolori obstent. vnde obstetricare, est partum adiuuare.

Odorarii, qui odores conficiunt, & vendunt: à Græcis vocantur aromatopolæ.

Oenopola, vini venditor: oenopolium, taberna vinaria. Plautus: Quũ à pistore panem petimus, vinũ ex Oenopolio.

Olitores, qui hortum oleribus consitum exercent, & cu-

rant aliter vocantur hortulani. olitor etiam dici potest, qui uendit olera.

Ostiari, custodes ostiorum. vocantur aliter atrienses, æditui, æditimi, claustrarii, claustritimi, ianitores, liminarii, liminiarchæ, vestibularii.

Oxyporopoli, qui cibos vendunt aceto confectos. Plin. in eo vsus est: Et Oxyporopoli seruant, addito dulci, ad crementum aceti temperantes. Et Oxypora dici possunt esculenta aceto cõdito. unde idem Pli. l. 20. c. 23. Idipsum cõdimentis propè omnibus inseritur. Oxyporis etiã aptissimè.

Putearii, qui puteos excauant. Plin. lib. 31. cap. 3. Depressis puteis sulphurata, vel aluminosa occurentia putearios necat. puteorum excauatores Græci Phreorychos uocant. eorum instrumentum dicitur Teuresis. organum, quo ex puteo hauritur aqua, celonium, vel ciconia. puteos aperire, apud Iureconsultos est excauare. Celius li. 6. cap. 17.

Proreta dicitur, qui proræ præfectus est, quemadmodum gubernator, qui puppi. Plautus in Rudente: Si tu proreta isti naui es, ego gubernator ero. Refero acceptum Budæo.

Pegasarii, dicuntur cursores, qui statis locis mansiones suas positas habent: quorum diuersoria Stathmi vocantur. Budæus.

Purpurarii, purpurarum piscium piscatores, qui & Conchyliarii dicuntur. possunt etiam dici Infectores purpuræ.

Pollinctores, dicuntur funerum curatores. pollincere enim est mortuum curare. Plautus in prologo Pœnuli: Eorum alter uiuit, alter est mortuus. Propterea apud uos dico confidentius, quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerit. & in Sticho: Hodie pollinctura est. Mart. lib. 10.

Piscinarii, qui piscinas curant: cuiusmodi fuerunt Sergius Orata, & Licinius Murena, qui captorum piscium lætabantur uocabulis. L. quoq; Philippus, & Hortensius piscinas habuerunt pretiosissimis piscibus refertas, quos propterea Cicero piscinarios appellat.

Piscatores, qui pisces inquirunt. aliter uocantur hamiotæ, abhamis, quibus esca opertis pisces decipiuntur.

Piscarii, qui pisces uendunt. Varro: Inter piscarios nemo uendebat.

Propolæ,

Propolæ, a Græcis dicuntur, qui à nobis reuenditores, qui aliquid præemunt, ut cariius postea uendant. Lampridius: Imitatus propolas circunforaneos, equos curules sibi comparauit. Vocantur aliter dardanarii, ut iam docuimus.

Pigmentarii, qui pigmenta uendunt, aut conficiunt. Hieronymus in Exod. Composuit & oleũ, & sanctificationis unguentum, & thymiamata de mundissimis aromatibus opere pigmentarii. Cælius inter eos, qui corporis curam agunt, recenset tonsores, balneatores, pilicrepos, alipilos, mediastinos, mangones, coronarios, cosmetas, & id genus alios.

Promi dicuntur, qui præsunt promendis cibariis, aliisq; rebus domesticis. Ausonius: Promus quàm condus magis.

Pocillatores, dicuntur pincernæ, & prægustatores, quales poetę fabulantur esse Ganymedem assistentem Ioui. alter Propinatores dicuntur. nam quamuis Propinare plerunque significet præbibere, aliquando tamen est dare bibere. Plin. lib. 21. cap. 20. Medici in uino decoquunt recens uel aridum, illinuntq;, uel spleneticis propinant ex aceto. Idem lib. 28. Artemon propinauit aquam è fonte noctu comitialibus morbis. Vbi (ut in plerisq; aliis locis) Propinare pro dare bibere ponitur. sunt tamen nescio qui ridiculi, qui nihil probant, nisi quod in putidis quibusdam auctoribus legerint: quasi uerò linguæ Latinę copiam debeant, aut possint circumscribere pomœriis suæ ignorantiæ.

Pistores, seu pisores dicuntur furnarii panifices, à pinsendo, qui proprio, & decenti epitheto uocantur farinulenti.

Pharmacopolæ, medicamentorum uenditores. & pharmacopolium amulitorum officina.

Præcones, enunciatores publici, qui iussu magistratus publicè aliquod enunciant. Hor. Vt præco ad merces turbam qui cogit emendas. Domesticus præco dicitur, qui se ipsum laudat.

Plumarii, qui acu pingunt. aliter uocantur polimitarii. opus plumarium acu factum. Vitruuius lib. 6. de Architectura cap. 6. Non minus inquit pinacothecæ, & plumariorum textrinę, pictorumq; officinæ uti colores eorum in opere propter constantiam luminis immutata maneât qualitate.

Panifices, seu panifici, qui panem conficiunt. panificiũ

panis confectio dicitur.

Pecuarii, pecorum custodes, qui & armentarii uocantur. pecuariam rem facere, est armenta gregesq; alere.

Pelliones, qui vestes pelliceas, aut alia quæuis opera pellibus conficiunt. phrygiones dicuntur, qui acu pingunt, aut vestes auro intexunt. Phryges enim primi inuenerunt aurum telæ intertexere.

Popinones sunt, quos tabernarios dicimus, vel luxuriosi, qui popinas amant: qualem Horatius villicum suum arguit, quod rure velit redire Romam desiderio popinæ. Budæus decenti epitheto delicias vocat popinales.

Porcarii dicuntur porcorum custodes. alio nomine dicũtur suarii. porculatio porcorum nutritio, & Porculena merces ipsius.

Portitores dicuntur transfretatores, à portu. Virg. lib. 6. Portitor has horrendus aquas, & flumina seruat Terribili squalore Charon. Vocantur aliter telonarii. portorium merces, & stips, quam merentur.

Placentarii, qui placentas & cibos dulciarios conficiunt. vocantur etiam officinarii.

Proxenete, licitatores vendendarum, comparandarumq; mercium mediatores.

Quadrigarii, qui quadrigas agunt, aliter vocantur aurigæ & essedarii.

Quæstores, pecuniæ publicæ collectores, & qui curam habent ærarii. magistratus vocatur Quæstura.

Ratiarii, à rate, vt nauicularii à naue, dicuntur negotiatores, qui ex ipsa rate quæstum faciunt.

Salsamentarii dicuntur venditores ciborum sale conditorum. alio nomine salarii.

Sandapilarii dicuntur rerum funebrium & exequiarum curatores. aliter vocantur vespillones, libitinarii, necrophori, & funerarii. est enim sandapila, auctor Fulgentio, ferrum, seu loculus mortuorum, quo non corpora nobilium, sed plebeiorum, atq; damnatorum cadauera portabantur. Sidonius: Hanc non vespillonum sandapilariorumq; ministeria ominosa simulauere. Suetonius scribit, cadauer Domiciani populari sandapila per vespillones exportatum.

Scripturarij dicuntur tabelliones, quos clericos & commissarios vocant: dicuntur & scribæ.

Suarii, qui sues pascunt. aliter vocantur porcarii, vt iam diximus.

Sagarii dicuntur, qui vendunt saga. est autem sagum vestis militaris, vt postea docebimus.

Salarius, qui cibos salsos vendit. Martialis: Quod viles pueri salariorum.

Scoparii dicuntur ministri, quorum interest pauimenta scopis deuerrere, & mundare domum. propterea Hieronymus Aquilonem viarum scopam appellauit, quòd difflando perpurget quidquid in via puluerulentum obiacet. Vlp. de Tit. de fundo instrumen.

Segmentarii, qui aurum vestibus intertexunt: à segmentis, id est, bracteolis, orbiculisq; varigantibus. Ouid. lib. 3. de arte.

Quid de veste loquar? non iam segmenta requiro.
Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Sellularii dicuntur, qui opus aliquod sedendo conficiunt: qui & sedentarii.

Sericarii, textores sericorum. sericati homines, pannis sericis induti.

Solearii, solearum sutores, qui & crepidarii dicuntur. Plautus in Aul. Solearii astant.

Statuarii, qui statuas fingunt, Græcè Idoloplastæ vocantur. quales fuerũt Lysippus, Praxiteles, Myron, Polycletus.

Suffarranei dicuntur, qui farra & frumenta in castra conuehunt, crebris & vilibus institorum vecturis.

Sutores dicuntur calceolarii, aut vestimentorum artifices, qui melius sarcinatores appellantur.

Sphæristerici, & sphæristæ dicuntur studiosi ludipilæ, & periti. sphærizo, id est ludo pila, sphæristerium, ludus pilæ. Lampridius in Alex. Post lectionẽ operam palæstrę, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminib⁹ molioribus dabat.

Thermularii dicuntur, qui thermis præsunt, & ex his quæstum faciunt.

Tonsores, lanæ, aut capillorum dicuntur incisores. Horat. in Epist. Si curtatus inæquali tonsore capillos Occurri,

rides. Hinc culter tonsorius dicitur.

Telonarii dici possunt tributorum collectores, qui & telones vocantur.

Vespillones dicuntur funeratores, & curatores cadauerum. Suetonius in Domiciano: Cadauer eius populari sandapila per vespillones exportatum.

Vnguentarii, qui vnguenta exponunt venalia, aut conficiunt. Plin. lib. 12. ipsiq; vnguentarii digerunt, haud difficulter. Idem lib. 31. Et vnguentarij propter colorem eo maximè vtuntur.

Visceratores dicuntur carnium distributores. & viscératio ipsa distributio.

Vulnerarii, qui vulneribus medentur, vt chirurgi.

Vascularii, qui vasa conficiunt, & vendunt, aurea & argentea. nam inter aurifices numerantur vascularij, cælatores, inauratores, & bractearii.

Vinarii, vini venditores, à Græcis œnopolæ dicuntur. Suetonius: Quum de vinariis, aut laniis ageretur, exclamauit in curia.

Vinitores rustici vinearum cultores. Virg.

Aut custos gregis, aut maturæ vinitor vuæ.

Vehicularij, vehiculorum ductores: Carrucarii, carrucæ: Essedarii, essedorum.

Vexillarii qui in exercitu ferunt vexillum, dicuntur etiã antesignani, primipili & vexilligeri.

Vestispici famuli, quorum interest mundare vestes dominorum. & vestispicæ ancillæ, eodem modo dicuntur.

Veteramentarii dicuntur sutores crepidarij, qui veteres calceos reficiunt. Plautinus Euclio multa eiusmodi commemorat in Aulularia vbi ait:

Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius;
Caupones, patagiarij, indusiarij, flamearij,
Violarii, carinarii, manulearii, myrobrecharii,
Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii astant, astant molochinarij;
Petunt fullones, sarcinatores petunt.
Strophiarij astant, astant semizonarij

Tereeni quum stant Phylacistæ in atriis,
Textores, limborarij, arcularij dicuntur.

DENOMINATIONES A NATURALIBUS, seu accidentariis casibus.

AGrippæ dicuntur ab ægro partu, qui nascuntur in pedes: quod est contra naturam, auctore Plinio lib. 7. cap. 8. quo modo genitum ferunt M. Agrippam.

Vopiscum dixerunt vnum ex geminis, qui recenti vtero nasceretur, alio interempto abortu.

Planci, qui supra modum pedes planos habent. & plancæ tabulæ, dicuntur planæ.

Pansæ à latis pedibus, & apertis. pansum enim apertum significat.

Syllæ vnde originem sumpserint, Macrobius lib. 1. Satur. sic refert: Bello Punico hi ludi primùm ex Sibyllinis libris sunt instituti, suadente Cor. Russo, quà propterea Sibylla cognominatus est: & postea corrupto nomine primus cœpit Sylla vocari.

Burri, à colore rufo. Pyrrhi Græcè dicuntur.

Galbæ, à colore auis, quæ Galbula dicitur.

Scauri, qui eminentibus sunt talis.

Opiter appellatur, q patre mortuo, & auo viuo gignitur.

Cordus qui sero nascitur. vnde corda frumenta, quæ sero nascuntur. & autumnale fœnum cordum dicitur.

Posthumi, qui nascuntur patre humato.

Cottæ ab iracundia, & oris toruitate dicti sunt.

Scipiones à baculo, qui scipio dicitur. quoniam qui primus hoc meruit nomen, innitebatur baculo.

Lenates à frequenti vsu lenæ vestis.

Marcipor, puer, seu famulus Marci: vt Publipor, publij. Lucipor, Lucii. Plin. lib. 33. cap. 1.

Vari dicuntur, qui crura habent obtorta, quiq; sunt pedibus incuruis, & in se contractis. vnde etiam varæ manus. Ouidius lib. 9. - tenuiq; à pectore varas In statione manus, id est, decuruas. Horat. lib. 1. Sermonum: Hunc varum distortis cruribus. Martialis lib. 7. Vora vocat brachia palæstritarum, quum aduersarium amplectuntur. Vara nec in iecto cæromate brachia tendis.

Vaciæ dicuntur, quibus pedes & crura in exteriorem partem flectuntur. cuiusmodi fuisse legitur Seruilius Vacia, vir prætorius, Senecæ temporibus. Varro lib. 1. de re. Rust. Cruribus rectis ac potius varis, quàm vaciis. hinc etiam Vaciennorum cognomina fluxerunt.

Valgi dicuntur. qui diuersas suras habent, hoc est, in diuersum actas, vt sunt Lacertorum pedes, quorum pars intrà conditur, pars extrà procedit. valgi contrarii sunt varis. habent enim suras altrinsecus prominentes, & in diuersum actas, vt cancri, & lacertæ ipsæ, auctore Aristotele.

Varicosi, qui venas habent plus æquo intumescentes in temporibus, ventre, testibus, inguine, sed maximè in cruribus. quod ex nimio labore solet nasci.

Plauti & Ploti dicuntur à planis pedibus.

Pilumni, qui pilum pistrinis inuenerunt.

Pisones, à pisis leguminibus, quæ optimè serebant, vt Fabii à fabis, Lentuli à lente, Cicerones à cicere.

Bubulci qui bubus optimè vtebantur. Plinius.

Coclites vocantur, qui altero lumine orbi nascuntur, vt ille Horatius Cocles.

Lucini, seu lucinii, qui paruos vtrinque habent oculos.

Petauri dicuntur homines agiles, qui per circulos se immittunt, nascunturq; sub Delphine. huiusmodi sunt histrio nes, funambuli, funerepi & saltatriculi. vocantur & petauristæ.

Labeones, labiæni, & labrosi, à prominentioribus labris. Lucretius li. 4. simula Silene, At satura est labrosa Philœne.

Ectapeli dicuntur, quibus aliquid accidit præter communem naturæ modum. cuiusmodi fuit Eutimenis filius, quem Plinius scribit in tria cubita triennio adoleuisse, incessu tardum, sensu hebetem, & iam puberē factum voce robusta, ab sumptum contractione membrorum subita, triennio circumacto.

Chilones dicuntur, qui sunt maioribus labris. aliter labeones dicuntur.

Cylones, qui sunt fronte prominentiore, & quasi extante. synonymicè frontones appellantur.

Simi, & simones, qui habent nares introrsum reflexas.

quod genus homines facilius ceteris fiunt polyposi. his contrarii sunt Aquili, qui sunt naso forinsecus extento.

Benè nasati homines à Lampridio dicuntur mutoniati, ac benè mentulati.

Luscioſi, qui propter vitium oculorum parū vident. Plautus in Milite: Aedepol tu quidem cæcus es, non luscioſus.

Luscus, qui altero captus est oculo, qualis fuit Hannibal. vnde Iuuenalis, Quum Getula ducem portaret bellua luscum.

Cæcus, qui vtroque; aliter defioculus. hinc cæcare & cæcutire verba descendunt.

Balbi, qui linguam habent impeditam, nec verba debitè enunciant, vt qui laborant labdacismo, & iotacismo.

Blæsi itidem dicuntur, qui lingua hærent, quum syllabam syllabæ iungere properè non possunt. dicuntur à Græcis Thrauli. porrò Blæsitas non solùm vitiū est linguæ, sed etiā eorum, qui oblæsum gressum habent, vnde & blæsi pro valgis possunt accipi.

Atypi, qui non satis expedito plectro linguæ vtūtur, quasi aerem non ferientes, vel quasi verba non exprimentes. Budæus in annot.

Ancyloglossi, qui linguam habent astrictam membranulis quibusdam duriusculis, & breuioribus. quod vitium ancyloglossium dicitur, tuncq; naturale est. est & accidentarium, quum vlcus sub lingua cicatricem duriorem obduxit. auctor Budæus. est autem vinculum neruosum, quod Filum vulgariter nuncupatur.

Vacii, q pedes extrorsus obtortos habēt. dicūt & vacię.

Tragomaschali, qui virus alarum olent. aliter Hircosi. est enim Hircus fætor alarum, quem Plin. Alarum graueolentiam appellauit, & aliquando virus alarum, à Græcis dicitur tragos, vnde tragizontes pueri.

Ventrioſi dicuntur, qui sunt uentre propenso & extante: dicuntur etiam ventrosi, & ventrigosi.

Cæsares hoc nomen traxerunt ab Africano Scipione, qui primus Cæsar, à cæso matris vtero dictus est. desistant hallucinari, qui dicunt Iulium Cæsarem à cæso matris vtero nuncupatum: nam quo tempore subigebat Gallias, matrem

ipsam amisit Aureliam nomine, quę superuiuere nequiuisset, si cæso eiusdē vtero natus fuisset. Solinus lib. 4. de Mira.

Androgyni dicuntur vtriusq; sexus homines. aliter vocantur Hermaphroditi.

Achili dicuntur, qui sunt sine labris. his contrarii sunt Labeones.

Ancus, qui aduncum habet brachium, nec exporrigi potest. Festus Pomp.

Brōci, qui sunt ore producto, & dentibus prominentibus. auctor Nonius.

Buccones, qui sunt tumidioribus buccis. Plautus: Stulti, Stolidi, fatui, fungi, bardi, blemi, buccones. Solus ego omnes anteo stultitia.

Epigryphi dicuntur, qui habent nasum aduncum.

Flauii, à flauo colore capillorum nomen traxerunt.

Gibbosi, seu gibberosi, qui tuber & tumorem habent in dorso. tumor autem gibbus & gibber dici potest.

Gutturosi, quorum guttur tanquàm spongia quædam intumescit, aquarum (quæ potantur) plerunque vitio.

Hossimi, qui nascuntur sine naribus. quarum loco habent foramina. aliter Simones.

Mactici, qui habent magnas malas & os patens.

Monogrammi vocantur tenues, macri, & decolores. a pictura, quæ priusquàm coloribus corporetur, lineis fingitur. Monogrammos enim pictura dicitur linearis.

Myopes, qui in luce parum vident, Latinè luscioſi. Myopia dicitur huiusmodi vitium.

Nyctilopes, qui vident interdiu, Sole occidente parum, occasu nihil.

Obstipi, qui sunt breui collo, quibusque colla in humerum inclinata sunt. Suet. in Tib.

Spatici, qui maligno spiritu sunt correpti, quiq; eodem in loco nequeunt subsistere.

Neruæ à fortitudine neruorum, & vestigiorū dicti sunt.

Hala à fœdo oris halitu. Capella à capillorum hirsutie.

Fenestella à caluitie. Columella à proceritate. Nasicæ ab obuncis naribus. Statius nomen est seruile. Cælius lib. 13. cap. 5.

DENOMINATIONES A GENERE.

AVus, pater patris. Proauus, aui pater. Abauus, pater proaui. Auia, patris, vel matris mater. Proauia, Abauia, Tritauia, vt proauus, abauus, tritauus se habent. Pater, qui genuit: Mater, quæ peperit. Patruus, frater patris. Patrueles, fratres filii duorum patruorum. Sorores, patrueles, filiæ duorum patruorum. Matertera, soror matris. Fratria, vxor fratris. Fratrueles, duorum fratrū filii, qui & fratres patrueles vocantur. Socer, vxoris meæ pater. Prosocer, vxoris meæ auus. Socrus, vxoris meæ mater. Gener, filiæ meæ maritus. Progener, generi pater. Nurus, filii mei vxor. Nepos, natus ex filio meo, vel filia mea. Neptis, filia filii mei, vel filiæ. Nouerca, secunda vxor, quā pater ducit mortua prima, ex qua liberos habuerat. Priuigni, nati ex prima patris vxore: ut, Hippolytus Phędræ nouercæ priuignus. Amita, patris soror. Consobrini, geniti ex duabus sororibus, quasi consororini. Leuir leuiri, frater mariti mei. Maritus, uir uxoris: Marita, uiri Opiter, cuius pater mortuus est auo adhuc uiuente. Pappus, est auus. Ausonius, Pappos auiasque trementes. Patricius senatoris filius.

OFFICINAE ARTIFICVM.

SVtrina dicitur sutoris officina.

Tonstrina tonsoris.

Textrina textoris. Pl. Ipsa p se tenax ratio textrinæ.

Vstrina metallici. Plinius 36. cap. 21. In ustrina ter siccātur, ita ut torreantur carbone puro.

Oenopolium officina uinarii.

Laniena laniorum & bouicidarum.

Mycopolium unguentariorum, & pharmacopolarum.

Thermopolium officina, in qua esculenta & poculenta calida uenduntur. Plautus. Semper uideas bibentes in thermopolio.

Pinotheca, seu pinacotheca, pictorum est tabula, in qua pictæ tabulę reponuntur. Vitruuius li. 6. Non minus pinacothecæ & plumariorum textrinæ, pictorumq; officinæ uti colores eorum in opere propter constantiam luminis immutata maneant qualitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

REPOSITORIA DIVERSARVM rerum.

VEstiarium dicitur vestimentorũ repositorium. Plin. lib. 15. Vestiarium contra teredines. ac noxia animalia, amurca aspergi.

Dactilotheca, gemmarum repositorium. Plin. lib 36. Dactylothecam, inquit, primus habuit Romæ priuignus Syllæ Scaurus.

Panarium panis repositorium. Statius lib. 1. Sil. Hi panaria candidasq; mappas Subuectant, epulasq; lautiores.

Granarium, id est, horreum, seu repositorium granorũ. Varro de lingua Latina: Panarium vbi panem seruabant: granarium, vbi granum: in quo aliqua conduntur, horreum.

Armamentarium repositorium armorum & nauium.

Bibliotheca librorum.

Atramentarium atramenti.

Calamarium calamorum.

Casteria instrumentorum nauticorum.

Myrothecium vbi vnguenta conduntur.

POPVLI, ET HOMINES re aliqua insignes, & clari.

SCythæ equitatus & equorum gloria strepunt, inquit Plinius. equo insidere primi docuerunt Thessali. vnde nata apud eos de Centauris fabula.

Seres orientales populi nobiles sunt vellere, ut iam docuimus.

Ithuræi, Medi, & Parthi sagittis. Lucanus lib. 7. Tunc & Ithuræi Mediq;, Arabesq; soluto Arcu turba minax nusquam rexere sagittas. Catullus: Seu Sacas sagittiferosq; Parthos.

Thusci haruspicio. Tibullus li. 3. Vera monent Thusci exta probata viris. Vnde Hetruscum, aruspicem Vitruuius, Thuscum Sidonius vocant.

Hylas cestu, Phegeus palæstra, Lycus stadiis & cursu clari fuerunt. Ausonius: Clarus Hylas cestu, Phegeus catus arte palestræ, Clarus Olympiacis est Lycus in stadiis.

Pollux palæstra. Statius lib. 2. Sil. Siue catenatis curuatus membra palæstris Staret, Amyclæa conceptum matre putares.

Castor equis. Idem Statius lib. 5. Sil. -non toties victorẽ Castora gyro, Nec fratrem cestu virides plausere Therapnæ. Ouid. Tyndaridæ fratres: hic eques, ille pugil.

Clari quoque fuerunt Marsi, Vmbri, Psylli venenis; Aegyptij, & Babylonij, astrologia; Lacones, breuitate; Scythæ, Cretenses, & Geloni, sagittis; Curetes, ære; Aegyptij, sistro; Tyssiagetæ, & Lyrcæ, venatibus, quibus viuunt; Bœotij, palæstra, & gymnicis exercitationibus; Athenienses, naualibus; Lacedæmones, legibus; Græci, ingenio; Alexandrini, dolis: Berosus, astrologia; grammatica Apollodorus; Hippocrates, medicina; Archimedes, geometria; Euclides, numeris; Lyncæus, visu; Chiron, & Alcon, arcu; Cicero, eloquio; Cyrce, venenis; Crœsus, diuitiis; Nireus, forma; Execestides, peregrinatione; Amphion, & Orpheus, lyra; Aristeus, melle; Alcinous, hortis; Amazones, peltis & securi; Argus, visu; Hãnibal, stratagemate; Alexander, magnanimitate; Plato, & Aristoteles, philolophia; Arachne, lanificio; Archilochus, iambis; Typhis, arte nautica; Cato, grauitate; Numa, religione; Regulus, fide; Scæuola, constantia; Rhadamantus, iudicio; Apelles, pictura; Praxiteles, sculptura; Traianus, bonitate; Apollonius, temperantia; Cyneas, memoria; labore Cleantes; Zoroastres, magia; Hippolytus, pudicitia; Manzus Florẽtinus, spheristerio; Magiolinus, latrunculis; Scæuola, pila: arte citharœdica, Mitylenæi; tibiarum modulis, Thebani; Alexandrini, grammatica, geometria, & philosophia; arte statuaria, Athenienses; Crotoniatæ, medicina; Aeginitæ, athletica. Sidonius de quibusdam sic meminit.

Pollux tum cestu laudatus, Castor habenis,
Pallas tum cristis, Delia tum pharetris,
Alcides claua, Mauors tum lusit in hasta,
Archas tum virga, Nebride tum Bromius. Item
Axe Pelops, cursu Hippomenes, luctaq; Achelous,
Aeneas bellis, spectatus Gorgone Perseus.

GENTIVM PROPRIA epitheta.

APuleius eruditos appellat Aegyptios, sicut Iudæos superstitiosos, Nabathæos mercatores, Fluxos uestium Arsacidas, frugum pauperes Scythas, odorũ diuites Arabas. legimus Alexandrinos esse fallaces. Vopiscus scribit Aegyptios esse uentosos, furibundos, iactantes, iniuriosos, auidosq; nouarum rerum.

T. Liuius perfidiam Pœnis, Cicero calliditatem, ut numerum Hispanis, robur Gallis, artes Græcis, Italis sensum, Romanis pietatem adscribunt.

Ioan. Picus Mirandula ponebat in Hebræorum doctrina mysteria & prodigia, in Græcorum disciplinis ingenium, in Romana academia politiam.

Horatius uocat Britanos hospitibus feros, Persas infidos, Iulius maternus ad Mauortiũ Lollianum scribens, Quædam (inquit) gentes ita à cælo formatæ sunt, ut propria sint morum unitate perspicuæ. Scythæ immanis feritatis crudelitate grassantur: Itali fiunt regali semper nobilitate præfulgidi; Galli stolidi; acuti Siculi; Luxuriosi semper Asiatici, & uoluptatibus occupati; Hispani elata iactantiæ animositate præpositi.

Blondus uocat Afros fraudulentos, Ligures duros, Campanos superbos. Cato uerò li. 11. Originum ait Ligures esse fallaces. Virg. lib. 11. Aeneid.

Vane ligur, fruſtraq; animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus artes.

Christophorus Longolius Parrhisiensis, in oratione de laudibus diui Ludouici & Frãcorum, uocat Britones duros, uafros Normãnos, religiosos Frãcos, industrios Flandros, mites Lothoringos, faciles Andegauos, bellicosos Vasconnes, Burgundos feroces, Picardos alacres, frugi Santones, atque Pictauos, Narbonenses fideles, fortes Aruernos, Hainonios pertinaces, magnanimos Senones, uersutos Cenomanos, militares Bituriges.

GENTIVM INSIGNIA.

Insignia Scytharum fulmen; Gallorum olim buffones,

nunc lilia; Romanorum aquilæ; sus Phrygium; geminæ rotæ Corallorum; Thraciæ Mars; arcus & pharetræ Persarũ; Anglorum leones & rosæ.

DEORVM INSIGNIA.

Fulmen Iouis, tridens Neptuni, framea Martis, Herculis claua, Bacchi thyrsus.

REGES DIVERSARVM GENTIVM quibus nominibus appellantur.

Argiuorum reges dicuntur Abantiadæ, Persarum Achæmenidæ, Aegyptiorum Ptolemæi & Pharaones, Latinorum Murrhani, Albanorum Syluij, Syriæ Antiochi, Arabum Arabarchæ, Libycorum Libyarchæ, Thebanorum Labdacidæ, Parthorum Arsacidæ, Romanorum Imperatores, Augusti & Cæsares.

VOTA HOMINVM DIVERSA.

SCribit Plinius lib. 7. L. Metellum decem maximas res optasse. utpote uoluisse primarium bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore uti, summa sapientia esse, summum senatorem haberi, pecuniam magnã bono modo inuenire, multos liberos relinquere, & clarissimum in ciuitate esse. quę omnia illi contigerunt.

Pyrrhum Epirotarum regem ferunt (ubi immolaturus tẽpla inuiseret) non regni ampliorem modum, non de hoste uictoriam, non gloriam illustrem aut diuitias, sed sanitatem modò à diis comprecari solitum, ceu parte hac bene constituta, prosperius cessura uiderentur omnia.

Augustus Cæsar, quum LIV. annum ageret, precatus est à diis Scipionis fortitudinem, beneuolentiam Pompeij, & Cæsaris fortunam. Plutar. de for. Rom.

Optabat Caligula unicam esse populo Romano ceruicẽ, quò facilius uno ictu abscindi posset. Votum hominis carnificis, & sanguinarii. Bap. Egnatius.

Darius oblato sibi malo punico, tot optasse fertur zopyros, quot illic essent granorum. Idem dicebat malle zopyrum unum incolumem habere, quàm uiginti Babylones occidere. Herodotus lib. 3.

Martialis lib. 1. ad Frontonem votum suum describit.

Optabat Horat. Tiburi, aut prope Galesum Calabriæ fluuium conseneſcere, his verbis: Tibur Argæo positum colono, Sit meæ sedes vtinam senectæ, Sit modus lasso maris & viarum, Militiæq; . Idem lib. 1. Car. optat mentem sanam in corpore sano.

Beatus Augustinus tria habebat in votis, vidisse CHRISTVM in humana natura, Paulum de pulpito fulminantē, & spectabiles vrbis Romæ triumphos.

Votum suum Tibullus sic exprimit:

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Cricias tyrannus imprecabatur sibi Scopadum diuitias, liberalitatem Cymonis, & Agesilai Lacedæmonij victorias, Plutarchus.

QVI DIV VIXERVNT.

VIxit Adam annis 930. Eua totidē. Seth 912. Enos filius Seth 905. Caynā filius Enos 910. Malalehel filius Caynam 895. Iared filius Malalehel 962. Enoch filius Iared 965. Mathusalē filius Enoch 969. vnde Mātuanus: Nestoreos annos & Mathusalemia sæcla. Lamech filius Mathusalem 777. Noe 905. Sem filius Noe 600. Arphaxat filius Sēm 338. Sala filius Arphaxat 433. Heber filius Sale 467. Phaleg filius Iectan 239. Reuseu Ragau filius Phaleg 302. Saruch filius Ragau 230. Nachor filius Saruch 148. Thare filius Nachor 205. Aram pater Loth 205. Isaac Abrahæ filius 185. Iacob filius Isaac 175. Aaron frater Moysis 123. Iosue 110. Heli iudex 98. Salomō 94. Iob 183. Abraham 175. Thobias 112. Sara 127. Iudith 105. Moyses 120. Ex Plinio, Arganton Tartessiorum rex 150. Sylius libro 3. ait eum vixisse 300. ita scribens: Argantoniocos armat Carteia nepotes. Rex proauis fuit humani ditissimus æui, Terdenos decies emensus belliger annos. Mantuanus in Alphonso: Et vetus ille auri diues, ditissimus æui, Hesperiis quondam rex Argantonius oris. Cyniras res Cypriorum 160. Aegimius 200. Epimenides Gnosius 157. Pictoreus Aetolus 300. Reges Arcadum 300.

Dando Illyricus 590. Impetris Pulutiniorum insulæ rex 800. Eius filius 600. Perpenna 98. M. Valerius Coruinus 100. Metellus pontifex 100. Liuia Rutilii 97. Statilia 99. Terentia Ciceronis 107. Clodia Opheli 115. Lucceia Mima 100. annis in scena pronunciauit. Emoliaria vixit 104. Samnulla 110. Stephanio vltra centum. Hiero rector Siciliæ 80. Massanissa rex Numidiæ supra centum. Gorgias Leontinus 107. Xenophilus Chalcidensis 105. Herodotus scribit Aethiopes 130. annos transgredi. Hippocrates Cous 104. vel 169. Isocrates 100. Orbilius Beneuentanus 100. Sibyllæ Cumanæ diuturnam vitam adscribit Ouidius libro 14. his verbis: -nam iam mihi sæcula septem Acta vides: supereſt numeros vt pulueris æquem: Tercentum messes, tercentum musta videre, Tempus erit, quum de tanto me corpore paruam Lōga dies faciet, cōsumptaq; membra senecta. De ea Statius libro 1. -tu Troica dignus Sæcula, & Euboici transcendere pulueris annos. Fertur enim annos ab Apolline petiisse pro numero pulueris, quem manu prehenderat. vnde idem Statius alibi: Vel quantos ego Delium poposci. Ouidius patrem suum 90. annos vixisse ait lib. 4. Tristium, dicens: Et iam complerat genitor sua fata, nouemq; Addiderat lustris altera lustra nouem. Narcissus præsul Hierosolymitanus 116. Nestor 300. Iuuenalis Satyra 10. Rex Pylius (magno si quidquam credis Homero) Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ. Felix heu nimium, qui per tot sæcula mortem Distulit, atque suos iam dextra computat annos. Tibullus lib. 4. Vixerit ille senex quamuis dum terna per orbem Sæcula fertilibus Titan decurrerit horis. Idem: Terna minus Pyliæ miretur sæcula vitæ Propertius lib. 2. Nestoris est visus post tria sæcla cinis. Idē: Ad me ab amore tuo deducet nulla senectus, Siue ego Titonus, siue ego Nestor ero. Ouid. in Met. -& si quē potuit spatiosa senectus Spectatorem operum multorum reddere, vixi Annos bis centū, nunc tertia viuitur ætas. Antonius abbas 105. Alexander episcopus Alexandrinus 98. Alexander episcopus Const. 94. Agilus abbas 100. Titus Pauli discipulus 101. Democritus 109. Paulus primus hęremita 113. Paconius abbas 110. Prosdocimus episcopus 114. Vandegisillus comes Pa

Iatinus 92. Florẽtinus presbyter 123. Guarinus præsul Bononiẽsis 110. Viuẽtius cõfessor 120. Homerus poeta 108. Hieronymus 98. Helias abbas 110. Horabbas 90. Heroinus 304. Ioan. de tẽporibus 361. de hoc Ioanne intelligit Mantuanus in Alphõso, dicens: Et quẽ fama refert hiemes vidisse trecẽtas. Maurus abbas 92. Maurilius episcopus 90. Romualdus hæremita 120. Antonius castor 100. Cyrus episcopus 112. Zancles Samothracenus 104. Pollio Romulus 100. Saturninus Volusius 136. T. Fullonius 157. Artaxerxes 94. Plato 81. Cælius scribit Marin quendam vixisse annos 123. cuius antica corporis humana fuerint, postica equina. Hyperborei populi mille annis viuunt. Galenus vixit 140. Tithonus (vt fabulantur poetæ) ab Aurora adamatus, & in cælum relatus, illiusq; succo perfusus, ad tantam peruenit senectutem, vt tandem optauerit verti in Cicadam; Lucianus: Atq; vltra Tithonum viuebat senex. Statius libro 4. Silu. Annos perpetua geres inuenta, Quos fertur placidos obisse Nestor: Quos Tithonia computat senectus. Propertius lib. 2. At non Tithoni spernens Aurora senectam. Dorotheus præsul Antiochenus 119. Tyro Tullius Ciceronis libertus 190. Theremon hæremita 100. Carneades philosophus 100. Cirnæ Indorum viuunt 140. Terentius Bononiensis 100. L. Tertuleia Ariminẽsis 137. Symõ Cleophæ episcopus Hierosolymitarum 120. Cronius Anachoreta 155. Apollonius Thyanæus 100. Seneca Cordubẽsis 114. Patricius 2. Niuernensis epis. 122. Gartius Aretinus 104. Richardus quidam tẽporibus Caroli Magni 400. Helias Anachoreta 120. Hugo successor S. Bernardi 117.

Porrò pleraque sunt animalia, vitam hominis longè superantia, vt Cornices, Cerui, Corui, Phœnices. de quibus sic apud Erasmum scribit Hesiodus.

Ter tria sæcla hominis transmittit garrula cornix.
Quattuor at peragit cornicis sæcula ceruus.
Ceruinam ætatem coruus ter præterit ater.
Coruinos annos nouies agit indica Phœnix.
Atqui crispicomæ soboles Iouis alma tonantis,
Egredimur decies Phœnicia sæcula nymphæ. Item
Ter binos deciesq; nouem superexit in annos,
Iusta

Iusta senescentum quos implet vita dierum.
Hos nouies superat viuendo garrula cornix.
Et quater egreditur cornicis sæcula ceruus,
Alipedem cerui ter vincit coruus: at illum
Multiplicat nouies Phœnix reparabilis ales,
Quam nos perpetuo decies præuertimus æuo
Nymphæ Hamadryades, quarum longissima vita est.

DE TEMPORE, ANNIS, ET DIEBVS.

QVoniam autem de longis vitæ spatiis locuti sumus, commodum videtur, vt variam annorum, & dierum obseruationem subiiciamus. annus triplex est, magnus seu Platonicus, solaris duodecim mensium, Lunaris seu menstruus vnius mensis. annum alij ætate vnum terminabant, alterum hieme. alij quadripertitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuerunt. quidam Lunæ senio, vt Aegyptij, quorum anni fuerunt menstrui. hinc fit, vt apud eos aliqui singula annorum millia dicantur vixisse. sed hic oritur scrupus fuerint ne anni primi sæculi nostris similes. nam fabulosum videtur plerisq; Mathusalem & alios prius enumeratos, vixisse tot annos. constat in primis, neq; menstruos fuisse, neq; trimestres, vel hoc vno argumento, quòd legamus Salomonem anno x i i. ætatis filiũ suscepisse. quare credibile est, aut pares nostris, aut non multò minores extitisse. Nec minus varia extitit dierum, quàm annorum obseruatio. Babylonij inter duos solis exortus diem faciunt: Athenienses inter duos occasus: Vmbri à meridie in meridiem: vulgus omne à luce ad tenebras: sacerdotes Romani, item Aegyptij, & Hipparchus, à media nocte in mediam. auctor Plinius.

QVI MVLTOS HABVERUNT liberos.

ADam præter Seth, Abel, & Cain habuit 30. liberos. Iayr septimus iudex Israël 30. filios. Thespis Athenienſis 50. filias, à quarum nomine Musæ Thespiades appellatæ sunt. Roboam habuit vxores 10. concubinas 30. filios 28. filias 40. Artaxerxes Xerxis filius habuit ex pellicibus 120. liberos, ex iusto matrimonio 3. Atila rex

Hunnorũ 60. liberos. Danaus 50. filias. Aegisthus totidẽ filios. Eutyce mulier 20. filios. Combe mulier heroina, cui cognomen fuit Chalcidi, viro coniuncta centum liberos enixa est. vnde adagium apud Eras. Tanquam Chalcidice peperit nobis vxor. Niobe Tantali filia habuit 14. Massanissa rex Numidiæ 44. auctore Eutropio. Puella quædã Longobarda 7. pueros vno partu peperit sub Agelmundo rege, quos omnes in piscinam coniecit. auctor Paulus Diaconus. Gilipus Arcadius 9. liberos habuit, quos (vt inquit Virg. lib. 12.) - fida crearat Vna tot Arcadio coniux Tyrrhena Gilippo. Vix quisquam crederet Herotymum sexcentos ex diuersis pellicibus habuisse liberos, nisi Iustinus ex Trogo scriptum reliquisset, in epitome lib. 39. Priamus ex Hecuba coniuge habuit 19. liberos, ex aliis pellicibus 31. Gedeon iudex Hebræorum 70. quos omnes Abimelech filius nothus Gedeonis occidi fecit. Achab 70. vt habetur cap. 10. quarti Regum. Barrabas vicecomes in Italia 30. liberos suscepit. Conradus Moscouiæ dux 80. ex quibus quatuor tantùm legitimi fuerunt. Scilurus 80. mares filios habuit. Plutarchus in Apoph.

QVI SENES GENVERVNT.

ADam filiũ Seth anno 130. Abraham anno 100. Sara 90. Seth genuit Enos anno 105. Enos Caynam anno 90. Caynam Malalehel 70. Malalehel genuit Iared anno 65. Iared genuit Enoch anno 162. Enoch Mathusalem 65. Mathusalé Lamech anno 187. Lamech Noe filium anno 180. Noe Sem, Cham, & Iaphet, quum esset 500. annorum. Scribit Plinius Mathusalem post 85. annos generasse filium Mathymathmum; Catonem Censorium octogesimo exacto è filia Salonii clientis sui; Corneliam è Scipionum gente, Volusium Saturnium post annum 62.

FRATRES VTERINI.

Hercules, Iphiclus, Appollo, Diana, vterini fuerunt.

SPVRII, ET NOTHI.

ANtiphates filius fuit nothus Sarpedonis. Virg. lib. 9. Aeneidos. Et primũ Antiphaten (is enim se primus agebat) Thebana de matre nothum Sarpedonis alti. Plutarchus scribit Homerum natum ex adulterio

Chritheidis matris, & Themistoclem ex adulterio matris, cui nomen fuit Abrotonum.

Aeneas ex adulterio Anchisæ cum Venere apud Simoentem. Virgil. Tu ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisæ Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad vndam? Aristonicus rex Pergami filius fuit Eumenis ex pellice. Aristeus Appollinis, ex nympha Cyrene, Penei fluminis filia. Hercules Iouis, ex Alcmena Amphitryonis vxore.

Democoon, & Doryclus Priami, itidem ex pellicibus.

Lithyerses nothus fuit Midæ regis. Theseus, & Romulus (inquit Plutarchus) ambo quum spurii forent, existimati sunt à diis immortalibus procreati. Iugurtha nothus fuit Manastabalis fratris Micipsæ regis Numidarum. Manfredus Frederici imperatoris. Ioan. Andræas patre Andræa presbytero, & matre concubina natus est. Petrus Comestor Gratianus, & Petrus Lombarbus itidem fuisse dicuntur nothi. Albanus martyr incestu patris cum filia.

DE VIRTVTVM, ET DOCTRINÆ PRÆMIIS HISTORIA.

STATVAS QVI MERVERVNT.

SEsostris rex Aegypti, statuam præclaris facinoribus, & bellica virtute apud suos adeptus est.

Aristogitoni, & Armodio statuæ ab Athenienſibus erectæ sunt, quòd Athenas ipsas tyrannide Pisistrati liberas sent. Plin. lib. 34.

Astylo Crotoniatæ (quum tribus continuis Olympicis vicissset stadio) posita est statua.

Autolycus Pancratiastes statuam habuit in Prytaneo: testis apud Volater. Pausanias.

M. Porcius Cato fuit Rom. adeò gratus, vt senatus statuam ei consularem in templo collocauerit, cum inscriptione restitutos ab eo mores testante. Plutar. in Catone Censore.

Titum Corũcanium quum Tensa illyricorum regina liberius locutum occidisset, mortuum senatus statua decorauit. Plin. lib. 24. cap. 6.

Demetrius Phalereus auditor Theophrasti, ab Athenien sibus (quorum rempub. summa virtute, ac prudentia decẽ annos administrauerat) CCCLX. statuis honoratus est: quas quum postea inuidia disiecissent, satis habuit hæc dicere: At virtutes non euerterunt, quarum gratia eas erexerant. Laertius & Plin.

Eunomio Locrensi artis citharœdicæ præstantia statuam peperit, quam Volaterranus adhuc in Italia Locris ostendi testis est. Euthymius apud Plinium legitur.

Meruit & statuam Athenis Fauorinus philosophus, quæ (quum in odium Hadriani veniisset) disiecta est. Philostratus apud Volat.

Verrius Flaccus grammaticus, nepotum Augusti præceptor, statuam habuit in Præneste oppidò. Tranquil. de illust. Grammat.

Isocrates oratòr Athenienſis sua eloquentia statuam in Olympia meruit.

M. Claudius Marcellus, quum propter Gallos iuxta Padum, & Hannibalem apud Nolam superatos, oppugnatas item Syracusas, in prẽmium virtutis statuam habuit in æde Palladis cum epigrammate.

Mucio Scæuolæ (qui coram Porsena, Etruscorum rege, Romam obsidente dextram flammis admouerat, vrbẽq; obsidione liberauerat) Romani statuam erexerunt, eique prata dederunt trans Tiberim.

Ptolemæus Philopator Homero poetarum maximo templum cum statua dicauit. Aelianus apud Volater.

Oppianus poeta, ex Anazarbo Ciliciæ ciuitate (qui de piscibus scripsit) à suis ciuibus magnifica statua honoratus est, cum hoc elogio: Oppianus sum suauiloquens vates, quem crudelis, atq; inhumani inuidia fati ante diẽ eripuit: quod si longius in luce moras dedisset, nullus mihi par gloria mortalium in terris foret. Volat.

Horatio Cocliti statua posita est, quòd Etruscorum aciem in Sublicio põte solus sustinuisset, donec pons à tergo

interrumperetur, quocum in Tiberim decidit. Plutarchus ait fuisse positam in æde Vulcani.

Pausanias Cleombroti filius, quum præclaris facinoribus Lacedæmones sibi demeruisset, statua ab eisdem honoratus est: quam tamen postea euerterunt, quòd arripere tyrannidem uoluisset. Thucydides lib. 1.

Phryne meretrix statua donata est ob formam & pulchritudinem, cuius causa prius in iudicio fuerat absoluta, quũ tunicam à pectore deduxisset. Quinctil. lib. 2.

Claudio secundo Romanorum imperatori statua cum aureo clypeo erecta est, quòd Gotthos, Macedoniam vastantes magna attriuisset clade. Eutropius.

Epicurum Athenienſem philosophum ob doctrinã statuis æreis patria decorauit. Tortellius.

Iosephus Iudæus propter libros de captiuitate Iudaica scriptos, statuam Romæ obtinuit.

Minucio Augurino statua extra portam trigeminam erecta est à populo stipe collata, quòd fatris pretium in trinis nundinis ad assem redegisset. Plin. lib. 18. cap. 3.

Trebius in Aedilitate assibus populo frumentum præstitit, quam ob causam & ei statuæ in Capitolio & Palatio dicatæ sunt. Plinius ibidem cap. 3.

Notatum est ab auctoribus L. Actium poetã in Camœnarum æde maxima forma statuam sibi posuisse, quum breuis admodum esset. Plin. cap. 5. lib. 34.

Numa quoque, & Seruius statuas apud Romanos sua virtute meruerunt. auctor Plinius.

Hominum primus & auream statuam, & solidam Gorgias Leontinus Delphis in templo sibi posuit. Plin. cap. 4. l. 33.

Mithridates Platonis gloria motus eidem statuam dicauit, egregium Sylonis opus, quam hoc modo inscripsit: Mithridates Rhodoatæ filius hanc Platonis imaginem Musis dicatam erexit. auctor Plutarchus.

Cloeliæ virgini Romanæ equestris statua posita est in via sacra, quòd armata & equo insidens Tiberim traiecisset, ad declinandam uim Porsenæ Etruscorum regis. Liuius lib. 2. & Plut. in Parall.

Plutarchus in uita Publicolæ, ait positam fuisse Porsenæ

ſtatuam iuxta curiam.

Athenienſes Phocioni ſuo principi mortuo æream ſtatuã dicauerunt, ob plurima in rempub. beneficia, inuentasq; eius reliquias publicis ſumptibus tumulo mandauerunt. Plutarchus in eius vita.

Cherhonenſes ſtatuam lapideam in foro prope Liberum patrem publicè Lucullo conſtituerunt. Plut. in Cimone.

Mortuo Demoſtheni Athenienſis populus erexit ſtatuã, cui hoc inſcripſerunt: Si pares ingenio vires Demoſthenes habuiſſes, nunquam Græcię dominatus fuiſſet Macedo. Plutar. in eius vita.

Canoni Athenienſium duci & Euagoræ, poſitæ ſunt ſtatuæ prope Iouis ſeruatoris ſimulacrum: Plutarchus in Euagora. Idem in Alcibiade ait multas Athenis ſtatuas Mercurio fuiſſe erectas.

Polydamas Herculani roboris athleta, qui leonẽ in Olympia inermis iugulauit, & correptum inuſitatæ magnitudinis taurum, quamuis prærabido impetu proſilientem retinuit, quadrigasq; tota vi concitatas altera manu remoratus eſt, ſtatuam meruit in Olympia. Cælius lib. 7. cap. 56.

Cylon quamuis tyrannidem affectaſſet Athenis, nihilominus tamẽ ob excellentẽ formam (quæ nullum non allicit) ſtatua ænea honeſtatus eſt. Cælius lib. 13. cap. 7.

Octauio oratori Romano S. P. Q. R. ſtatuam erexit, quòd legatus ad Antiochum miſſus, regem ipſum reſpondere ſine cunctatione & mora compuliſſet. Plin. hoc adſcribit Cn. Popilio. Crinitus lib. 7. cap. 3.

Veſtritius Spurinna Lyricus poeta in Bructerum regem imperator conſtitutus, parta victoria triumphalem meruit ſtatuam. Plin. Iunior Epiſt. 7. lib. 2.

Nerua Cocceius imperator ſtatuas, & imagines, Soſiæ, Palmæ, & Celſo conſtituit, quos viros præ ceteris coluit, & ſummo in honore habuit. auctor Dion Caſſius.

Archias Hyblæus, quum tres ordine Olympia ſimul, & Pythia viciſſet, ſtatuam cum epigrammatis inſcriptione meruit. Volat. in Phil.

Arcadius, & Honorius petente ſenatu ſtatuam Claudiano poetæ Alexandrino in foro Traiani collocari iuſſerunt.

Iunio Ruſtico philoſopho ſtatuam erexit M. Antonius imperator. Capitolinus.

Mantuani, mortuo Virgilio multis pòſt ſæculis ſtatuam in celebriore ſuæ vrbis loco erexerunt: tanti adhuc viri memores, quem multis antè diebus ſuffocauerant Parcæ. Pontanus de Obedientia.

Beroſo ob veriſſimas rerum prædictiones ſtatuã poſuere Athenienſes inaurata lingua. Plin. lib. 7.

Antonio Muſæ medico Romana ciuitas ſtatuam Aeſculapio proximam locauit, ob Auguſtum morbo ſanatum. Suetonius in Auguſto.

Caia ſeu Tanaquil mulier laudatiſſima, & Tarquinij vxor ſtatuam in templo meruit.

M. Atilius Glabrio, quum apud Thermopylas Antiochũ Aſiæ regem deuiciſſet, compos voti factus, ſtatuam auratã patri erexit in æde Pietatis, quod nemini antea Romæ contigerat. Liuius lib. 4. Valerius de Inſtitutis antiquis.

DOCTI VIRI HABITI IN magno pretio, & honore.

QVanti olim æſtimatæ ſint bonæ litteræ, quantumque doctis ſit conceſſum, nullo certius argumento, quàm ſequentibus patet exemplis. Scipio Africanus ſtatuã Ennij poetæ (quem in ſuis expeditionibus comitem ſemper habuerat) ſepulcro ſuo imponi iuſſit, cui viuenti hortos ſuis proximos donauerat. Ouidius lib. 3. de Arte. Politianus in Nutricia.

Alexander Magnus capto inter ſpolia Darij Perſarum regis vnguentorum ſcrinio (quod erat auro, gemmis, ac margaritis pretioſum) libros Homeri (quos tanto dignos loco exiſtimabat) incluſit. Plin. lib. 7. cap. 29.

Idem, quum Thebas euerteret, & in omnes ſine diſcrimine ſæuiret, Pindari vatis penatibus parci iuſſit.

Idem Ariſtotelis præceptoris ſui nomini Patriam condidit, eiq; multa hominum millia parere iuſſit, ad ſcribendos rerum naturalium libros.

Archilochi poetæ interfectores Apollo arguit Delphis.

Sophoclem tragicum poetam defunctum ſepeliri Liber

pater iussit, obsidentibus mœnia Lacedæmonis, & Lysandro eorum rege in quiete sæpius admonito, vt pateretur humari delicias suas. Lysander, vbi intellexit Sophoclem mortuum, pacem funeri dedit. Solinus.

Platoni Siciliam venienti Dionysius tyrannus quamuis ad superbiam sæuitiamq; natus, vittatam nauem misit obuiam, & egre dientem in littore quadrigis albis excepit. Plutar. in Dione.

Annicetus Cyreneus eundem ab Aeginetis captum, & interm ancipia venalem expositum, ne quid indignum patere tur, Minis aliquod mercatus est, & honesto comitatu Athenas ad suos remisit. quum pecuniam, quum a Platone sibi remissam intellexisset, profectò (inquit) peccatum videri potest, quòd maiore summa nõ iuuerim tantum virum. Guarinus Veronensis & Pont. deliberalitate.

Platonem ipsum tanti fecit Aristoteles discipulus, vt nomini eius aram in templo construxerit, statuamq; consecrauerit: in qua scriptum erat hunc esse illum, quem probi omnes meritò debeant & imitari, & commendare. vnde extant Criniti versus in Parthenicis: Hæc illa est ara floribus redimita suaue olentibus: Quam gratus bene merenti statuit discipulus seni. Tituloq; hoc testatus animum suum, atque officium, Platonem probandum probè à probis.

Viginti talentis vnam orationem vendidit Isocrates.

Aeschines Demosthenis orationem (qua tamen in exsilium pulsus fuerat) coram amicis laudauit in sua calamitate.

Athenienses Thucydidem rerum suarum scriptorẽ ab exsilio reuocauerunt, eloquentiam mirati, cuius virtutem dãnauerant.

Menander, comœdiographus, ab Aegypti regibus per legatos magnis præmiis inuitatus est.

Cn. Pompeius Possidonij sapientiæ professoris domum intraturus, fores percuti de more à lictore vetuit, & fasces lictorios ianuæ submisit is, cui se oriens occidensq; submiserat. vide Strabon. lib. 11.

Augustus carmina Virgilii cremari contra testamẽti eius verecundiam uetuit. eidem in theatro recitanti uniuersus populus R. perinde ac imperatori assurrexit. hactenus Plinius lib. 7. Eiusdem Virgilij diem natalem (qui fuit Octobris idibus) quotannis celebrabat, & quibusdam velut cæremoniis venerabatur. Sylius.

Constantinus imperator Ablabium Aegyptium philosophum prætorij sui præfectum, & vnà cum Constantio filio imperij rectorem constituit. Eunapius apud Volat.

Frontoni philosopho M. Antonius princeps statuam erigi fecit, auctore Capitolino, quem Augustus quoque consulari ornauit dignitate.

Anaxenori cytharœdo è Tyana ciuitate M. Antonius tributa quattuor ciuitatum legenda præbuit. Strabo libro 14.

Augustus Alexandrinus (in quos bellum gerebat) tribus de causis fassus est se pepercisse; ob Alexandri memoriam, vrbis pulchritudinem, & amorem Arii philosophi. Plutarch. in vita Antonij.

Iam diximus erectam Claudiano statuam Arcadij, & Honorij imperatorum patrocinio.

Dionem Prusiæum sophistam, & philosophum Traianus curru suo plerunque dignatus est, Romam etiam ingressus cum triumpho. Suidas apud Volat.

Artaxerxes rex Persarum Hiscani præfecto Hellesponti, litteras scripsit, vt Hippocratem medicum quibuscunque fieri posset præmiis in familiam suam inuitaret. epistola ad hunc ferè modum se habebat. Rex regum magnus Artaxerxes Hiscani S. Hippocratis medici, Æsculapio prognati, ad me fama peruenit. da igitur operam, vt aurum illi tribuas quantum cupit, aliaq; item, quorum indiget, & ad me mittere. erit enim par honore summis in Perside viris. et siquis alius fuerit in Europa vir clarus, hunc amicum nostræ domui redde, nec parce pecuniis. Eidem Hippocrati ab Illyriis redeunti eosdem honores (quos Herculi) decreuit Græcia ob prædictam pestilentiam. Suidas.

Iunio Rustico philosopho M. Antonius imperator publica omnia, priuataque consilia solebat credere: quem postea consulatu, & mortuũ statua decorauit. Iulius Capitolinus.

Ciceronem ab vrbe pulsum Pomponius Atticus sestertiis ducentis, & quadraginta millibus iuuit, & prosecutus est. Cor. Nepos in vita Attici.

Oppianus poeta, quum Antonio imperatori Seueri principis filio poema de piscibus nuncupasset, ab eo totidem aureis donatus est nummis, quos illic erant versus. Volat.

Daniel propheta Cyro rege (quem Theologiæ misteria perdocuit) familiarissimè vtebatur. auctor Theodoritus Cyrenensis.

Cleombrotum medicum Ptolemæus rex centum donauit talentis, seruato Antiocho rege patre suo. Habeo codicem Plinianum in alterutro libro mendosum; nam lib. 7. & cap. 37. hoc de Cleombroto scribit: libro verò 19. & cap. 1. de Erasistrato. vide Budæum lib. 2. de Asse.

Olim tantus erat artis oratoriæ quæstus, vt Gorgias Leontinus auream statuam & solidam sibi posuerit Delphis. Plinius cap. 4. lib. 33.

Athenienses (vt iam diximus) Demetrio Phalareo CCC LX. statuas erexerunt.

Zeusis tantas opes arte pictura sibi comparauit, vt in ostentatione earum Olimpiæ aureis litteris palliorum testeris intextum nomen suum ostentaret. Plin. lib. 35. cap. 10.

Pamphilus pictor neminem docuit minoris talento annis decem: quam mercedem Apelles, & Melanthius ei dedere. Plin. lib. 35. cap. 10.

Apelles Alexandro Magno adeò carus extitit, vt rex Cãpaspen amasiam suam liberali forma puellam eidem dederit. Plin. ibidem.

Attalus rex vnicam tabulam Aristarchi pictoris centum talentis emisse dicitur.

Argonautas, Cycliæ pictoris tabulã, talentis CXL. mercatus est Hortensius orator. Plin. lib. 35. cap. 11.

Zenonem philosophum Athenienses tanto honore prosecuti sunt, vt apud eum claues vrbis deponerẽt, ipsumq; ornarent aurea corona, & imagine ærea. Laertius.

Plinius Iunior referebat potuisse se (quum procuraret in Hispania) vendere suos commentarios Largio Licinio quadringentis millibus nummum. Quis nunc regum (inquit noster Budæus) emere bibliothecam confertissimam decem aureorum millibus velit, quanti à Plinio ciuis vnus priuatus regesta quædam ex temporanea licitari ausus est.

Plin. lib. 3. Epist.

Philippus Macedo Amyntæ filius, quamuis omni fermè tempore negotiis belli esset implicitus, nunquam tamen à liberali musa, studiisq; humanitatis recessit. propterea scribens ad Aristotelem gloriabatur natum sibi Alexandrum tãti philosophi tempore, à quo doctrinam imbiberet cum virtute. epistola autem extat apud Gellium lib. 9.

Lenæus ludi magister in vrbe Roma à Pompeio ob ingenium manumissus est. Plin. de illust. grammat.

Ouidius, quum septem annis apud Getas in exsilio duraset, diis iubentibus in fata concessit kal. Ian. cui mortuo gens illa, quamuis barbara, & inelegans, & à mansuetioribus musis prorsus aliena, solennes tamen exequias celebrauit, & sepulcrum erexit magnificum. Pontanus de Magnificentia.

Quid? non ne mirum est, histriones maiore quondam in pretio habitos, quàm nunc habeantur vel egregiè litterati: quum Roscio actori Theatrico annulum aureum cum sensu equestri donauerit Sylla? quem etiam ferunt mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus accepisse. Tullius quoque elegantissima oratione populum R. obiurgauit, quòd Roscio gestum agente tumultum mouisset. Macrob. lib 3. cap. 7.

Decius Laberius quum in spectaculis mimos suos egisset palàm, donatus est quingentis sestertiis, cum annulo aureo, qui erat insigne census equestris. auctore Tranquillo.

Alcibiades ambitione quadam munera in Socratem conferebat, dignam viri doctrinam multò amplioribus existimans. Cælius lib. 11. cap. 73.

Euripides tragœdiographus Archelao Macedonum regi sola virtutis admiratione fuit familiaris, adeò, vt frequentibus conuiuiis ab eo exceptus fuerit, & aureo donatus poculo. in eius quoque gratiam Syracusani plerosque Athenienses (qui apud se seruitutem seruiebant) libertate donatos, domum incolumes remisere. Cælius lib. 13. cap. 7.

Iulius Calidius poeta, quum à P. Volusio in proscriptorum numerum relatus esset, ab Attico propter ingenium, & elegantem eruditionem, absolutus est. Cor. Nepos in

vita Attici.

Cor. Gallus elegiographus fauore Augusti ad præfecturæ gradum conscendit, tribunusq; cohortium effectus est. Crinitus.

Vespasiano tantum concessit Saleio Basso poetæ Lyrico, vt propter ingenium singularemq; eruditionem auri quinquaginta sestertia eidem sit elargitus. Tacitus in Dial. de Orat.

Statium Domicianus magnifico atque apparatissimo donauit conuiuio, coronaq; insigni, & aliis muneribus honestauit. Crinitus de Latinis poetis.

Eiusdem imperatoris beneficio Sylius ad tertium consulatum prouectus est. vnde Martialis Augusto pia tura vicimasq; Pro nostro date Sylio Camœnæ: Bissenos iubeat ne dire fasces, Noto consule nobiliq; virga &c.

Sertinius vir clarissimus tantum concessit Martialis ingenio & doctrinæ, vt ei adhuc viuenti imaginem more veterum in sua bibliotheca posuerit. Crinitus.

Ausonius Cæsaris Gratiani (cuius filium Gratianum iuniorem erudierat) beneficio & honestissimis suffragiis dignitatem adeptus est consularem. Idem.

Aurelius Prudentium beneficio Theodosij imp. ad præfecturam militiæ perductus est. Crinitus.

Lampsaco vrbi Hellesponti propter Themistoclem pepercit rex Persarum. Marcell. lib. 22.

Phalaris Agrigentinus tyrannus alias sæuissimus templū Sthesichoro ædificandum curauit, suasitque diuinos illi honores in vrbe patria habendos, quem tamen olim capitalem inimicum habuerat. Pontan. de Obed.

Democedes medicus à Dario (quem sanitati restituerat) duobus aurearum compedum paribus & ab vxoribus ipsius Darij aureis phialis donatus est. auctor Herodot. 1 Thalia.

Matthias rex Pannoniæ Ioan. Monteregium hominem Germanum, & Ephemeridum scriptorum multis auxit honoribus & diuitiis. Volater.

Quum Hermolaus Barbarus Venetorum legationes obiret in Italia, & ad vrbem Florentiam accederet, Laurentius Medices tanto viro cum multis amicis obuiam processit, quamuis podagricus, eumq; in Caiana villa honorificē tissimè excepit, quam cum instructissima bibliotheca eidem obtulit. Crinitus cap. 9. lib. 15.

Robertus Siciliæ rex Fr. Petrarcham omnesq; eruditos viros in prerio habuit. Volat. in Philol.

Ptolemæus Philadelphus senex LXX. Bibliacæ historiæ scientissimos ab Iudæa vsque, in Aegyptum vocauit, quos regia vrbe acceptos, hospitaliter & benignè aluit, magnisq; muneribus donatos dimisit. Sab. in exe.

Ioanni Campegio Bononiensi in Patauinum gymnasium (quò ad publicam litterarum professionem fuerat inuitatus) proficiscenti, ab vrbis magistratibus gymnasiarchisq; magna hominum frequentia obuiam itum est. Idem Sab.

Vicentina ciuitas Sabellicum argentea patera magni ponderis donauit.

Cæsar Dictator duas Timomachi tabulas LXXX. talentis emit in templo Veneris genitricis dicaturus. Plin. lib. 35. cap. 11.

Candaules rex Bularchi picturā Magnetum haud mediocres spatij rependit auro. Plin. cap. 8. lib. 35.

Quinctilianus ex Hispania veniens stipendium à fisco accepit ab Eusebio sub Domiciano. Budæus lib. 2. de Asse.

Thadæus Florentinus medicus, tanta fuit nominis celebritate, vt ad curam ægrotorum extra vrbem vocatus, non vilius, quàm quinquaginta aureorum mercede singulos dies peregrinaretur; vocatusque ab Honorio quarto centum si bi statui voluit, à quo curato decem millia reportauit. Volaterranus.

Propter Ialisij imaginem, à Prothogene pictam, Demetrius Rhodon non succendit, ne simul tabula conflagaret. Plin. lib. 35.

M. Popilius Andronicus opusculum quoddam annalium XVI. millibus nummum vendidit. Tranquillus de Gram. illust.

Arrianum historicum (qui historiam Magni Alexandri octo libris scripsit) Hadrianus & Antonius ppter litteras ad honorem consularem euexerunt. Heliconius apud Volat.

Asinius Pollio Varronis imaginem collocauit in biblio-

theca.

Cyrus Pannopolyta poeta, beneficio Theodosij iunioris & Eudoxiæ eius vxoris, præsul factus est. Suidas apud Volat.

Democritus Diagoram Milesium philosophum serum mille drachmis emit, vt eundem erudiret. apud eundem.

LITTERARVM, ET LITTERATORVM qui fuerunt amantissimi.

ANaxagoras omne patrimonium suis concessit, rēip. omnem publicam & priuatam neglexit, vt liberius vacaret philosophiæ. Laertius, & Valerius de studio.

Nauigauit in Aegyptum Democritus in Persidem vsque ad rubrum mare, vt & Chaldeos consuleret, & melius philosopharetur. idem quoque oculos sibi eruit, quòd rerum naturalium, & diuinarum contemplationi impedimento esse viderentur. existimabat enim cogitationes, commentationesq; animi sui contemplandis naturæ rationibus vegetiores, & exactiores fore, si eas videndi ille cebris, & oculorum impedimentis liberasset. vt autem commodius amplecteretur studia, diuitias omnes reliquit, quæ tamen tantæ fuerant, vt pater eius Xerxis exercitui epulum dare potuerit. auctores Gellius cap. 17. lib. 10. Cic. lib. 5. de Finibus. Val. de studio.

Cyprianus diem nullum sine Tertulliani lectione permittebat effluere, cuius libros quum peteret, dicere solebat, Da magistrum. auctore D. Hieronymo.

Scipio Africanus Pædiam Cyri de manibus non ponebat. Beroaldus auctor.

Gordiano imperatori bonæ litteræ adeò placuerunt, vt pluris fecerit librorum, quàm auri vel argenti, sibi thesaurum comparare. Habuit enim in bibliotheca LXII. millia librorum. Iul. Cap.

Monymus Corinthij cuiusdam trapezitæ filius, quum philosophiæ amore raperetur, cuperetq; magnopere dare operam Diogeni, neque tamen hoc ipsum à domino posset impetrare, simulata insania monetam cœpit spargere, eoq; modo dimissus, ad philosophiam se conuertit, Diogenemque

secutus est. Laertius.

Pythagoras ad perdiscendam philosophiam, solum vertit exsilio susceptio verius, quàm peregrinatione. profectus ad Persas magorum prudentiæ se formandum tradidit, à quibus siderum motus cursusq; stellarum didicit. Cretam deinde & Lacedæmona nauigauit, quarum moribus & legibus inspectis ad Olympicum certamen descendit. quod & de Empedocle scribit Plin. lib. 30.

Alexander, quum esset legendi & discendi percupidus, Iliadem Homeri (quam rei militaris viaticum solebat appellare) Aristotele exponente perdidicit: eam semper vnà cum pugione sub puluino iacentem tenere solitus. Onesicritus apud Plutarchum in Alexandro.

Euclides Megarensis, quum disciplinæ Socraticæ percupiens esset, neque tamen Athenas (vbi profitebatur Socrates) auderet ire, quòd capitale foret, si quis Megarensium Athenis, aut Atheniensium Megaris propter mutuum vtriusque vrbis odium, deprehenderetur, sub noctem tunica longa muliebri indutus ad ipsum philosophum commeabat, vt vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumq; eius fieret particeps. rursus sub lucem eadem indutus veste redibat. Gellius lib. 6. cap. 10.

Ferunt Platonem, quum tenui admodum esset pecunia, tres tamen Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatum, quod pretium à Dione quodam Syracusano acceperat. Idem octogenario maior moriens sub capite Sophronis numeros habuisse fertur. sic nec extrema qui dem eius hora agitatione studij vacua fuit, inquit Val. Max. de studio. Gel. lib. 4. cap. 17.

Aristotelem quoque traditum est pauculos Speusippi libros post mortem eius emisse talentis tribus Atticis. Gellius lib. 4. cap. 17.

Fuit Hippocrates discendæ medicinæ adeò studiosus, vt eum non puduerit vel retrimenta gustare, vt inde morbi natura persentisceret. quod tamen aliqui Aesculapio adscribunt. auctor Cælius cap. 12. lib. 16.

Hadrianus imperator impensè adeò Græcæ doctrinæ inuigilabat, vt à plerisque Græculus vocaretur. Sextus Au-

relius.

Cato Vticensis, ne quid temporis absque aliqua exercitij parte efflueret, in curia Græcè lectitabat, tantisper dum cogeretur senatus. Cic. lib. 3. de Finibus.

Tacitus imperator Cornelij Taciti viri consularis historiam de Romanis imperatoribus, non modò in omnibus bibliothecis iussit collocari, sed etiam edicto cauit, vt decies quotannis ad vsum publicum transcriberetur, atq; in bibliothecis poneretur. Flauius Vopiscus.

Beatus Hieronymus Romæ primùm, mox in Bizantio & Antiochia, demum apud Solymos, discendi studio variis præceptoribus operam dedit. habuit in litteris Hebræis Barbanum & Nicodemum Iudæos, in humanioribus litteris Donatum & Victorinum, in sacris Gregorium Nazianzenum, Apollinarem Antiochenum, & Didymum Alexandrinum. Crinitus cap. 6. lib. 6.

Augustus liberalibus studiis, præsertim eloquentiæ, in tantum incubuit, vt nullus, ne in procinctu quidem laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret.

Nemo studia bonarum artium fouit indulgentius, quàm Carolus Magnus, vt qui Parisiense gymnasium, & Papiense accersitis vndecunque doctissimis viris instituerit. Bap. Egnatius.

Fuit & Carolo Crasso singularis beneuolentia in litteratos homines, quos ad scribendum solebat adhortari. Idem Egnatius.

Sigismundus imp. doctos homines etiam fouit, & magnis honestauit dignitatibus. accusauit etiam plerunque Germanos principes, qui latinas oditlent litteras. reprehendens à quibusdam, quòd viros humiles, sed litteratos foueret: Ego (inquit) eos amo, quos virtutibus & doctrina, (ex quibus nobilitatem metior) ceteris antecellere video. Baptista Egnatius.

Scipio in mediis difficillimi belli apparatibus bonarum artium studia non prætermisit, philosophorum scholas crepidatus frequentans. & ne, post tot insignes victorias animi sibi insolescere prosperis successibus rerum permitteret, cum litteris & litteratis frequés versabatur. Pontanus de fortunæ

Borsius Ferrariensium princeps, ingeniis magnopere fauit, quæ vndecunque accersita domi alebat, & in his T. Strocium poetam Florentinum, Ioannem Aurispiam, Hugonē, medicū, & Petrum Bonum Lyristē egregiū. Volat. in Georg.

Bessarionis presbyteri cardinalis (qui sub Eugenio quarto floruit) domus fuit liberalium artium officina, doctissimosq; viros semper aluit, atque fouit. nec minus ipse in litteris versabatur. Platonem in primis obseruabat, in cuius defensionem commentarios edidit contra Trapezuntium peripateticum. Volat.

Liuius Drusus ætatis viribus & acie oculorum iam defectus, ius ciuile tamen populo interpretatus est, quod cupientibus discere vtilissima composuit monumenta. Val. de studio.

Publius Crassus, quum in Asiam ad Aristonicum regem debellandum consul venisset, tantum Græcæ linguæ studiū impendit, vt eam in quinq; diuisam genera per omnes partes ac numeros didicerit. Valerius, & Blondus lib. 4.

Carneades philosophus, quum cibi capiendi causa recubuisset, philosophicis cogitationibus interdum vsque adeò inhærebat, vt manum ad mensam porrigere obliuiscceretur. Idem cum Chrysippo disputaturus helleboro se antè purgabat ad exprimendum ingenium suum attentius, & illius refellendum acrius. Val. Max.

Captis Syracusis Marcellus Archimedis philosophi presidibus parci iussit, cuius tamen machinationibus victoriam suam multum ac diu inhibitam senserat. Plinius lib. 7. c. 37.

Confectus senio Socrates fidibus tractandis operam dedit, vt tantis doctrinæ suæ diuitiis musicæ rationis adderet elementum. Cicero de Senectute.

Chrysippus LXXX. Isocrates quartum & LXXX. nati annos opera scripserunt: hic Panathenicon, ille Logicon acutissimæ subtilitatis volumen. Valerius.

Cleanthes quæstu extrahendæ aquæ nocturno tempore inopiam suam sustentabat, diurno Chrysippi præceptis percipiendis operam dabat. Idem quum centesimum attigisset annum, auditores tamen erudiebat.

Sophocles centum propè natus annos Oedipodem tragœ

diam conscripsit. Cicero in Catone Maiore, Sophocles, inquit, ad summam senectutem tragœdias fecit.

Simonides poeta octogesimo anno & carmina docuit, & in eorum certamen descendit. Val.

Carolus septimus, sexti filius, Gallorum rex, solenni episcoporum concilio Pragmaticam instituit sanctionem, vt qui magna olei impensa euasissent litterati, ad sacerdotia proueherentur. prius enim curæ animarum (quas vocant beneficia) mulionibus, aut etiam lenonibus præsulum dabantur: ita vt vtilius multò videretur, in aulica vita eius rei gratia parasitari, & scurram agere, quàm studium litteris impertiri. asini enim portabant mysteria: doctos oportebat sua fama contentos viuere, nec aliud sperare quidquá.

Antonius cognomento Pius, rhetoribus ac philosophis non salaria modò, verumetiam honores ac prouincias decreuit. Pontanus de liberalitate.

Alexander Seuerus non modò litteratorum genus omne, verùm haruspices, & architectos (in quo quisque eluceret) prosecutus est. Idem auctor.

Iulius Massanienſis Alphonſi regis censui rationibus præpositus, ita Iouianum Pontanum poetam elegantissimum iuuit, vt Pontanus ipse omnia sua eidem referat accepta. ibidem.

Ptolemæus rex Alexandrinus doctissimos quosque ad se vocatos, salariis donisq; prosecutus est. Pont.

Abundauit viris doctis Nicolai quinti Pontificis Maximi, & Alphonsi regis aula: quorum hic Antonium Panhormitam ob scriptum de dictis ac factis suis librum mille aureis donauit, Poggium Florentinum quingentis, ob conuersum è Græco in Latinum Xenophontis librum, qui Cyri pædia inscribitur. Idem.

Dionysius Syracusanus Heliconem Cyzicenum talento donauit, quod Solis deliquium prædixisset.

Lysander ob pauculos versiculos Antilochi poetæ pileū argento impleuit. Pontanus.

Ferdinandus rex grandem pecuniæ summam quotannis ex ærario pendendam statuit rhetoribus, medicis, philosophis, & theologis, qui publicè Neapoli docerent. Egregium sanè factum (inquit Pontanus) ingenia prosequi, virtutes ornare, & ad excolendos animos excitare iuuentutē.

Terentius Varro annos sæculi supergressus interiit scribendo. Blondus lib. 4.

Cato Censorius anno LXXXVI. ætatis causam pro se egit aduersus temerariā iuuentutem: litteras Græcas didicit, & ius ciuile: defendit Galbam oratorem accusatum. Flauius lib. 4. Val. de studio.

Iulius Cæsar (vt est apud Suetonium) omnes medicinæ & liberalium artium professores ciuitate donauit, vt libentius vrbem incolerent.

Vespasianus imperator ingenia & artes maximè fouit; primusq; è fisco Latinis Græcisque rhetoribus annua centena constituit; præstantes poetas muneribus ornauit; & bibliothecas incendio absumptas reparauit. Suetonius & Blondus lib. 4.

INDOCTI, ET QVI LITTERAS oderunt.

LIcinius imperator fuit litteris adeò infestus, vt virus ac pestem publicam eas apellaret. sed cur, inquit Bap. Egnatius, eas non odisset, quarum adeò expers erat, vt ne decretis quidem subscribere posset.

Valentinianus quoque imperator, Gratiani filius, magno litterarum odio conflagrauit.

Cælius scribit, Heraclidem Lycium hebeti fuisse ingenio, & ad litteras, politioremque cultum ineptissimo.

Philonides fuit Melitensis quispiam grægrandi corpore, ceterum insulsus & indoctus. vnde adagium fluxit Erasmo positum: Indoctior Philonide.

Britanion (cui victo Constantius imperator pepercit) adeò expers litterarum est habitus, vt ne prima quidem elementa calleret. Baptista Egnatius.

Herodes Atticus, quum ingenio & eloquentia nulli secundus haberetur, filium habuit adeò hebetem, vt ne prima perciperet elementa. Philostratus in eius vita.

BIBLIOTHECÆ MEMORABILES.

TYrannion grãmaticus (qui floruit etate Magni Póp.) supra tria librorum millia possedit. Plut. in Sylla.

Gordianus imperator coaceruauit in bibliotheca LXII. millia voluminum. Capitolinus.

Plutarchus in Antonio scribit Pergamenas bibliothecas habuisse ducenta librorum millia.

Porrò ex antiquis bibliopolis vnicus ferè Triphon cælebratur. Martialis lib. 4. Non habeo, sed habet bibliopola Triphon. Hic ille est, ad quem scribit Fabius in liminari Institutionum oratoriarum epistola.

QVI MVLTA SCRIPSERVNT.

SCripsit Theophrastus trecẽta librorũ volumina, Chrysippus septuaginta, Seruius Sulpicius CLXXX. libros de iure ciuili, Ateius Capito LX. Empedocles tria & quadraginta, Galenus CXXX. Beda XXXVI. Aristarchus grammaticus Aristophanis grammatici discipulus scripsit commentarios supra mille.

LABORIOSI, ET VARIARVM artium periti.

CLeanthes philosophus inopia mercenarium se fecit, ac noctu quidem in hauriẽdis aquis victum sibi comparauit, interdiu liberalibus studiis dedit operam. pinsebat quoque farinas. sæpenumero, vt Peniam illam, necessarium plerisque malum, excuteret.

Pugnabat Plautus in paupertatem dies & noctes: scribebat enim fabulas suas interdiu, noctu verò operam locabat pistori, & in agendis molis (quas trusatiles vocant) qualecunque faciebat quæstum. Varro apud Gellium cap. 3. l. 3.

Turanius, fuit quispiam exactæ diligentiæ senex, cui quũ Cæsar post x c. annum procurationis vacationem vltro indulsisset, id ægrè ferens, componi se in lecto, & velut exanimem à circunstante familia plangi iussit. nec ante tristitiæ finem fecit, quàm pristino labori sit restitutus. Cælius lib. 6. Marcel. 16.

Iulius Cæsar, consumptis in re bellica diebus, noctes tamen ad tripartita diuidebat officia: quietis scilicet, publicæ rei, & musarum. Marcellinus lib. 16.

Legimus Alexandrum Magnum (quum dormitaret) brachio extra cubile protento pilam tenuisse argente am suppo sita pelui, vt quum neruorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum. Ammianus Marcel. lib. 16.

Iulianus imperator dimidiata nocte semper exurgebat, non è plumis perdicum subalaribus, vt Heliogabalus, aut stragulis fericis ambiguo nitore fulgentibus, sed ex asperis stratis, in quibus vix decumberẽt abiectissimi vernæ. Marcellinus ibidem.

Porcius Latro incœpta semel studia non poterat interrũpere, vbi se ad scribendum concitasset: iungebantur noctibus dies, & sine interuallo sibi instabat, nec desinebat, nisi deficiebat. quum se siluis & montibus tradiderat, omnes illos agrestes in siluis & montibus natos laboris patientia ac venandi solertia prouocabat. Cælius cap. 35. lib. 5.

Sophocles, Plato, Isocrates, Hieronymus, & alij complures ad extremam senectutem scribentes, labores subierunt, finemque dicendi cum vita fecerunt. Volater.

Helius Hippias sophista præter litterarum studia (in quibus ætate sua nulli fuit secundus) Olympicis ludis zonam, vestem, calceos, ampullam, anulum, gemmam (in qua signum insculpserat) sibi fecit, habuitq; artem multarum rerum, quæ mortales plurimos ornare potuisset. Quinctil. lib. 12. Instit. orat.

Hadrianus imper. fuit arithmeticæ peritissimus, & geometriæ. pinxit egregiè, musicem tenuit, astronomiæ scientia omnes ætatis suæ facilè superauit.

Fuit Aurelius Alexander optimus haruspex, excellens augur, Musicus insignis, & vtranq; orationem eruditissimè scripsit. quibus rebus tantam impendit operam, vt consueuerit in conuiuiis vel legentes audire, vel aliis vescentibus legere.

Nihil vnquam legit Plinius, quin excerperet; nec in bibliotheca tantùm, sed in mensa, sed in lectica, sed equitãs quoq; vel scribebat, vel scribendum aliquit dictabat.

Diodorus Siculus ne in descriptione orbis (vt alij plerique) erraret, bonam Asiæ & Europæ partem magno suo incommodo peragrauit.

Virtuti maximæ tribuendum est Nicaulæ Aegypti, & Aethiopum reginæ, quòd audita Salomonis sapientia, ab extremo Arabiæ in Iudæam iuerit, vt eum audiret.

Apollonius Tyanæus vt Brachmanum scientiam hauriret posset, Persas, Caucasum, Albanos, Scythas, & Massagetas prætergressus, in Indiam penetrauit. quibus auditis per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Parthos, Assyrios, Phœnicas, Arabes, & Palæstinos, in Aegyptum rediit. vt quaquà transiret, ibidem à doctis (siqui essent) proficeret, & aliquid decerperet. transiuit & in Aethiopiam ad Gymnosophistas.

Antisthenes audito Socrate, statim conuersus ad discipulos, monuit, vt alium quærerent præceptorem, sibi se inuenisse dictans. quo facto, relictis omnibus fortunis, Socratem secutus est.

Alphonsus Arragonius Siciliæ rex, iã quinquagenarius, præceptori tamen se submisit, ne loquendi vsu careret.

OTIOSI.

ATtalus Eumenis frater otio adeò solutus est, vt Sardinæ traditus, imperij onus in Philopomenem è fratribus vnum reiecerit. Cælius cap. 23. lib. 6.

Vacia Seruilius, vir prætorius, nullà alia re, quàm otio notus consenuit. propterea à transeuntibus dici solebat, Vacia hic situs est. Seneca in epistolis, & Cælius.

Herondas, quum Athenis quidam otij damnatus foret, iussit eum sibi ostendi, qui in causa liberali conuictus foret. Plutarch. in Apophtheg. Laconicis.

CORONAE DIVERSAE.

VAriæ fuerunt olim coronæ, quibus pensabatur hominum virtus, vt & ignauis torpor excuteretur, & in generosis virtus crescret. Plin. lib. 22. numerat gemmatas, aureas, vallares, murales, rostrales, ciuicas, triumphales, quibus nobiliorẽ fuisse gramineã dicis.

Coronæ Triumphales erant aureæ, mittebanturq; imperatoribus ob honorem triumphi. hæ vulgò dicitur aurum

coronarium, inquit Gellius. Aureis postmodum successerunt Laureæ: erãtq; eiusdem & virtutis & honoris præmia. Obsidionalem coronam dabant obsidione liberati ei, qui liberauerat. ea fiebat gramine, vnde & Graminea dicta est. hanc S. P. Q. R. Fabio Maximo dedit, secundo bello Punico, quòd vrbem Romam obsidione liberasset.

Ciuica dabatur ei, qui ciuem à morte liberasset: fiebat fronde querna, aut ilignea. Cælius: Aduehuntur, inquit, cum ilignea corona, & chlamyde. L. Gel. vir Censorius cẽsuit Ciceronem consulem hac ornandum corona, quòd eius opera atrocissima illa Catilinæ coniuratio deleta, vindicataq; fuisset. Muralis dabatur ab imperatore ei, qui primus murum subiisset, & in oppidũ hostium per vim ascendisset. Castrensem donabat imperator ei, qui primus hostium castra pugnans introiuisset, habebat autem insigne valli. Naualem merebatur, qui in maritimo prœlio primus hostium nauem vi armatus transiliisset. ea rostris nauium erat insigna. Muralis autem, Castrensis, & Naualis fiebant ex auro. Oualis corona erat Myrtea: ea vtebantur imperatores, qui ouantes vrbem introibant. Ouatio, minor erat triumphi. Ouationis causa est non triumphi, quum aut bella non recte indicta sunt, nec cum iusto hoste gesta: aut quum hostium nomen humile est, vt seruorum, aut pyratarum: aut quum deditione facta, incruenta parta est victoria. hæc fiebat ex Myrto. Dabatur Oleagina ob conuersum hostem. De coronis vide Gellium lib. 5. cap. 5. Blondum Foroliuiẽsem de Roma Triumphante lib. 6. Volaterranum lib. 26. Philologiæ. Plinium lib. 16.

TRIVMPHATORES, SEV QVI de diuersis regibus & populis triumphauerunt.

LAtilius Calatinus triumphauit de Sardis. Cn. Domicius de Aruernis & Bathuloeorũ duce. Liuius Salinator de Illyriis. M. Atilius Regulus de Salentinis. Paullus Aemilius iunior de Liguribus, & Perseo. Menenius Agrippa Lanatus de Sabinis. M. Antonius triũuir de Armeniæ rege. M. Aquillius consul de Aristonico rege. Iunius Babulcus Brutus dictator Equos subegit,

ac die octaua de eisdem triumphauit. Furius Camillus Veios decennali obsidione domuit, ac de iisdem triumphauit. Sp. Cassio duo triumphi contigerunt. M. Curius de Samnitibus & Sabinis. P. Decius iunior de Samnitibus. Cn. Duillius, qui pœnos primus classe deuicit, primus de nauali victoria triumphauit. Fabius Rullianus de Apulis, Nucerinis, Samnitibus, Vmbris, Marsis, ac Thuscis triumphauit. Fabius Gurges de Samnitibus. Q. Fab. Max. de Liguribus. Gn. Fuluius Flaccus de Samnitibus. M. Fuluius nobilior ouauit de Ætholis, triumphauit de Ambraciensibus. L. Lucretius Tricipitinus de Volscis. Marius de Teutonibus, & Iugurtha. Propertius lib. 4. Dijmelius, quantus mulier foret vna triumphus Ductus erat per quas ante Iugurtha vias. Q. Ce. Metellus de Iugurtha, & Numidis. L. Munius de Achæis. M. Horatius consul de Sabinis sine auctoritate senatus. L. Papirius Cursor de Samnitibus. L. Papirius Crassus, eius filius, de Priuernatibus. Cn. Pompeius, Magni Pompeij pater, de Picentibus. Pompeius Magnas de Iarba, Mithridate, Aristobulo rege Iudæorũ. Aul. Postumus Tubero de Volscis. L. Aemilius Paullus de Liguribus. Q. Capitolinus, quinquies consul, de Volscis. Scipio Africanus de Hannibale, & Syphace. Sulpicius de reliquiis Brenni. L. Valerius Valesij filius, de Veientibus & Sabinis. Valerius Coruinus (qui sexies fuit consul) de Samnitibus. L. Valerius Potitus de Volscis, & Equis sine auctoritate senatus. M. Atilius Glabrio de Antiocho, & Aetholis. Aurelianus imper. de Zenobia Palmyrenorum regina. Septimius Seuerus imperator de Arabibus, & Adiabenis. Dagobertus rex Francorum de Saxonibus. Papirius Naso de Corsis. Iulius Cæsar confectis bellis quinquies triumphauit: primum triumphum egit Gallicum; secundum Alexandrinum; deinde Ponticum; huic proximum Africanum; nouissimum Hispanicnsem. Triumphauit Bacchus de Indis, Tatius de Sabinis, Gordianus de Persis. Augustus Curules triumphos tres egit: Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo. Antonius Commodus triumphauit de Germanis, Domicianus de Dacis, & Cattis. Papirius Cursor de Corsis, in monte Albano.

Porrò autem lege fuit cautum, ne quis triumpharet, qui minus quàm quinq; millia vna acie superasset. Nulli item licuit triumphare, qui nec dictator, neq; prætor, nec consul res gessisset. item nemini prius decernebatur triumphus, quàm regionem (de qua triumphaturus erat) successori pacatam reliquisset. Triumphantes auratis curribus vehebantur, quos albi trahebant equi. Pompeij tamen curum in triumpho Africo traxerunt Elephantes: quem imitatus Cæsar, vectus est Elephantis quadraginta, dextra læuaq; lychnos gestantibus, auctore Tranquillo. Et Gordiano quadrigæ Elephãtorum decretæ sunt triumpho Persico. Habuit & Aurelianus currum quattuor ceruis iunctum. Moris quoq; fuit, vt in triumphantum curru sederent eorundem filij, vnde & Aemilius Paullus speciosissimo triumpho filium duxit, quem triduo post amisit. Triumphantem sequebantur laureati milites. Moris item fuit, imperatores belli ciuilis victoria quantumuis magna, non triumphare, quia ciues, non hostes occidissent. Item, vt milites & abiecti missi quiq; diuersis conuiciis triumphantes incesserẽt, ne prospera illa fortuna plus equo superbirent, & insolesce rent. Sic triumphante Cæsare milites dixerunt: Gallias subegit Cæsar, Nicomedes Cæsarem. Item: Romani seruate vxores, mœchum caluum vobis adducimus. Ventidium quoque Bassum in Parthico triumpho secuti milites decantarunt: Qui multos fricabat, factus est consul. Porrò lege cautum erat, ne dux ante triumphi initium vrbem ingrederetur, Paulus Orosius, & cum eo Blondus scribunt, Romanos triumphos numero fuisse ccc xx.

Omnium vltimus triumphauit Probus imperator.

Hæc de triumphis, de quibus qui plura scire cupiet, videat Blondum Foroliuiensem lib. 10. de Roma triũphante.

PRAECEPTORES, ET PÆDAGOGI.

CHrysippus, Erasistrati: Asclepiades, Temisonis: Protagoras, Euathli: Agonas, Zoroastris: Callimachus, Eratosthenis: Eratosthenes, Aristophanis: Volcacius, Cæselij: Anaxagoras, & Damon, Periclis: Molo, Ciceronis. Possidonium quoque Ciceronis magistrum fuisse,

Cicero ĩ lib. de Fato. Eum audiendi gratia Rhodum adiit, vt in eius vita Plutarchus. Socion, Senecæ: Seneca, Neronis: Cebes, Phedonis: Philetas Cous, Ptolemæi: Pamphilus Amphipolyta, Apellis: Empedocles, Gorgiæ: Plutarchus, Traiani: Donatus, & Victorinus, Hieronymi: Pa lemon, & Flauius Virginius, Persij: Architas, Empedoclis: Saccas Ammonius, Plotini: Serbidius Scæuola, Papiniani: Arnobius, Lactantij: Linus, Herculis: Lysias, Epaminondæ: Polycletus, Argij, Asopodori, Alexis, & Aristidis pictorum: Agelades, Myronis: Sostratus, Lysippi: Phydias, Alcamanis, & Colotis: Myron, Lycij: Lysippus, Phœnicis: Euxinidas, Aristidis: Eupompus, Pamphili: Theophrastus, Demetrij Phalerei: Chiron, & Phœnix, Achillis: Linus, Orphei, Thamiræ, & Herculis: Pherecides, Pythagorę: Marianus Matthæus, Frãciscus Puteolanus, Beroaldi: Lysimachus, & Leonides, Alexandri: Connidas, Thesei: Sarpedon, Catonis: Zopyrus, Alcibiadis: Achillas, Ptolemæi: Sadragesilus, Dacoberti. Sicinus, liberorũ Themistoclis: Hopleus, Tydei: Acetes, Pallantis: Hyagnes tibicen, Marsiæ: Pontanus, Marulli: Silenus, Bacchi: Rainerius Foroliuiensis, Bartoli: Bartolus, Baldi: Baldus docebat Ticini: Paulus Castrensis, & Antonius Rosellus Paduæ: Benedictus Capra, Perusij: Barbatia Siculus, Bononiæ. Fuit & Victorinus Fertinus Gonzagarum pædagogus: Antonius Panhormita, Alphonsi Arragonis Siciliæ regis præceptor: Andronicus Thessalonicensis, Politiani: Chalcidias, Iouiniani grammatici: Andalus Genuẽsis, Boccacij. Ammonius, Origenis: Anacreon, Smerdis filij Polycratis Samiorum regis: Thales Milesius, Anaximãdri Anaximenis: Anaximenes, Anaxagoræ: Philoxenus, Antigenidis musici: Socrates, Antisthenis: Antisthenes, Diogenis: Euphranor, Appionis grammatici: Asclepiades, Apollodori grammatici: Apollodorus, Pergameus, Cæsaris Augusti: Menecrates, Arati poetæ: Anaxagoras, Archelai Milesij: Plato, Aristotelis: Socrates, Aristippi: Aristophanes grammaticus, Aristarchi: Crates, Bionis: Hermocrates, Callimachi: Aristoteles, Callisthenis: Anaxagoras, Carneadis: Socrates, Cherephontis: Herodotus, Chœrili: Diogenes, Cratis Thebani: Paulus,

Dionysij Ariopagitæ: Prodicus, & Socrates, Euripidis. Docuit Aristoteles annis xxx. Quinctilianus xx. Pomponius Lætus Romæ, x. Campanus, Perusiæ: Christophorus Lãdinus, Florentię bonas artes professi sunt. Possem infinitos huiusmodi congerere, quos prætermitto, quòd hoc ipsum modici videatur momenti: tamen etiam, quòd non putem posse fieri, vt quis ex maiori congerie fructum sibi faciat, cui hæc nihil profuerint.

PATRIA, ET LOCVS NATALIS multorum illustrium virorum.

RVdiæ vrbs Apuliæ, Ennij: Sassina Vmbriæ, Plauti: Campania, Neuij: Brundusium Calabriæ, Pacuuij: Mediolanum, Statij Cæcilij: Pisaurus, Accij: Carthago, Terentii: Arunca, Lucili: Roma, Lucretij: Bononia, L. Pomponij: Roma, Decij Laberij, & Q. Catulli epigrammatistæ: Syria, Publii Siri: Roma Porcii Licinii: Verona, Valerii Catuli: Roma, Q. Cornificii: Cremona, Furii Bibaculi: Atax, vicus prouinciæ Narbonensis Pub. Terentii Varronis: Roma, Iulii Calidii: Mantua, Virgilii: Venusium Apuliæ, Ouidii: Parma, Cassii Seueri: Roma, Cæsaris Germanici: Verona, Aemilii Macri: Corduba Hispaniæ, Lucani, Sextilii, & Senecæ: Roma, Asinii, Galli: Volaterræ Etrurię, Persii: Neapolis, Statii Papinii: Hispania, Sylii Italici: Setia Campaniæ, Valeri Flacci: Aquinum, Iuuenalis: Bilbilis Hispaniæ, Valerii Martialis: Italica Hispaniæ, Voconii Victoris: Carthago, Alphi Auiti: Africa, Septimii, & Aurelii Olympii Nemesiani, & Mauri Terentiani: Sicilia, Calpurnii: Alexandria, Claudiani: Burdegala, Ausonii Galli: Hispania, Damasi, Iuuenci, & Prudentii: Africa, Licentii Hipponensis. Gallia, Sidonii Apollinaris: Roma, Pomponii Secundi, Pedonis Albinouani, Auncii, Stellæ, Sentii Auguris, Vestritii Spurinæ, & Paulli Pallieni: Salamin, Solonis: Lacedæmon, Chilonis: Mitylenę, Pittaci: Priene, Biantis: Lyndus, Cleoboli: Corinthius, Periandri: Scythia, Anacharsis: Gnosos vrbs Cretæ, Epimenidis: Syria, Pherecidis: Miletus, Anaximenis: Clazomenę, Anaxagoræ: Athenæ, Socratis, Xenophontis,

Æschinis, Critonis, & Glauconis: Cyrene, Aristippi: Elis, Phædonis: Megara, Euclidis, & Stilponis: Thebæ, Cebetis, & Cratis: Athenæ, Platonis, Polemonis, Antisthenis, & Speusippi: Chalcedon, Xenocratis: Soli, Crantoris: Cyrene, Lacydis, & Carneadis: Ctartaho, Clitomachi: Stagira, Aristotelis: Lampascus, Stratonis: Troas, Lyconis: Pontus, Heraclidis: Synope, Diogenis: Syracusæ, Monymi: Ægina, Onesicriti. Phœnicia, Menippi: Cyprus, Zenonis: Samos, Pythagoræ, & Melissi: Agrigentum, Empedoclis: Tarentum, Architæ: Croton, Alcmæonis: Metapontus, Hippaci: Gnydos, Eudoxi: Ephesus, Heraclitι: Colophon, Xenophanis: Abdera, Democriti, Protagoræ, Anaxarchi: Elis, Pyrrhonis: Nicæa, Timonis: Athenæ, Epicuri: Calagurium Hispaniæ, Quinctiliani: Crastus vrbs Siciliæ, Epicarmi: Pella Macedoniæ Alexandri: Meliboea, Philoctetæ: Panope, Epei auctoris machinæ Troianæ: Ascra, Hesiodi: Cheronea, Plutarchi: Megara, Theognis: Mitylene, Alcei: Lesbos, Sapphus puellæ: Rhodos, Panetii, Stratoclis, Andronici: Pylos, Nestoris: Croton, Alcmanis: Miletus, vel Phœnicia, Thaletis: Imera, Stesichori, Itheca, Vlyssis: Thebæ, Amphionis, & Pindari: Cos, Apelis: Thracia, Orphei: Alexandria, Appiani, Aristarchi, & Arri: Arpinum Ciceronis: Tyana Græciæ, Apollonii: Medaura, Apuleii: Caros, Archilochi: Athenæ, Aristidis: Rhodos, Aristophanis: Nicomedia, Arriani historici: Methymna, Arionis: Seleucia Siciliæ, Athenei philosophi: Chaldæa, Berosi: Agrigentum, Charetni: Africa, Cypriani: Carthago, Clitomachi: Athenæ, Cratini, Eupolidis, & Demadis, & Demosthenis: Syracusæ, Dionis: Thebæ, Epaminondæ: Hierapolis Phrigiæ, Epicteti: Cyrene, Eratosthenis: Athenę, Hermippi: Arelate, Fauorini: Chalcis Syriæ, Iamblici philosophi: Antiochia, Ioannis Chrisostomi: Iudæa, Iosephi: Elis, Hippiæ: Cos, Hippocratis: Athenæ, Isocratis: Syracusę, Lyciæ: Athenæ, Menandri, & Periclis. Thebæ, Musei: Smyrna, Homeri: Anazarbū Cilicię, Oppiani: Roma, Q. Hortēsij: Cæsarea Cappadociæ, Prohæresij: Ægiptus, Ptolemæi astrologi: Syracusæ, Philemonis: Cos, Philetæ: Roma, Sallustii, & Suetonii: Patauium,

T. Liuij: Athenæ, Sophoclis, & Thucydidis: Thracia, Thamyræ: Eressus vrbs Lesbi, Theophrasti: Lesbos, Terpandri: Carthago, Tertulliani: Vmbria, Propertij, & Pontani.

FORMOSI ET FORMOSÆ EX historicis, oratoribus & poetis.

AMaryllis puella. Virg. Formosam resonare doces Amarillida siluas.

Alexis, Idem Ecl. 2. Formosum pastor Corydō ardebat Alexim.

Aegle nympha. Idē Ecl. 6. Aegle Naiadū pulcherrima.

Adonis Myrrhæ fuit filius, Veneri ob speciosam formam dilectus. Virg. Ecl. 10. Et formosus oues ad flumina pauit Adonis. Ouid. lib. 10. & Proper. lib. 2.

Auentinus. Virg. Victoresq; ostentat equos satus Hercule pulchro Pulcher Auentinus.

Astur. Virg. Sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens & versicoloribus armis.

Atys puer Phrygius, à Cybele (vt fabulantur poetæ) ob formam adamatus est. Ouidius lib. 5. Met. Erat Indus Atys, quem flumine Gange, &c.

Atalanta puella fuit in Arcadia venatrix, & Iasij filia liberali admodum forma. Ouidius lib. 8. Met. Venit Atalante Schœnei pulcherrima virgo, &c.

Ariadne filia Minois, forma fuit elegante, quam propterea Bacchus duxit in vxorem, eiusq; coronam stellis ornatam in astra retulit. Catul. de ea & Theseo loquens, sic inquit: Hunc simulac cupido conspexit lumine virgo, Regia quam suaues exspirans costus odores.

Achillas puer. Martialis lib. 3. Huic comes hærebat domini fugitiuus Achillas, Insignis forma nequitiaq; puer.

Antiopa filia Nyctæi, & vxor Lyci regis Thebarum, speciosissimam propter formam à Ioue adamata est, ex quo Zethum & Amphionem susceptt. Propertius: Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu Spartanam referas laudibus Hermionem.

Argia, Adrasti Argiuorum regis filia, & vxor Polinicis, fuit itidem mirum in modum speciosa. Statius lib. 2. Theb.

Egregiam Argiam, nec formę laude secundam Deiphylem.

Antinoo Bithinyco, mira pulchritudine adolescenti, tanta, tamq; elegans fuit forma, vt Hadrianus imperator (à quo adamabatur) templum ei apud Mantineam constituerit, & ciuitatem apud Nilum, eiusq; imaginem fecerit insculpi nummis. propterea Hieronymus Hadriani concubinum eũ vocat. Volat.

Fuit Achantus puer speciosus, quem poetæ fingunt in florem sui nominis conuersum fuisse.

Aeginam, Asopi regis Bœotiæ filiam, ob excellentẽ pulchritudinem adamauit Iupiter, iacuitq; cum ea in specie ignis. Ouidius: Aureus vt Danaen, Asopida luserit ignis.

Forma in primis visenda & amabili fuisse ferũt inter Græcos Alcibiadem, sicut inter Romanos Scipionem, Demetrium cognomento. Plutachus in eius vita: Hoc, inquit, Alcibiadi concessit natura, sibiq; cum paucis communę, vt non modò in pueritia aut adolescentia, sed etiam in omni ætatis gradu maximum semper decorem, ac formosam hominis speciem prætulerit.

Amaracum poetæ fingunt in herbam odoriferam mutatum, idq; propter elegantem formam.

Asterius, filius fuit Cereris, forma singulari, omnium tamen amores, respuens. vnde Ouidius in Ibin: Filius vt Cereris frustra tibi semper ametur, Destituatq; tuas vsque petitus opes.

Sex. Aurelius scribit Augustum fuisse mitem, gratum, ciuilis animi, toto corpore pulchrum, sed oculis magis, quorum facies carissimorum siderum modo promicabat.

Alfus filius fuit Gygari Danorum regis, quem tam excellenti forma, ac cæsarie extitisse scribit Saxo Grammaticus, vt argenteis nitere crinibus putaretur.

Amphimedon. Calentius: Formosum Phiale prius arserat Amphimedõtẽ: Amphimedõ Phiales maxima cura fuit.

Herodotus scribit Agaristam, Clisthenis filiam, adeò formosam extitisse, vt ad habendas eius nuptias, celebrata sint procorum spectacula, & certamina, quò speciosissimi quique Græciæ adolescentes confluxerunt.

Barynes meretricis formam commendat Horatius lib. 2. Car. dicens: Vlla si iuris tibi peierati Pœna Baryne nocuisset vnquam, Dente si nigro fieres, vel vno Turpior vngui, Crederem, &c.

Bryseis fuit adeò formosa, vt Achilles eius amore conflagrauerit, eamq; quamuis ancillam, plusquam puellas omnes adamauerit. Horatius: Prius insolentem Serua Bryseis niueo colore Mouit Achillem. Propertius li. 2. Omnia formosam propter Bryseida passus.

Credibile est Bersabæam, Vriæ vxorem, eleganti fuisse forma, quæ sapientissimum illum regem, & prophetam sanctissimum Dauidem vsque adeò titillauerit, vt solitæ religionis oblitus, adulterio & homicidio (Vriam enim deuouit morti) suam contaminauerit sanctitatem. Stroza pater: Ille sacri vates operis Ieseia proles, Præfecit populo quem deus ipse suo, Bersabęæ captus forma, &c.

Bellerophon à Sthenobæa, Prœti Argiuorum regis vxore, propter formam adamatus, & ad Venerem (qui tamen assentiri noluit) postulatus est.

Fuit & Batyllus, Anacreontis poetæ amasius, liberali forma. vnde Pontanus de Stell. Niræa sic perhibent, & amatum à vate Batyllum, Pictum oculis, fusumq; coma, roseumq; labellis.

De Castore & Polluce Ouid. lib. 8. Met. At gemini non dum cæleſtia sidera fratres Ambo conspicui, niue candidioribus ambo Vectabantur equis.

Di Chione Dedalionis filia idem Ouid. lib. 11. Met. Nata erat hinc Chione, que dotatissima forma Mille procis placuit bis septem nubilis annis.

Cænis puella Thessala, à Neptuno compressa. Idé Ouid. lib. 12. Met. Clara decore fuit proles Elateia Cœnis Thessalidum virgo pulcherrima.

Cyllarus. Idem lib. 12. Nec te pugnantem tua Cyllare forma redemit.

Califto. Idem. li. 21. Fast. Fœdera seruasset, si non formosa fuisset.

Celeno. Idem lib. 4. Fast. Neptuno Halcyonem & te formosa Celeno

Calypso Oceani & Thetyos filia. Ouidius de Ponto: An

Universidad de Deusto
Biblioteca

graue sex annis pulchrã fouisse Calypson Aequoreæq; fuit concubuisse deæ? Idem lib. 2. de Art. Littore constiterant, illic quoque pulchra Calypso.

Cydippe ab Acontio ob formam adamata est. Ouid. in epist. Aut esses formosa minus, peterere modestè, Audaces facie cogimur esse tua, &c.

Cestum puerum commendat à forma Mart. Quanta tua est probitas, quanta est præstantia formæ Ceste puer, puro castior Hyppolito. Te secum Diana velit doceatque natare, &c.

Catulla. Idem lib. 8. Formosissima quæ fuere vel sunt, O quàm te fieri Catulla vellem Formosam minus, aut magis pudicam.

Propertius formam suæ Cynthiæ sic comendat: Et quæscunque tulit formosi temporis ætas, Cynthia non illas nomen habere sinat. Idem: Illic formosæ veniant chorus heroinæ, Quas dedit Argiuis Dardana præda uiris: Quarum nulla tua fuerit mihi Cynthia forma Gratior, &c.

Herodotus ait Candaulis Sardium Tyranni uxorem feminarum omnium fuisse pulcherrimam.

De Daphnide Virg. in Buc. Formosi pecoris custos, Formosior ipse.

Deiopeia nympha. Virg. 1. Æn. Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ, Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam Connubio iungam, &c.

Dido. Idem lib. 2. Æn. Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit.

Deianira Herculis uxor. Ouid. lib. 9. Nomine si qua fuo tandem peruenit ad aures Deianira tuas, quondam pulcherrima uirgo, Multorumq; fuit spes iuuidiosa procorum.

Deiphylę uxor Thydei, Adrasti filia. Stat. lib. 2. Theb. Egregiam Argiam nec formæ laude secundam Deiphylem.

Diadumenus Augusti fuit prægustator, puer adeò speciosus, ut in formæ certamine (quod fiebat Elidi) meruerit palmam. Volat.

Democles puer Athenien sis, fuit adeò speciosus, ut ea pulchritudine sua pulcher Democles ab omnibus uocaretur. cui (quod paucis admodum formosis contingit) tanta quoque

quoque extitit pudicitiæ cura, ut ad declinandam uim Demetrij (à quo petebatur ad stuprum) se in plenum feruentis aquæ lebetem (quum aliter effugere non posset) coniecerit. Plut. in Demetrio.

Cælius scribit Demetrium, cognomento Poliorcetem, forma fuisse in primis amabili. uide Plut. in eius uita.

Euryalus, Nisi amicus. Virg. lib. 5. Æn. Euryalus forma insignis, uiridiq; iuuenta. Idem lib. 9.

Endymion Lunæ amasius, fuit admodum speciosus. Val. Flaccus lib. 8. Tum quoque siderea clarus procul ora iuuenta Lathmius æstiua residet venator in umbra, Dignus amore deæ.

Fuit in Ephestione augusta adeò facies, ut uicti Darij uxor eum pro Alexandro salutauerit. ob quam formam ipsi quoque Alexandro fuit carissimus.

Eurydice Orphei uxor, Quinctil. lib. 2. Orpheos. Hæc fata Mercurio Eurydice, formosa puellas Tam uisa est superare pares, cælestibus aulis Quã iucunda Venus dominas supereminet omnes.

De Fabulla Mart. lib. 2. Bella es nouimus & puella, uerum est, Et diues: quis enim potest negare?

Scribit Ælius Sabinus tantam pulchritudinem oris fuisse in filio Maximini, ut etiam caput eius iam morte nigrũ, iam maceratum defluenti tabo, pulcherrimum tamen uideretur.

Galathea nympha. Ouid. lib. 13. Candidior folio niuei Galatheæ ligustri, Floridior prato, longa procerior alno, Splendidior uitro, tenero lasciuior hœdo, Leuior assiduo detritis æquore conchis, Solibus hibernis, æstiua gratior umbra, Nobilior pomis, platano conspectior alta, Lucidior glacie, matura dulcior uua, Mollior & cycni plumis, & lacte coacto, Et (si nõ fugias) riguo formosior horto, &c.

Non aliam ob causam poetæ fabulantur Ganymedem Ioui miscere pocula, quàm ob elegantem speciem. Ouid. lib. 4. Fast. Horat. lib. 3. Car.

Glycera, Horatius lib. 1. Car. Vrit me Glyceræ nitor Splendentis Pario marmore purius: Vrit grata proteruitas, Et vultus nimium lubricus aspici.

Galetes fuit adoleſcens forma ſpecioſus, decensq; in primis, regi Ptolemæo propterea vſque adeò carus, vt Ptolemæus ipſe quibuſdam (qui ad ſupplicium trahebantur) eundem patrocinio pepercerit, auctor Cælius lib. 7. cap. 35.

Gygis pueri formam deſcribit Horatius lib. 2. Car. dicens: Vt pura nocturno renidet Luna mari Gnydiusq; Gyges: Quem ſi puellarum inſereres choro, Mire ſagaces falleret hoſpites, Diſcrimen obſcurum ſolutis Crinibus, ambiguoq; vultu.

Veteres fabuloſo confinxerunt inuolucro Gorgoné propter eximium venuſtatis decus, mentis inopes & ſtupidos reddentem ſpectatores in ſaxa deformaſſe. Cælius lib. 13. cap. 9.

Hippolytus Theſei filius, fuit etiam pulcherrimus. Virg. ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello Virbius.

Hylam Thyodamantis filium ob formam adamauit Hercules, & Nymphæ rapuerunt. Mart. Pulcher Hylas teneram merſit in ora manum. Propertius: Cuius vt accenſæ Dryades candore puellæ, Miratæ ſolitos deſtituere choros, &c.

Hyas Atlantis ex Aethra filius. Ouid. lib. 5. Faſt. Nondum ſtabat Atlas humeros oneratus Olimpo, Quum fatus eſt forma conſpiciendus Hyas.

Celebratur etiam Hermiones Menelai filiæ pulchritudo. vnde Propert. lib. 1. Tu licet Antiopæ formam Nicteidos, & tu Spartanam referas laudibus Hermionem. Pont. lib. 1. amorum.

Fuit tam elegans & concinna Hippodamiæ pulchritudo, vt ad impetrandas eius nuptias celebrata ſint certamina procorum. in quibus quum victor euaſiſſet Pelops, puellam duxit vxorem. Propertius: Nec Phrygium falſo traxit candore maritum Aduecta externis Hippodamia rotis: Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis, Qualis Apellæis eſt color in tabulis. Idem lib. 2. vocat Iſchomachem.

Hiera fuit vxor Telephi, mulier omnium (quas Protheſilaus vidit) maxima & pulcherrima.

Propoſita de muliebri pulchritudine certamina pleriſque in locis legimus: ſicuti in Cereris Eleuſinæ feſto prope Alpheum, vbi victrix Herodice meruit palmam. Cælius cap. 9. lib. 13.

Herodotus ſcribit Hippoclidem Tyſandri filium diuitiis & forma inter Athenienſes præcipuum fuiſſe.

Hypſiphile. Statius lib. 4. Theb. Errantes ſubito pulchram in mærore tuentur Hypſiphilem. Fuit Thoantis filia, à quo Thoantias appellatur.

Iulus, filius Aeneæ ex Creuſa. Virg. lib. 7. Aen. - primiq; duces & pulcher Iulus.

Iuuencius Catulli amaſius. Idem Cat. Mellitos oculos tuos, Iuuenci, Si quis me ſinat vſque baſiare, Vſque ad mil lia baſiem trecenta, Nec vnquã ſaturum inde cor futurũ eſt.

Iaſon. Medea apud Ouidium Iaſoni loquens: Et formoſus eras, & me mea fata trahebant, Abſtulerant oculi lumina noſtra tui.

Ioſeph. Mantuanus in Maria: Sic alacer Sanſon, & formoſus Ioſeph.

De Lauſo, Mezentij filio, Virg. lib. 7. Aen. Filius hunc iuxta Lauſus, quo pulchrior alter Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Lauiniæ forma fuit origo belli inter Aeneam & Turnum, quorum vterque eam ſibi vxorem dari volebat. Virg. lib. 12. flauos eius crines & roſeas appellat genas.

Catullus de ſua Lesbia hc inquit: Lesbia formoſa eſt, quæ quum pulcherrima tota eſt, Tum omnibus vna omnes ſurripuit Veneres.

Laodomia, Catullus: Quo tibi cum caſu pulcherrima Laodomia. Et Pont. lib. 2. de Amore coniugali.

Lais Corinthia meretrix fuit ſpecioſiſſima. Ouid. lib. 1. Eleg. Qualiter in thalamos formoſa Semiramis iſſe Dicitur, & multis Lais amata viris.

Lycoris Cor. Galli amaſia. Mart. lib. 6. Femina præferri potuit tibi nulla Lycori. Prop. lib. 1. Et modo formoſa quàm multa Lycoride Gallus Mortuus inferna vulnera lauit aqua.

Muſæus poeta formam Læandri pueri ex Abydo (qui Ero puellam adamauit, & ab ea redamatus eſt) multis laudibus commendat.

Lucretiæ formam tanti fecerunt Romani, vt eam ſuis

monumentis vbiq; celebrauerint, & vindicauerint à mortalitate, nec solùm ob eximiam pulchritudinem, verùm etiam ob castitatem, quòd vim Tarquinij gladio sit vlta.

Lycaste Priami filia tantæ fuit pulchritudinis, vt Polydamas Antenoris ex Theano. Hecubæ sorore filius, illam ex concubina vxorem sibi copulauerit. fuit & alia Lycaste, quæ ob pulchritudinem Venus vocabatur.

Lamia, auctore Plutarcho, puella fuit speciosissima, à Demetrio adamata, quæ & tibiis optimè cecinisse dicitur. hæc primo canendi modulandiq; suauitate gratiam sibi apud omnes comparauit.

Ligurinus, Horatij fuit amasius, forma itidem excellente, vt ipsius poetæ testimonio constat. idem quoque Lycum celebrat dicens: Et Lycum, nigris oculis nigroq; decorum Crine.

Leda. Stroza filius: Formosæ meruit quo Iuppiter oculo Ledæ.

Maia Atlantis filia. Oui. li. 5. Fast. Quarũ Maia suas forma superasse sorores Traditur, & summo concubuisse Ioui.

Tibullus Marathi amasij sui formã uersibus commendat.

Magnes Smyrneus fuit adolescens, omnium sui sæculi pulcherrimus, cunctisq; propterea gratissimus, sed maximè Gygi Lydorum regi. quod ferentes ægrè parentes, capillos ei totonderunt. vt aliquid de pulchritudine minueretur. indignatus verò Gyges, bellum mouit in Magnetas. Pausanias apud Volat.

Narcissus filius fuit Cephisi, & Lyriopes, à multis nymphis ob pulchritudinem amatus: cuius desiderio quũ nymphæ ipsæ intabescerent, mutatus est in florem sui nominis. Vir. in Batarũ: Non illinc Narcissus abest, cui gloria forme Igne Cupidineo proprios exarsit in artus. Oui. lib. 3. Met.

Nisus Megarensium rex ob pulchritudinem capillos aureos fertur habuisse. Tibul. lib. 1. Carmine purpurea est Nisi coma.

Nireus filius Caropi & Alagiæ, puer fuit è Naxo admodum speciosus, cuius formam Homerus suis carminibus dignatus est. Horatius lib. 3. Car. Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa Rapus ab Ida. Idem in Epodo: Formaq; vincas Nirea. Ouid. lib. 4. de Ponto. Prop. lib. 3. & Pont. lib. 3. de Stellis.

Nearchi formam commendat Horatius lib. 3. Car. Ode 30. vbi ait, Fertur & leui recreare vento Sparsum odoratis humeris capillum. Qualis, aut Nireus fuit aut aquosa Raptus ab Ida.

Omphale regina Lydorum fuit facie adeò præstanti, vt ei se submiserit Hercules. Prop. lib. 3. Omphale in tantum formæ processit honorem, &c.

De Pyramo & Thysbe Ouidius lib. 4. Met. Pyramus & Thysbe iuuenum pulcherrimus alter, Altera, quas Oriens habuit, præfata puellis Contiguas habuere domos.

Fuit & formosus Paris, dicente Ouidio: Dux Pari Priamide damno formose tuorum.

Hominum pulcherrimum fuisse prædicant Phaona, quem inter lactucas occultarit Venus. dicuntq; oblatum eidem ab ipsa Venere alabastrum vnguenti, quo quum se obliuisset, factus est omnium formosissimus, propterea; adamatus à Mitylenæorum mulieribus, sed maximè à Sappho poetria Scamandronymi filia. Cælius lib. 5. cap. 43. Eius formam Ouidius sic describit: Hunc ne pro Cephalo raperes aurora timebam, &c.

Phædrus Eliensis, Socrati Platoniq; familiaris, à domino lænone (dictu infandum) ob excellentem formam coactus est se prostituere, suoq; corpore quæstũ facere. Volat.

Plutarchus in Lucullo scribit, Præciam quandam fuisse in vrbe Roma feminam, venustate formæ nulli secundam, quæ sua pulchritudine Cethegum sibi deuinxerit, adeò vt nihil probaretur Cethego, quod Præcia non iussisset.

Parthenopæum, Meleagri & Atalantę filiũ, seu (vt aliis placet) Martis & Menalippes, forma fuisse liberali scribit Statius: Pulchrior haud illi triste ad discrimen ituro Frons fuit in siluis, qualis iam casside missa Parthenopæus erat.

Panthea vxor fuit Abradatæ viri nobilis apud Persas, quã Cyrus expugnatis Assyriorum castris duxerat captiuam. Abradata autem absente, & apud Bactrianos legatum agente, Araspe Medo seruanda tradita est, qui apud Cyrum affirmauit nondum esse ortam, aut omnino inuentam tota

Asia pulchriorem. auctor Xenophon apud Cælium lib. 7. cap. 53.

Psamniticus rex Aegypti Rhodopem meretricem ob pulchritudinem matrimonio sibi iunxit.

Magnus Alexander, totius propè Orientis victor & imperator, Rhoxanam Satrapis barbari filiam matrimonio sibi iunxit ob solam eius pulchritudinem. vide Curtium lib. 5.

Q. Catullus poeta epigrammaticus formam Roscij pueri amasij sui his versibus celebrat: Constiteram exorientem Auroram fortè salutans, Quum subito à læua Roscius exoritur. Pace mihi liceat cælestes dicere vestra, Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Serranus. Virgil. lib. 9. Et iuuenem Serranum illa qui plurima nocte Luserat insignis facie.

Sulpiciæ formam commendat Tibullus lib. 4.

Illius ex oculis quum vult exurere diuos,

Accendit geminas lampadas acer amor, &c.

Fuit etiam in Semiramide eximia pulchritudo, & facies imperio digna. vnde & mortuo marito Persis imperauit vsque ad prouectam filij ætatem. Ouid. lib. 1. Eleg. Qualiter in thalamos formosa Semiramis isse Dicitur.

Spurina fuit egregius adolescens, qui quum feminas virosq; ad libidinem solo decoro aspectu prouocaret, pulchritudinem oris sponte uulneribus deformauit. Val. Max. de Verecun.

Sisigambis uxor Darij nulli suæ ætatis feminæ pulchritudine cessit, teste Curtio: quam tamen victo Dario Alexander non solùm non violauit, sed & summam adhibuit curã, nequis captiuo corpori illuderet.

Scribit Cælius, Scipionem, cognomento Demetrium, apud Romanos forma fuisse amabili & eleganti.

Saxo grammaticus lib. 8. Danicæ histor. scribit Suauildam reginam tantæ fuisse pulchritudinis, ut quum uinctis loris exposita esset equinis calcibus obterenda, ipsis quoque iumentis horrori fuerit, artus eximio decore præditos sordidis lacerare uestigiis.

Turnum à forma plerisque in locis commendat Virg. ut lib. 7. Petit ante alios pulcherrimus omnes Turnus auis, atauisque potens. Item: Ipse inter primos præstanti corpore Turnus Vertitur arma tenens, & toto uertice supra est.

Ferunt Albium Tibullum poetam elegiographum corporis forma admodum præstanti fuisse. unde Horat. de eo loquens: Non tu corpus eras sine pectore, Dij tibi formam, Dij tibi diuitias dederant.

Thetidem deam maris poetæ niueam & formosam faciũt, quòd perpetuis aquis abluatur. Catullus: Te ne Thetis tenuit pulcherrima Neptunine.

Paulus Diaconus scribit Theodotem puellam, genere Romanam, forma fuisse conspicua & mirabili, flauis promissisque capillis ad pedes vsque pendentibus, eaque pulchritudine inescatum Cunibertum regem, amore puellæ exarsisse.

Tyro puella Salmonei filia ob formam Neptuno adamata est. de hac Proper. lib. 11.

Violantillam, Stellæ poetæ uxorem, multis uerbis commendat Stat. lib. 1. Sil. Idem paullò pòst: at tu pulcherrima forma Italidum, tandem merito possessa marito.

Habuit Xerxes in exercitu LXIIX. myriades, quæ ratio habet bis & quinquagies centum octoginta tria millia hominum. Herodotus tamen scribit in tanto mortalium numero neminem fuisse pulchriorem rege ipso, aut procerore statura.

Sunt alij permulti pueri, & puellæ, in quibus elegans fuisse pulchritudo memoratur, ut Pyramus, Pelops, Idas, Castor, Pollux, Iason, Artaxerxes, Cyrus, Troilus, Patroclus, Hymen. Ex feminis Pasiphae, Ariadne, Berenice, Hermione, Brysеis, Penelope, Deidamia, Ersilia uxor Romuli, Ero, Virginia, Anaxerete, Antigone, Arachne, Arethusa, Arsinoe, Polyxena, Pelagia, Lycaste, Iocasta, Hecuba, Cassandra, Hesperie, Cleopatra, Clœlia, Ilia. Sibyllæ, Vestales, Heroinæ, & aliæ propè infinitæ. quas qui scire uolet, auctores reuoluat.

Helenæ forma poetis omnibus cantatissima laudem meruisset maximam, nisi ea Troiæ ruinam, bellique decennalis cædem attulisset. at nemo est, cui non sit odio, quum rancæ cladis & calamitatis uenit in mentem. Paris apud

Ouid. formam illius Veneri comparat, dicens: His similes uultus (quantum reminiscor) habebat, Venit in arbitrium quum Citherææ meum, &c.

DEFORMES.

BRotheus, Vulcani & Mineruæ filius, deformi facie dicitur fuisse. ob quam dum plerisque esset ridiculus, animi dolore se in rogum coniecit, teste Ouid. in Ibin: Quo dq; ferunt Brotheum feciſſe cupidine mortis, Des tua succensæ membra cremanda pyræ.

Hipponactis poetæ Iambographi deformitatem suis tabulis expressserunt Bubalus & Anterinus pictores: eamque imaginem, quò notabili esset uultus fœditate, proposuere in ridentium circulis magno suo malo. indignatus enim Hipponax vtrunque suis satyris tanto retaliauit fœnore, ut ambo laqueo se prefocauerint. Plin. cap. 5. lib. 36.

Aiunt & Corytheum quempiam fuisse hominem notissimæ deformitatis, quiq; liberos susceperit patrem infelicissima forma referentes: unde fluxit adagium, Corytheo deformior. Eras.

Homerus scribit Thersiten omnium, qui ad Troiam uenerunt, fœdissimum fuisse, totumq; hominem à capite ad pedes ita graphicè depingit, & corporis uitia, & animi morbos, ut dicas pessimum ingenium in domicilio se digno habitasse, inquit Erasmus. unde adagium, Therſitæ facies. Ouid. lib. 4. de Ponto.

Damon fuit pædotriba quispiam insigni clauditate deformis, qui quum crepidas retortis suis pedibus congruentes furto amisisset, imprecatus est, ut eius pedibus conuenirent, qui surripuisset. auctor Cœlius.

Ferunt Æsopum, e Phrygia fabulatorem, omnium quoque turpissimum extitisse. fuit enim nigerrimus, unde illi datum nomen: nam Æsopus, & Æthiops idem ferè significant. corpore præterea gibbosus, verùm ingenio (quo deformitatem illam pensauit natura) clarissimus. Cœlius lib. 8. cap. 474.

Gilbæ imperatori corpus fuit gibbo deforme. Macrob.

Epictetus uerò philosophus fuit claudus. unde & hoc distichon à Macrobio positum: Seruus Epictetus genitus sum corpore claudus, Paupertate Irus, diis & amicus ego.

Hermippus poeta fuit Athenienſis, altero captus oculo. Volaterranus.

Colomanus rex Pannoniorum post Ladislaum, dicitur fuisse ore improbo, luscus, claudus, gibbosus, & lingua blæsus. Volater.

Virgilius scribit Polyphemum cyclopem Siculum fuisse monoculum, ubi ait: -& telo lumen terebramus acuto, Ingens quod torua solum sub fronte latebat. Idem: Monstrũ horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Poetæ quoque fabulantur Vulcanum claudum fuisse, ac toto deformem corpore: dicuntque propterea parentes infanti non risisse, suoque cubili admisisse. Virg. Incipe parue puer, cui non risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est. Ouid. lib. 2. Eleg.

Martialis Philenem puellam luscam fuisse, & altero lippã oculo uidetur innuere, lib. 1. vbi ait: Oculo Philenis semper altero plorat, Quo fiat istud quæritis modo? Lusca est. Idem lib. 2. Cur non basio te Phileni? calua es: Cur non basio te Phileni? rufa es: Cur non basio te Phileni? lusca es.

Idem auctor lib. 3. ait, Vetustinam tres habere dentes, tres capillos, pectus cicadæ, crus formicæ, rugosam frontem, mammas aranearum casibus pares, os rictibus crocodili simile, cantum ranarum, & culicum, noctuæ uisum, hirci fœtorem, & pleraſque alias deformitatis inhonestas notas.

Olim creditum est eos septem diebus formosos fore, qui leporem esitassent. propterea idem Martialis Gelliæ deformitati illudens, ait eam nunquam esitasse leporem, his uerbis.

Quum leporem mittis, semper mihi Gellia mandas,
Septem formosus Marce diebus eris.
Si uerum dicis, si uerum Gellia mandas,
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

Idem Martialis lib. 12. Zoili sui deformitatem sic depingit: Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,

Rem magnam præstas Zoile si bonus es.

Aiunt Socratem philosophum fuisse simis naribus, recalua fronte, pilosis humeris, & repandis cruribus. propterea quum duæ vxores Xantippe & Myrrho zelotypia quadam in contentiones uenirent, illis inter se iurgantibus dicebat: Quid propter me iurgia simul exercetis, quem adeò deformem peperit natura.

Afferuntur & alia de forma philosophorum. Zeusippus dicitur fuisse ceruice curua, Aratus panda, Zeno fronte contracta, Epicurus cute distenta, Diogenes barba comante, Socrates cadente, Aristoteles brachio exerto, Xenocrates crure collecto, Heraclitus oculis fletu clausis, Democritus labris risu apertis, Chrysippus digitis propter numerorum indicia constrictis, Euclides propter mensurarum spatia laxatis, Cleanthes propter utrunque corrosis. auctor Sidonius lib. 9.

DEORVM AMASII.

Ganymedem in primis fabulantur poetæ Iouis esse amasium, quem ob formam Aquila pedibus in Ida corripuerit, & in cœlum euexerit. Virgilius: -qué præpes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger uncis. Ouid. lib. 10. Rex superum quondam Phrygij Ganymedis amore Arsit.

Endymionem formosum pastorem Luna fertur adamasse, adeò ut cælo relicto in montem Lathmium eius osculandi gratia plerunque descenderit. Pontanus de Stellis. Ouid. lib. de Arte. Proper. lib. 2. Nudus & Endymion Phœbi cepisse sororem Dicitur, & nudæ concubuisse deæ.

Hylam Thiodamantis filium adamauit Hercules, secumq; duxit cum Argonautis. vbi quum aquas hauriens puer vrnæ pondere fuisset demersus, multis clamoribus ab ipso Hercule conuocatus est. hinc natum adagium, Hylam vocare. Val. Flac. lib. 3. Arg. Rursus Hylam & rursus Hylam per longa reclamat Auia, responsant siluæ, & vaga cœrtæ imago. Proper. lib. 2.

Adamauit etiam Hercules Abderum puerulum, non minori, quàm Hylam affectu.

Hyacinthus Apollinis fuit amasius. Ouid. lib. 10. Te quoque Amyclide posuisset in æthere Phœbus, Tristia ponendi tempus si fata dedissent. Plin. 2. Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctū præferens eius, quē Apollo dilexerat.

Adamauit etiam Apollo Branchum puerum Thessalum, quem mortuum suis templis sacrum haberi voluit: itē Daphnem puellam, Penei fluminis filiam, quam fugientem in Laurum conuertit. Mantuanus: Quod ſtuduit verbis Daphnem facundus Apollo Flectere.

Ampelos, puer speciosus, Baccho adamatus est. Ouid. lib. 3. Fast. Ampelon intonsum Satyro nymphaq; creatum Fertur in Ismariis Bacchus amasse iugis.

Adonis, Cynaræ ex Myrrha filius, Veneri fuit carissimus Ouidius lib. 1. de Arte: Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis. Propert. lib. 2. & Pon. lib. 1. de stellis.

Cephalus & Tithonus carissimi fuerunt Auroræ. de Cephalo, Ouid. lib. 3. de Arte: Lathmius Endymion non est tibi luna pudori, Nec Cephalus roseæ præda pudenda Deæ Propert. lib. 2.

Atys puer Phrygius, Cybeles fuit amasius. Catullus: Te nemorum vidit Atyn prope marmor Pelagi, facit impetum: ille demens fugit in marmora fera, ibi semper omne vitæ spatium famula fuit. Ouid. lib. 10. - hirsuto vertice pinus Grata deum matri, siquidem Cybeleius Atys Exuit hac hominem, truncoq; induruit illo.

Amauit Hippolytum Diana, cùm ob formam, tùm raram in forma castitatem.

Pindari poetæ, eiusq; carminum amatorem fuisse Panā fabulantur, auctor Plutarchus in Numa Pompilio.

Syrinx quoque Arcadica fuit nympha, quam à Pane deo amarè adamatam scribit Ouidius.

HOMINVM AMASII.

Habuit in primis Valerius Flaccus poeta, Setinus, in deliciis Amazonicum puerum, cuius formam commendat Mart. Tibullus suum Cherinthum, de quo lib. 4. ait: Est qui te Cherinthe dies dedit hic mihi sanctus, Atque inter sanctos semper habendus erit. De quo lib. 2.

sic ait: Heu heu quàm Marathus lento me torquet amore.

Lygdum adamauit Pamphilus Saxus: vnde lib. 4. ait: Sed peterem Lygdum, Lygdus mea vita, meum cor Lux mea, qui facie vulnera mille gerit. Eius quoque formam multis locis magnopere extollit.

Batyllus fuit Anacreontis poetæ delicium: vnde Horatius in Epodo: Non aliter Samio dicunt arsisse Batyllo Anacreonta Teium. Ab eodem quoque adamatus est Megistheus puer. de vtroque Politianus in Rustico: Nunc Samium celebras (iubet Adrastæa) Batyllum, Nunc teneram Eurypilem, tenerumq; Megistea laudas, Tandem acino pallæ cadit interceptus ab vuæ.

Lycum puerum adamauit Alcæus Poeta Lyricus, de quo Hor. lib. 1. Carminum: Liberum & musas, Veneremq;, & illi semper hærentē puerum canebat: Et Lycum nigris oculis, nigroq; Crine decorum. Politianus in Nutricia.

Amauit Valgius poeta elegiographus Mysten, cuius mortem multis lacrymis defleuit, dicente Horatio: Tu semper urges flebilibus modis Mysten ademptū, nec tibi Vespero Surgente decedunt amores, nec rapidum fugiente Solem.

Asinius Gallus poeta, filius Asinij Pollionis viri consularis, pari quoq; affectu dilexit Hippolytum liberali forma adolescentem.

Voconius Victor poeta, habuit in deliciis Testylum puerum elegante forma. unde Martialis: Testyle Victoris tormentū dulce Voconi, Quo nemo est toto notior orbe puer: Sic etiam positis formosus amere capillis, Et placeat vati nulla puella tuo.

Lygurinus Horatij fuit delicium. unde lib. 4. Car. scribit: Sed cur heu Lygurine, cur Manat rara meas lacryma per genas? Cur facunda parum decoro inter verba cadit lingua silentio? Nocturnis ego somniis iam captum teneo, iam volucrem sequor. Amauit & Lycistum, de quo sic scribit in Epodo: Nunc glorianti s quamlibet mulierculā Vincere mollitia amor Lycisti me tenet.

Amauit Roscium adolescentem Q. Catullus epigrammatista, de cuius forma hunc in modum scripsit: Constiterant exorientem auroram fortè salutans, Quum subito à læua Roscius exoritur: Pace mihi liceat cælestes dicere vestra: Mortalis visus pulchrior esse deo. Amauit & Theotimum. de quo sic scribit: Aufugit mi animus: credo, vt solet, ad Theotimum Deuenit: sic est, perfugium illud habet.

Arsit Euripides tragœdiographus Agatonem puerulum, quem adulteriorem quoq; amplexabatur arctius, suauiabaturq; etiā spectante populo, & in conuiuiis. Plut. in Apoph.

Pari affectu Aratus poeta Cilix Philinum adolescentulum deperiit, pro cuius reditu è Chio insula, deos multa precatus est.

Catullus suos amores in Iuuencium his exprimit verbis: Surripui tibi (dum ludis) mellite Iuuenci, Suauiolum dulcius ambrosia. Verùm id non impunè tuli, nanq; amplius horam Suffixum in summa me memini esse cruce. Quæ carmina plena sunt pruritus, multamq; præ se ferunt lasciuiam.

Antinous puer fuit elegantissimæ formæ, ex Claudiopoli Bithyniæ ciuitate, quem Hadrianus imperator ad infamiam vsque adamauit, vt etiam mortuo ciuitatem constituerit, templumq; erexerit cum ara, & eius effigiem curauerit imprimendam. Dion Cassius. Spartianus ait puerum illum ab imperatore muliebriter defletum.

Pausanias Lacedæmonius, auctore Cælio, Argilium specioſa pulchritudine adolescentem amore Venereo dilexit. Cælius lib. 19. cap. 11. citat hos Platonis versus amatorios de suo Agathone, quem vti meritorium dilexit: Suauia dans Agathoni animam ipse in labra tenebam, Aegra etenim properans tanquam abitura fuit. Amauit quoque Stellam ob ingenij suauitatem, & elegantiam, de qua, auctore Plutarcho, sequentes versus lusit: Ardentes stellas lucens mea Stella tueris, Cælum vtinam fierem, te vt multo lumine cernam. Item: Stella prius superis fulgebas Lucifer, at nūc Hesperus ah fulges manibus occiduus. Hæc nouissima scripsit post eius mortem.

Minos rex Cretensium susceptas cum Athenienſibus inimicitias, ob mortem filij sui Androgei, lubens deposuit amore Thesei (quem deperibat) ineicatus.

Laius à Pelope hospicio susceptus filium eius Chrisippū ita adamauit, vt secū Thebas rapuerit. Praxilla tamen apud

Cælium testis est, hoc à Ioue perpetratum.

Gyges rex Lydorum Magnetem Smyrnæum eximia pulchritudine clarum vsque adeò dilexit, vt bellum in Magnesios mouerit, quòd puero capillos totondissent, quo videretur deformior.

Aristogiton Athenienſis Armodium insigni forma adolescentem etiam deperiit. auctor Thucydides lib. 6.

Amauit Epicurus Philoclem eximium adolescentem, ad quem solitus erat hoc modo scribere: Consumor ac deficio amabilem tuum ac diuinum ingressum sustinens.

Catullus facit Aufilenum Cælij cuiusdã Veronensis amasium, vbi ait: Cælius Aufilenum, & Quinctius Aufilenam Flos Veronensium depereunt iuuenum.

Inter meritorios pueros etiamponuntur Euryalus Virgilianus, Parthenopæus Statianus, Cortallus Siculus Anacreontis, Harmodius Hippiæ, Aster Platonis, Piso Galbæ.

DEORVM, ET HOMINVM AMASIÆ.

IAm diximus Daphnen Penei fluminis filiam adamatam Apollini. Sappho ad Phaonem: Et Phœbus Daphnen, & Gnosida Bacchus amauit.

Tyro Salmonei filia adamata est à Neptuno, & ab eodem compressa. Propert. lib. 1. Non sic Aemonio Salmonida missus Enipeo Tænarius facili pressit amore deus.

Heben deam iuuentutis amauit Hercules. Idem Propert. lib. 1. Nec sic cælestem flagrans Amor Herculis Hebem Sensit in Oetæis gaudia prima iugis. Amauit quoque Iolen, & Omphalem reginam Lydorum. Idem Propert. lib. 3.

Aliæ Deorum & hominum amasiæ fuerunt, Ariadne, Minois filia, Bacchi: Syrinx, nimpha, Panos: Ero, Lxandri: Phyllis filia Lycurgi regis Thracum, Demophoontis: Ariadne, Thesei: Atalanta, Meleagri: Cydippe, Acontij: Iphis Patrocli: Smilax, Croci; auctor Plin. lib. 16. cap. 35. Glycera, Pausiæ Sicitionij pictoris. Plin. lib. 21. cap. 2. & lib. 35. cap. 10. Sappho, Phaonis.

Campsape, Alexandri, quam Alexander ipse muneri dedit Apelli pictori; Plin. lib. 35. cap. 10. Philace, Stratoclis; auctore Plutarcho. Rhoxane, Alexandri; Plutarcho & Curtius. Echo, Narcissi. Ausonius, Commoritur Narcisse tibi resonabilis Echo. Calentinus, Risit Liriopes flagrantem filius Echo.

Thysbe, Pyrami. Stroza pater: Non magis infelix Thisbe dilexit Amantem.

Tyro Salmonei filia, Enipei. Propertius lib. 1. Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo.

Phœbe, Castoris; Ilaira, Pollucis, quæ fuerunt Leucippi filiæ. Propert. lib. 1. Non sic Leucippi succendit Castora Phœbe, Pollucem cultu non Ilaira soror.

Cloris, seu Flora, dea florum, Zephyri, à cuius nomine dicitur Zephyritis.

Galatea nympha Polyphemum, Proper. lib. 3. Quinetiam Polypheme fera Galatea sub Aetna, Ad tua rorantes carmina flexit equos.

Berſabea, Dauidis. Idem Stroza: Ille sacri uates operis Iessæia proles Præfecit populo quem deus ipse suo, Berſabeæ captus forma tibi magne Cupido Cessit.

Helena, Paridis. Proper. lib. 2. Ipse Paris nuda fertur periisse Lacæna, Quum Menelaeo surgeret è thalamo.

Acme, Septimij. Catullus: Acmen Septimius (suos amores) Tenens in gremio, mea inquit Acme, Ni te perdite amo, atque amare porrò Omnes sum assiduè paratus annos Solus in Libya, Indiaq; tosta Cæsio veniam obuius leoni.

Atalanta, Mimalionis Arcadici. Proper. Mimalion nullos fugiendo Tulle labores Sæuitiam duræ contudit Iasidos.

Antigone, Hæmonis Bœotij: quam quum iugulari fecisset Creon, Hæmon ad mortuæ tumulum se interfecit. Proper. lib. 2. Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon Saucius ipse suo corruit ense latus?

Briſeis, Achillis. Horatius: Prius insolentem Serua Briseis niueo colore Mouit Achillem. Propert. lib. 2. Omnia formosam propter Briseida passus, Tantus in erepto sæuit amore dolor. item: Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem, Candida uesana uerberat ora manu.

Rhodope, Charaxi, fratris Sapphus. Sappho ad Phaonẽ: Arsit inops frater victus meretricis amore, Mistaq; cum turpi damna pudore tulit.

Andromeda, Persei. Sappho ad Phaonem: Candida si nó
sum, placuit Cepheia Perseo Andromede, patriæ fusca co
lore suæ.

Hesperie, nympha, Æsaci.

Lesbia Catulli. Catullus: Nulla potest mulier tantum se
dicere amatam Vere, quantum à me Lesbia amata mea est.
Hæc verò nomine vocabatur Claudia. amauit etiam Ip-
sithillam.

Quinctilia, Calui Licinij. Catullus: Certè non tanto
mors immatura dolori est Quinctiliæ, quantum gaudet amo
re tuo. Proper. lib. 2. Hoc etiam docti confessa est pagina
Calui, Quum caneret miseræ funera Quinctiliæ.

Lyde, Callimachi: Batthis, Philetæ. Ouid. lib. 1. de
Tristib. Nec tantum Clario Lyde est dilecta poetæ, Nec ti
tum Coo Batthis amata suo.

Beatrix, Dantis Aligerij: Aureta, Petrarchæ. Lycinia,
Horatij. Horat. lib. 2. Car. Me dulcis dominæ musa Lyce-
niæ Cantus, me voluit dicere lucidum Fulgentes oculos,
& benè mutuis fidum pectus amoribus. Amauit & Glyce-
ram. de qua libro tertio Carm. Me lentus Glyceræ torret
amor meæ.

Stella, Platonis. auctor Plutarchus.

Violantilla, Stellæ poetæ. hæc Græcè Hiantis dicitur.
Martialis libro 6. Perpetuam Stellæ dum iungit Hiantida
vati Læta Venus dixit, plus dare non potui. Aliter voca-
tur Asteris. vide Statium in siluis.

Leucadia, Terentij Varronis Atacini. hinc fluxit illud
distichon: Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro, Va-
ro Leucadiæ maxima flammasuæ.

Delia, Sulpicia, Nemesis, Neæra, Tibulli. de Neme-
notum est illud, Vrit amatorem Nemesis lasciua Tibullum,
In tota iuuit quem nihil esse domo.

Hostia, seu Cynthia, Propertij. Propertius ipse lib. 1.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto, Et quocunque
modo maluit esse mea, Quam sibi dotatæ regnum vetus Hip-
podamiæ, Et quas Elis opes antè pararat equis. Idem lib. 1.
Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis, Contactum
nullis ante cupidinibus. Martialis, Cynthia fecundi carpsit
iuuenile

iuuenile Properti Accepit famam nec minus ipsa dedit.

Melenis Domicij Marsi. Martialis: Nota tamen Marsi
fusca Melenis erit.

Cesennia, Cn. Getulici epigrammatistæ. Bissula Au-
sonij Galli: Metella Ticidæ epigrammatistæ. Cytheris, seu
Lycoris Cornelij Galli. hinc illud manauit: Gallus, & He-
speris & Gallæ notus Eois, Et sua cũ Gallo nota Lycoris erit.

Pamphila, Valerij Aeditui. de qua sic apud Gellium scri
bit: Dicere quum conor curam tibi Pamphila cordis, Quid
mi abs te quæram? membra labris abeunt: Per pectus mi-
serum manat subito mihi sudor, Sic tacitus, subitus, duplo
ideo pereo.

Chrysis, Q. Trabeæ comœdiographi: de qua sic scripsit:
De improuiso Chrysis vbi me aspexerit, Alacris obuiam mi
hi veniet, complexum exoptans meum Mihi se dedet, For-
tunam ipsam anteibo fortunis meis.

Neæra, Lycinij Imbricis, itidem comœdiographi: de qua
asseruntur hi versus: Nolo ego Neæram te vocent, sed Ne
rienem; Quum quidem Marti es in connubium data.

Propertius lib. 2. de plerisque poetarum amasiis scribit.
Item Sidonius Apoll. lib. 2. de aliis meminit: Sisq; oppi-
dò meminens, quòd olim Martia Hortensio, Terentia Tul-
macho, legentibus meditantibusq; cãdelabra tenuere. Re
miniscere quòd sæpe versum Corynna cum suo Nasone cõ-
pleuit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Ar-
gentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum
Tibullo.

His addi possunt Lamia Demetrij, Phryne Timothei,
Flora Pompeij, Aspasia Periclis, Rhodope Psamnitici, &
Antonij Cleopatra.

CINAEDI, PAEDICONES & pathici.

Aemilij cuiusdam cinædi obscenos amores, mollesq;
delicias, postremò infinitas libidines notat Catul.
Idem in Nasonem quendam pathicum his inue-
hitur verbis: Multus homo es Naso, neque tecum multus
homo, sed Descendis Naso, multus es & Pathicus.

Phædon philosophus quum adolescentulus Athenis esset in seruitute, à domino in lupanari constitutus est, vt prostaret, & corpore faceret quæstum.

Martialis lib. 3. arguit Gargilianum quendam, vt cinædum & mollem, quem depilatoriis vnguentis faciem lauare consuesse dicit.

Armodio & Aristogitoni apud Athenienses mutua erat Veneris consuetudo.

Cratinus Athenienſis comœdiographus notatus est etiã Pæderastiæ, seu obsceni in pueros amoris.

L. Quinctus Flaminius, vir consularis, puerum ardebat, à cuius latere nunquam discedebat. quinetiam ad eius votum hominem quendam securi percussit, dum ille coram se aliquem optasset interfici.

Ferunt Ibycum historicum patria Rheginum, insano puerorum amore exarsisse.

Hipparchus, Pisistrati filius, stuprato Armodio Aristogitonis puero, vtriusq; coniurationem in se concitauit.

Libanius Sophista Antiochenus Constantinopoli ob impudicos amores puerorũ pulsus est. demũ Nicomedia (quò se receperat) eandem ob causam detrusus.

L. Papirius Publium adolescentem in vinculis tenuisse, plagisq; & contumeliis (quòd stuprum pati noluisset) adeo cisse dicitur. quare ad senatum delata, damnatus est, lege lata, nequis in corpora libera ob æs alienum ius haberet. volebat enim hoc sibi licere Papirius, quòd Publius eidem esset debitor.

Theophrastus philosophus Nicomachum Aristotelis filium ad præposteram vsque venerem adamauit.

Alexander Abonotichites copiam sui corporis mercede faciebat. auctor Lucianus.

Habuit Pausanias Lacedæmonius stupri consuetudinem cum Argilio adolescente.

Erasmus in Adagiis ait Cleocritum veteris comœdiæ scriptorem maledictis proscissum, quòd cinædus esset. quam notam Argyrrhio cuidam inurit.

Catullus in Thallum adolescentem impudicum his verbis inuehitur: Cinæde Thalle mollior cuniculi capillo, Vel anseris medulla, vel hinnula molli cella. Idem quoque Porcium, & Socrationem suis versibus infamat, quòd stupri meritis à Pisone prætore præpositi sint duobus aliis adolescentulis, scilicet Veraniolo & Fabullo.

Idem Mamurram Formanum, & Cęsarem notat, vt cinædos & pathicos, dum ait: Pulchrè conuenit improbis cinædis, Mamurræ pathicoq;, Cæsariq;: Nec mirum, maculæ pares vtrisque. Sed & Suetonius ait, nihil famam pudicitiæ Cæsaris læsisse, præter Nicomedis regis Bithyniæ contubernium.

Laborauit hac infamia Pindarus poeta, qui in gremio pueri adamati obdormiscens uitam efflauit. teste Valerio.

MOLLES, EFFEMINATI, & elegantes.

Theopompus scripsit Stratonem Sidonium mortales omnes superasse deliciis, & mollitie. ad quod allusit Mirandula in hymnis: Quàm quæ Sidonium uelabat purpura regem.

Augustus ad Mecœnatem scribens, eiusdem mollitiem, & delicias multis expressit locis, sed hoc maximè: Vale Mecœnas, mel gentium, ebur Etruriæ, lasar Arretinum, Tiberinum margaritũ, Cilneorum Smarragde, Iaspi figulorũ, Beryle & carbũculũ Porsenæ. Macrobius lib. 2. & Crinitus li. 24. Annæus quoque Seneca Mecœnatem uocat discinctum, mollissimaq; eius delicias, & portentosam orationem. Idem: Magnum, inquit, Romanæ eloquentiæ daturus exemplum, nisi illum eneruasset felicitas.

Aiunt Artemonem quendam fuisse mollem adeò, & solutum deliciis, ut nunquam pedibus itaret, sed semper lectica circumferretur, haberetq; duos utrinq; famulos peluim aream supra caput ferentes, ne quid supernè noxium excideret. propterea factus est prouerbio locus, Artemon uerbis. Crinitus lib. 16. cap. 11.

Fuit & Abron quispiam uitæ adeò corruptæ, & effeminatæ, vt locum paroemiæ sequenti reliquerit: Abronis uitam agens. de moliter, ac delicioſè uiuentibus.

Cisthenes Comicorum conuiciis laceratus est, quòd pa

rum uir haberetur, seq; cultu indecoro velut in mulierem transfiguraret. quod fecisse dicitur Assyriorum rex Sardanapalus, ut liberius inter feminas lasciuiret.

Syri olim malè audierunt ob morum mollitiem. unde adagium, Syrus quum non sis, ne Syrissa. Eras. in Chil.

Lysicrates abiit in vulgi fabulam, quòd iam senio confectus capillos fucaret, ut speciosus uideretur & iuuenis. eiusmodi ridentur apud Martialem Ollus, apud Horatium vxor pauperis Ibyci.

Massylienses luxu perditi muliebrem in modum ornabantur, comis unguento delibutis, capillisq; religatis. hinc ortum adagium, E Massylia nenisti: in molles.

Argyrrhius fuit dux quispiam effeminatus, nihil habens uiri, præter barbam.

Battalus fuit nescio quis tibicen, qui lasciua, & uinolenta carmine complexus est, fecitq; adagio locum, Battali similis. Cælius ait hunc primum omnium calceis in scena usum fuisse, artéq; tibiarum omnino remolliuisse. a quo flaxos, & exoletos, & parum uiros Battalos uocant.

Cælius scribit Nitarum quendam fuisse, mollitie plusquam muliebri infamem.

Dionysius apud eundem Cælium testis est, Aristodemum tyrannum apud Cumas in Romanis antiquitatibus mollem fuisse cognominatum, quòd parum uir esset, ac pudicitiam substrauisset.

Ferunt Andramytem Lydorum regem omnium primum feminas eunuchas fecisse, eisq; eunuchorum uice usum.

Gaudebat Aristoteles mundo cultu & elegante, comâque delicatius contondebat: anulis præterea digitos onerabat, & in hoc placebat sibi nimium. quo factum est, ut mollitiei suspectus haberetur.

Aristophanes Philostratum quendam lasciuiusculè se ornantem Cynalopeca uocabat. uocabulo ex cane, & uulpe concinnato,

Demosthenem tradunt cultu corporis nitido nimis, & accurato fuisse, adeò, ut molles (quibus lasciuiebat) eunuchi ab æmulis probro dati sint. quinetiam notatus est, ut parum uir, quodq; polluto esset ore.

Eodem quoque modo Hortensius orator probrosis laceratus est satyris, quòd circumspectè & morosè indutus esset, quodq; manus eius inter agendū essent argutæ, & gestuosæ. sed & L. Torquatus eum Dionysiæ saltatriculæ nomine appellabat. auctor Gellius.

Traditum est Heliogabalum, seu Elagabalum (qui supra omnia prodigia fuit mollissimus) uersatilia triclinia habuisse, in quibus amicos quandoq; ponere consueuit, eosque uiolis & floribus opprimere, sic vt aliqui animam efflauerint, auctor Lampridius. Idem quoque quaternos canes ad currum iunxit: processit & in publicum, iunctis quattuor ceruis: coniunxit etiam leones, & tygres, Cybelem se & Liberum patrem uocans: habuit uehicula gemmata, & aurata: atque ut insaniam libidini adderet, iunxit etiam quaternas mulieres, nudusq; à nudis uectus est.

Aristagoras quidam Milesius quum in concionem prodisset, insolita apud Lacedæmonios uestitus mollitie, quidam ex Ephoris hoc eum dicto submouit: Domi Milesia.

Agathon fuit quispiam tibicen, cantilenarum suauitate aures maiorem in modum deliniens, quem infamia mollitiei laborasse, testis est apud Erasmum Zenodotus.

Sardanapalus ob insignem mollitiem prouerbio locum fecit. fuit enim deliciis vsque adeò effeminatus, ut inter eunuchos, & puellas ipse puellari cultu delitesceret.

Atilius Melior Domiciani temporibus tantæ fuit mollitiei, ut nitidus appellari meruerit. unde Statius: Stat quæ perspicuas Nitidi Melioris opacet Arbor aquas.

Diadumenus fuit quispiam elegans iuuenis, cuius effigié Polycletus expressit iuuenta molliore.

Fuit Miraces nescio quis concinnatulus, qui unguentatos auratosq; capillos fertur habuisse. de hoc Val. Flaccus lib. 1. Argon. -simul armiger ibat Semiuir, impubemq; gerens ferilemq; inuentam.

Bacchi mollitiem Seneca in Hercule furente his exprimit verbis: Non erubescit Bacchus effusos tener Sparsisse crines, nec manu molli leuem Vibrasse thyrsum, quum parū fortis gradu Auro decorum Syrma Barbaricum trahit.

Fuit Iulius Cæsar adeò effeminatus, ut Curio pater qua-

dam eum oratione omnium mulierum uirum, & omnium uirorum mulierem appellauerit.

L. Sylla imperator chlamydato sibi, & crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit. Val. Max.

C. Duillius (qui de Pœnis triumphauit) quotiescunque epulaturus erat, ad funalem cæreum præeunte tibicine & fidicine à cena domum reuerti solitus est. auctor Valerius Maximus.

Clodius Pulcher eneruem & frigidam iuuentam egit, perditoq; amore uulgatissimæ meretricis infamis fuit.

VIRI MVLIEBREM HABITVM MENTITI.

GRæcis ad expeditionem Troianam proficiscentibus, quum Thetis dea præuideret Achillem filium ibidem interfectum iri, eum ex antro Chironis dormientem rapuit, & puellaribus tunicis indutum, prænomentumque ne se masculum cuipiam proderet, inter filias Lycomedis regis occuluit. quarum unam Deidamiam grauidam fecit, Pyrrhumque ex ea suscepit. uerùm, quum Græci oraculo didicissent Troiam sine Achille capi non posse, missus est Vlysses, ut Græcorum omnium astutissimus, ad explorandam rei ueritatem. quoniam iam facti suspicio & rumor ferebatur. ut ergo proderet Achillem, cistiserum se finxit, attulitque mercatoris instar fusos, acus, monilia, & cetera id genus, quæ puellam decent, cum arcu & sagittis. quum ergo Achilles relictis puellaribus instrumentis arcum intendisset, uires suas, & sexum prodidit, & eo commento repertus est. Ouid. lib. 1. de Arte: Turpe nisi hoc matri precibus tribuisset Achilles, Veste uirú longa dissimulatus erat. Stat. lib. 4.

Sicubi unquam Amor uires suas aut in mortalium ullo docuerit, maximè probauit in Hercule, quem tot alioqui monstrorum domitorem coegit relicta (quæ uirum decet) uirtute ad muliebres transire delicias, seq; in puellam effœminare, & feminam mentiri, ut liberius cum Omphale regina Lydorum lasciuiret: qua etiam iubente fusos, & lanas rudibus illis manibus (quibus portenta subegerat) attractauit. quod ei magno dat probro Deianira apud Ouidium loquens: Crassaque robusto deducis pollice fila, Æquaque formosæ pensa rependis heræ. Item apud Propertium sic loquitur: Idem ego Sidonia feci seruilia palla Officia, & Lyda pensa diurna colo: Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus, Et manibus duris apta puella fui. Stat. lib. 1. Achill. 1.

Tranquillus in Iulio scribit P. Clodium inter publicas Bonæ deæ cæremonias penetrasse ad Pompeiam Q. Pompeij filiam, & Syllæ neptem, muliebri ueste, & propterea Cæsarem cum ipsa Pompeia diuortium fecisse. præterea Cic. quadam ad Lentulum epistola scribit, Clodium ipsum non pluris fecisse Bonam deam, quàm tres sorores.

Clisthenes malè audiit, & comicorum laceratus est satyris, quòd parum uir haberetur, seque cultu indecoro in feminam transfiguraret. unde adagia nata, Clisthenem uideo; &, Clisthene intemperatior.

Eadem nota inuritur Cleocrito, quòd ad maiorem lasciuiam tunicis & uestibus feminam mentiretur.

Euclides Megaricus quum Socraticæ disciplinæ cupientissimus esset, neque tamen auderet Athenas ire (ubi profitebatur Socrates) quòd capitale foret, si quis Atheniensium Megaris, aut Megarensium Athenis, propter mutuũ utriusque urbis odium, deprehenderetur, muliebri ueste indutus ad audiendum philosophum sub ipsam noctem ibat, ac demum ipso auroræ diluculo reuertebatur. auctor Gellius cap. 10. lib. 6.

Omnium (quos eneruauit mollities, & deliciæ corruperunt) principem locum maioremque apud posteros ignominiam meruit Assyriorum rex Sardanapalus, qui eò illecebrarum se demisit, ut relicta maiestate (qua princeps tanto debet excellere, quanto sublimior est ceteris) positis masculi sexus indumentis, mentitus sit feminam, interq; puellas & eunuchos euiratior spadone delituerit. quæ fuit causa, ut ab Arbacto præfecto, lasciuiam tam corruptam perosо ad incendium domus (in quam uictus se receperat) & uoluntariam mortem sit coactus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uirilem mentitæ.

LOngè verò aliter fecit Semiramis Assyriorum regina, quæ quum certò intelligeret, graue esse populo feminam pati principantem, mortuo marito, virum mentita est, ut tantisper imperaret, dum filius Ninus (qui per impuberem adhuc ætatem regnare non poterat) adolesceret, regnoq; foret idoneus. Iustinus lib. 1.

Laudabile fuit, nec minus astutum Theodoræ Virginis Antiochenæ commentum, quæ militis ad se stuprandam missi libidinem & furorem adeò verbis emolliuit, ut non solùm à flagitio deterruerit hominem, verùm etiam mutatis cum eo uestimentis, exitum à carcere (quo per Diocletiani numi fuerat intrusa) & impunitatem meruerit. Ambrosius lib. 2. de Virgin.

Marina uirgo, natione Græca, sexum quoque dissimulauit, sed honesta de causa, ut scilicet admitteretur in cœnobium quoddam, in quo soli uiri recipiebantur, ubi ad mortem vsque sanctissimè uixit nomine Marini. Volat.

Euphrosina uirgo Alexandrina quum animæ tenus curiosa, corporis cultum nihil faceret, virum mentita, profecta est in cœnobium, in quo pater degebat, ubi duranit XXXVI. annos nemini nota. Idem Volat.

Pelagia mulier fuit Antiochena, uoluptatibus & illecebris primùm deditissima, ut quæ nulli rei attentius uacaret quàm corpori comendo. tandem tamen meliore ducta spiritu, ubi aspernari cœpit, quod pridem amabat maximè, uirum se finxit. & ne rediuiuus aliquis pristinæ uanitatis flammes denuò repullularet, relictis hominum colloquiis, secessit in solitarias nemorum latebras, ubi ad mortem perseuerauit constantissimè.

Scitum est ex chronicis, & à maioribus scriptum Ioannam Anglicam ab ephebis sexum uirilem simulasse, & eandem fato nescio quo, aut fortuna volente, ad Pontificatum peruenisse, in quo annis circiter duobus sederit post Leonem quartum, neque prius innotuerit facti ueritas, quàm à quodam ex domesticis imprægnata, tandem emiserit partum. Sabell. & Cæl. uide Platinam de uitis pontificum hoc

anno à nobis excusum: in quo id esse falsum multis probatur argumentis.

Dicæarchus apud Cælium testis est Lastheniam, Mantinem, & Axiotheam Phliasiam, Platone usas præceptore, & ornatu uirili auditorium nonnunquam intrasse.

Eugenia filia cuiusdam Philippi, inter Romanos potentissimi, uirum quoque mentita est in cœnobio, quo se inclusit, vt Domino commodius seruiret.

MERETRICES QVÆDAM.

RHodope meretrix fuit Ægyptia, quæ tantas opes meretricio quæstu sibi comparauit, ut superbam & magnificam in Ægypto pyramidem construxerit. eam Sappho Doricam uocat, & fratris sui Charaxi amicam his uerbis: Arsit inops frater uictus meretricis amore, Mistaque cum turpi damna pudore tulit. Sunt qui putent alteram fuisse Rhodopen Thraciam genere, quam Xanthus Samius in Ægyptum detulerit itidem meretricem pyramidis illius auctorem, & Æsopi fabulatoris Phrygij conseruam. cui opinioni astipulatur Plinius libro 36. natur. histor. de hac etiam meminit Plutarchus in Nicia, & Herodotus in Euterpe.

Baryne Romam fuit meretrix, quam Horatius suis carminibus illustrauit, dicens: Vlla si iuris tibi peierati pœna Baryne nocuisset vnquam.

Simili modo Martialis de Spatale scribit: Nouit Loturos Dafius numerare, poposcit Mammosam Spatalen pro tribus, illa dedit.

Lais meretrix fuit Corinthia, ad quam propter formæ elegantiam Græci omnes turmatim conuolabant. Claudianus in Eutropium: Haud aliter iuuenum flammis Ephyreia Lais, Et gemino ditata mari. Aristippo Cyrenaico cum ea fuit consuetudo: quod tamen flagitium philosophus sic defendebat, vt diceret, multum inter se & ceteros Laidis amatores: interesse: quòd ipse haberet Laidem, alij verò haberentur à Laide. auctor Lactantius, qui et hoc ait: Quid ergo interfuit, quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet, quum eum populus & riuales sui viderent omnibus

perditis nequiorem? ab hac meretrice quum Demosthenes petiisset, vt sui copiam faceret, & illa decem drachmarum millia pro cõcubitu poposcisset, pecuniæ magnitudine deterritus & expauidus philosophus, Pœnitere, inquit, tanti nõ emo. auctor Gellius, & post hunc Macrobius.

Thais fuit itidem meretrix, quæ Atticam iuuentutem in sui amorem pellexit. hanc suis carminibus celebrauit Menander poeta Græcus, vnde & Menandræa dicta est. Propert.

Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.

Phryne meretrix Thespiensis (quæ ciuitas est Bœotiæ) olim in iudicium vocata, dum sibi timeret à sententia iudicum, sublatis tunicis corpus denudauit. cuius pulchritudine permoti iudices, liberam abire permiserunt. neque tam profuit puellæ Hyperidis actio & patrocinium, quam venustas formæ. auctore Quinctil.

Eidem quum Praxiteles dedisset optionem eligendæ imaginis omnium (quas haberet) pulcherrimæ, nec tamen ipse prodere voluisset, quæ nam esset pulcherrima, hoc fabricauit commentum: subornauit enim qui Praxiteli nunciaret officinam cum signis & tabulis conflagrare. quo tristi nuncio permotus Praxiteles percontari cœpit, Esset ne saluus suus Cupido. hoc itaque dolo explorauit meretrix, quæ nam esset tabula omnium ditissima. Crintus lib. 24. cap. 10. De hac meminit Propertius lib. 1. Nec quæ deletas potuit, &c.

Faucula Clunia meretrix fuit, alioqui tamen pientissima. nam Hannibale Capuam tenente alimenta captiuis egentibus furtim suppeditabat. Liuius lib. 26.

Flora meretrix fuit, que populum Romanum constituit heredem. vnde Floralia sacra eidem consecrata sunt: alio nomine Larentia vocatur. de hac vide Gellii lib. 6. cap. 7.

Glycerium Thespiensis fuit, meretrix, quæ tabulam Cupidinis (quam à Praxitele gratis acceperat) Thespiensibus quoq; dono dedit.

Leontium Gellius scribit fuisse meretricem, quæ Theophrasti libris doctissimè responderit.

Sinope scortum fuit nobile, celebrataq; lasciuiæ: hinc

Sinopissare verbũ, est libidinari, & lasciuire. Eras. in Chil.

Erisichthon quidam Thessalus, quum absumptis facultatibus ad extremam deuenisset inopiam, coactus est filam (quã habebat liberali forma) Metrâ nomine prostituere. ad quã qui commeabant adolescentes, corporis copiam non assequebantur, nisi equos, boues, amplissimaq; deferrent munera, quia nondum id temporis repertus fuerat gemmarum vsus. porrò Thessali per iocum dicebant Metram Erisichthonis verti in ea omnia, quæ illi ab amatoribus donabantur. vnde fluxit prouerbium: Mutabilior Metra Erisichthonis.

Niceta & Aquilina sorores, quum corporis quæstu merentur, missæ sunt à rege Dagnæ ad corrumpendum beatum Christophorum inculcandumq; ei falsæ religionis cultum. verùm aliter res se habuit. nam & ipsæ ad fidem conuersæ sunt, & iussu regis interfectæ.

Aphra fuit meretrix in Creta, quæ vnà cum tribus ancillis Dinna, Eugenia & Eutropia cunctis se prostituebat. tandem tamen à Narcisso Hierosolymarum episcopo, ad bonam frugem reuocata, voluptati repudium misit, & Christianam secuta est religionem, pro qua etiam martyrium passa est.

Eodem modo Maria Magdalena, Siri & Euchariæ filia, Lazariq; & Marthæ soror, aliquot annis voluptatibus indulsit, adeò vt peccatricis meruerit nomen. demum tamen vbi ad CHRISTI in Simonis leprosi domo recũbẽtis, pedes se prouoluisset, suisq; rigasset lacrymis, capillisq; absterfisset, & delibuisset vnguento, veniam impetrauit.

Plinius scribit Campaspen meretricem fuisse forma admodum liberali, quam Alexander Apelli pictori eam deperenti dono dederit.

Auctorum monumentis celebratur Læna meretrix, quæ nullis tormentis cogi potuit, vt Armodiũ & Aristogitonem tyrannicidas proderet: in hoc Anaxarchum imitata, qui quum simili de causa torqueretur, præcisam dentibus linguam in tortores exspuit. auctores Plinius & Lactantius, & Crintus lib. 9. cap. 8.

Lyde scortum celebratur Horatio lib. 2. Carm. dicenti:

Quis deuium scortum Eliciet domo Lyden.

Ferunt scortum quoddam fuisse nomine Cyrenem, quæ in peragenda Venere duodecim figuris vsa sit. auctor Erasmus in explanatione illius adagij, Duodecim artium homo.

Aspasia meretrix fuit, cuius gratia & suasu Pericles Samios expugnauit. auctor Plutarchus.

Idem in Photione scribit Pithonicam fuisse meretricem, quam Harpalus Alexandri domesticus supra modum adamauerit.

Eodem teste Alcibiades Athenienſis meretricem habuit carissimam Timandram nomine, quæ mortuo tumulum pro facultatibus suis magnificum erexit. cum hac oppressus est Alcibiades ipse à Lysandro.

Chione nomen est scorti apud Martialem li. 1. dicentem, A Chione saltem, vel Laide discе pudorem, Abscondit spurcas hæc monumenta lupas.

Apud eundem notatur Lycisca, vt fellatrix & lupa, his verbis: Facere in Lyciscam, Paule me iubes versus, Quibus illa lectis rubeat, & sit irata. O Paule malus es, irruma-re vis solus. Item apud Iuuenalem, Nomen mentita Lyciscę.

Philenis meretrix fuit, quam Philocrates poeta Græcus suis carminibus lacerauit. de hac etiam meminit Mart. libro 7.

Verrius apud Lactantium testis est Faulam Herculis scortum fuisse.

Alcen quandã fuisse meretricem palam est ex verbis Gellij lib. 4. scribentis: Dicebat Pythagoras se Euphorbium primò fuisse, deinde Pyrandrum, deinde Callidenam, deinde feminam pulchra facie meretricem, cui nomen fuerit Alce.

Mandulia fuit meretrix, cui Hostilius Marcinus diem dixit ad populum, quòd de ambulacro eius noctu lapide ictus esset. auctor Gellius.

Apollodorus prodit meretriculas quasdam fuisse Aphias, id est, Apuas cognominatas, quòd minutulæ forent, albæque oculis grãdioribus. nomina eis fuere Stagonium & Anthis. Cælius cap. 19. libro 10.

Scribit Cælius Sapphon è Lesbo meretricem fuisse, sed non poetriam: quoniam Lyrica Scandronymi fuit filia altera à scorto.

Fingunt fabulæ Mintham Plutonis fuisse pellicem, quem Proserpina dolis circunuenerit, & in hortensem mentam commutauerit. huius meminerunt Strabo lib. 8. Cęlius cap. 21. lib. 6.

Pandemus meretriculæ cuiusdam fuit nomen. Cælius.

Aristophanes in comœdiis scripsit Cynnam, Salauachã, & Casaurium fuisse Athenis celebres & forma exuperanti meretriculas.

Abrotonum meretricis nomen est, quam Themistoclis fuisse matrem, Amphicrates apud Cælium prodit, in libro de Viris illustribus.

Fuit Anticyra meretrix, quam inde nuncupatam ferunt, quòd cum mentis emotæ hominibus, furentibusque discum beret: vel quòd Nicostratus medicus moriens hellebori vim ei magnam reliquerit. Cælius cap. 6. lib. 13.

Hermia fuit meretrix, cui præ nimio amore sacra fecit Aristoteles, eiusq; laudibus hymnos dicauit. vnde ab Eurimedonte seu Demophilo accusatus, relictis Athenis (vbi xxx. annos docuerat) Chalcidem se recepit. auctor Origenes.

Herodotus in Euterpe scribit Archidicem Græcam fuisse meretriculam, cuius amore insaniens Charaxus frater Sapphus Mitylenam redierit.

Inter Corinthias meretrices nominantur Lais, Cyrene, Leæna, Sinope, Pyrrhine, Sicyone.

Martialis lib. 7. epigrammaton, notat Cæliam, quòd cuique petenti corporis sui copiam faceret. vide versus in historia de libidinosis.

LENONES, ET LENÆ.

Dipsas nomen est lenæ, quam Ouid. 1. Eleg. suis carminibus insectatur, quòd puellam suam meretricia arte instrueret. sic autem scribit: Est quædam (qui cunque volet cognoscere lenam, Audiat) est quædam nomine Dipsas anus, &c.

Crobylus leno fuit scelestissimus: is duo scorta domi alebat, quorum lenociniis quamplurimos adolescẽtes in pernicicm alliciebat, allectos compilabat furto. vnde natum

adagium: Crobyli iugum, quod de conuentu & societate duorum hominum, qui pari sunt improbitate, dici consueuit. Erasmus in Chiliadibus.

Timeus apud Erasmum testis est, Cinnarum quempiam fuisse, patria Selinusium, arte lenonem; qui quoad viuebat, pollicebatur se facultates omnes Veneri consecraturum. ceterùm moriens populo diripiendas exposuit.

Catullus inuehitur in quendam Silonem, quem vt lenonem arguit.

Aphra meretrix (quam diximus à Narcisso Hierosolymarum episcopo à turpi & immundo quæstu reuocatam fuisse) matrem habuit Hilariam, quæ solis lenociniis victum sibi comparabat.

PROCI DIVERSARVM MVLIERVM.

HIppoclides Tysandri fuit filius, qui cũ multis aliis iuuenibus Clisthenis Sicyonij filiam ambiuit. auctor Herodotus, qui filiam illam Agaristam uocat, aliosque eius procos enumerat Smyndridem, Sybaritem, Syritanum, Damnasum; quos ab Italia ad certamen venisse scribit. uenerunt eodẽteste ex Ionio sinu Amphimnestrus Epidamnius, Ætolus, Meges; è Peloponneso Leocides Phidonis Argiuorum tyranni filius, Amianthus, Arcas, Laphanes, Heleus; ex Attica Megacles Alcmæonis filius; ex Etruria Lysanias; è Thessalia Diactorides, Cranonius; ex Molossis Alcon. Conuenerant autem in Græciam, ut in Olympico certamine vires suas ostentarent, quoniam pater puellæ Clisthenes Aristonymi filius proclamauerat, ei se daturum filiam, quem in certamine præstantissimum reperisset.

Proci Hippodamiæ Oenomai filiæ numerantur Marmax, Alcathus Parrhaonis filius, Euryalus, Eurymachus, Crotalus, Acrias Lacedæmonius, Capetus, Lycurgus, Lasius, Calcodus, Tricolonus, Aristomachus, Prias, Pelagus, Æolius, Cromius, Erythrus Leuconis filius. alij tamen enumerantur Merinnes, Hippotous, Pelops, Opontius, Acarnam, Eurymachus, Eurylochus, Automedon, Lasius, Calchon, Tricoronus, Alcathus, Aristomachus, Crocalus.

Cælius scribit Marmaca omnium primum venisse Hippodamiæ procum, & ante alios ab Oenomao necatum; equasq; eius tradunt vocatas Partheniam & Eripham: quas quum iugulasset Oenomaus, iussit sepeliri.

Absente Vlysse proci ex diuersis locis conuenerunt, vt castitati Penelopes insidiaretur, fueruntq; Dulichij LII. Samij XXIV. Zacynthij XX. Ithacenses XXII. ex quibus hi ab Homero nominantur, Antinous, Eurinous, Eurymachus, Leocritus, Neso, Pysander, Hesippus, Agalus, Leocles, Ampinomus, Demotholemæus, Medon præco, Euphemus citharœdus. quos omnes reuersus Vlysses occidit. Ouidiana Penelope nonnullos his verbis enumerat: Dulichij, Samiiq;, & quos tulit alta Zacynthos, Turba runt in me luxuriosa proci. Quid tibi Pysandrum, Polybum, Medontaq; dirum, Eurymachiq; auidas, Antinoiq; manus, Atque alios referam? quos omnes turpiter absens Ipse tuo partis sanguine rebus alis. Irus egens, pecorisq; Melantius auctor edendi, Vltimus accendunt in tua damna, pudor. De Antinoo Propert. lib. 4. meminit: Penelopem quoque, neglecto rumore mariti, Nubere lasciuo cogeret Antinoo.

Fuit Hippomenes vnus ex procis Atalantæ virginis Arcadicæ, quæ cum amatoribus certabat cursu. vnde Statius lib. 1. Sil. Vidi ego & immiti cupidum decurrere campo Hippomenem.

Claudianus lib. 1. de Raptu, facit Martẽ & Apollinem Proserpinæ (priusquam à Plutone rapta fuisset) procos, vbi ait:

Personat aula procis, pariter pro virgine certant:
Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas:
Mars clypeo melior, Phœbus præstantior arcu.

Virgilius, Ouidius, & Ausonius inter procos Didonis numerant Hiarbam Getulorum regem. propterea Dido ipsa apud Ausonium sic loquitur: Sed furias fugiens, atque arma procacis Hiarbæ, Seruaui, fateor, morte pudicitiæ. Saxo grammaticus facit Otharum quendam fortissimum, procum Sirithæ virginis pudicissimæ; Hildigisleum verò Theutonicum Sygnis puellæ, Sigari cuiusdam filiæ.

RIVALES, SEV EIVSDEM PVELlæ amatores.

ANausis (de quo meminit Val. Flaccus lib. 6. Argó.) riualis fuit Stiri Albani.

Excandescit Catullus in Raudum riualē, vt puellæ suæ furem, vbi ait: Quænam te mala mens miselle Raude Egit præcipitem in meos iambos?

Idem Catullus ægrefert Lesbium riualem sibi ob pulchritudinem à Lesbia præpositum, vbi ait: Lesbius est pulcher, quidni, quem Lesbia malit, Quàm te cum tota gente Catulle tua.

Idem Catullus vocat Mamurram Phormianum & Cæsarem socios riuales. quàm durum sit autem, & intolerabile riualem pati, Propertius docet illis versibus?

Te socium vitæ, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus, amice, meis.
Lecto te solùm, lecto te deprecor vno:
Riualem possum non ego ferre Iouem.

RAPTORES DIVERSARVM puellarum.

RApuit Pluto Proserpinā Cereris filiam, vnde à Claudiano Infernus raptor dicitur. Ouidius: Raptor agit currus, & nomine quemq; vocando Exhortatur equos. Sylius lib. 14.

Eurytus Centaurus Hippodamē rapuit. Ouid. lib. 12. Metam. Euritus Hippodamen: alij quam quisq; probabat, Aut poterat, rapiunt.

Theseus Ariadnam Minois regis filiam, & Helenam ipsam prius, quàm Paris, non offensa tamen eius virginitate. Ouidius: Te quoque qui rapuit Minoida Theseus. Idem lib. 1. de Arte: Forma viros neglecta decet, Minoida Theseus Abstulit, à nulla tempora comptus acu.

Paris Helenam, vnde fax belli Troiani secuta est. Ouid. lib. 12. Victus es à timido Graiæ raptore maritæ. Idem in Epist. Hermiones: Tyndaris Idæo trans æquora ab hospite rapta, Argolicas pro se verita in arma manus.

Tarquinius Sextus Lucretiæ virginis Romanæ pudicitiā per

per vim expugnauit: cuius rei dolore manū sibi intulit puella. hunc raptum graphicè describit Ouidius lib. 2. Fast. Senecain Octauia: Nata Lucreti stuprum sæui passa tyranni.

Telamon Græcus Hesionem puellam Troianam, & Achilles Briseida. Ouidius in Epistola Acontij: Hesionem Telamon, Briseida cepit Achilles, Vtraque victorem nempe secuta suum. Idem Achilles rapuit Diomedam Phorbantis filiam è Lesbo.

Boreas Orithyiam filiam Ericthei Athenarū regis. Ouid. lib. 1. Eleg. Si satis es raptæ Borea memor Orithyię. Propertius lib. 3. Infelix Aquilo raptæ timor Orithyiæ.

Romulus Sabinas, & Hersiliam. Ouid. de Arte: Primus sollicitos fecisti Romule ludos, Quum iuuit viduos rapta Sabina viros. Pamphilus: Romani si fortè duces rapuere Sabinas.

Pyrrhus Achillides Lanassam Herculis neptem, & Andromachen.

Aiax Oilei filius Cassandram. Ouidius in Ibin: Vtque ferox periit & fulmine & æquore raptor.

Nessus Centaurus Deianiram Herculis vxorem, vt scitè docet idem Ouidius lib. 9.

Euenus Martis & Stropæ filius, ex Alcippa Oenomai filia, Marpissam suscepit, quam Apharetus visam ex chorea rapuit. Plutarchus in Parallel.

Simili modo Catheus nobilissimus adolescens Saliam virginem, Anij Thuscorum regis filiam, adamauit vsq; ad raptum. Idem testis.

Tlepolem? Astyochiā ex Ephyra Pelopōnesi vrbe rapuit.

Aiax Telamonis filius Tegmessam. Horatius: Mouit Aiacem Telamone natum Forma captiuæ dominum Tegmessæ.

Iason Medeam, Aeetæ Colchorum regis filiam, quam postea reliquit superinducta Creusa.

Hercules Pyrenem virginem Bebryciam, à cuius nomine montes Pyrenæi nomen sumpserunt. Sylius: Nomen Bebrycia duxere à virgine colles, Hospitis Alcidæ crimen, &c.

Iupiter Aeginem rapuit prope Acrocorinthum.

Castor Phœben, Pollux Hairam sorores Leucippi filias. Propert. lib. 1. Non sic Leucippi succendit Castora Phœbe,

Universidad de Deusto Biblioteca

Pollucem cultu non Ilaira soror.

Apollo Marpissam Eueni filiam, & Idæ vxorẽ. Idem Propertius: Non Idæ & cupido quondam discordia Phœbo Aurea externis Hippodamia rotis.

Axus Oceani filius rapuit Perhibiam, Iupiter Europam. Seneca: Modo per fluctus raptam Europam, Taurum tergo portasse trucem.

Hercules Augen. Idem Seneca: Arcadia nempe virgo Palladios choros Dum nectit Auge, vim stupri passa excidit. Dryope nympha Hylam.

NVTRICES DIVERSORVM hominum.

PHilix nutrix fuit Domiciani, quæ domini cadauer populari Sandapila per vespillones exportatum in suburbano suo Latina via funerauit. auctor est Suetonius.

Policha nutrix fuit Oedipi, quem pater Laius deuouerat, quòd eius manu periturum se ab oraculo didicisset.

Barce nutrix Sichei Phœnicum ditissimi, & mariti Didonis. Virg. libro 4. Aen. Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichei, Annam cara mihi nutrix huc siste sororem.

Charme Scyllæ puellæ. vnde Virg. in Cyri: Illa autem quid nunc me inquit nutricula torques.

Caieta Aeneæ Virg. lib. 7. Aeneid. Tu quoque littoribus nostris Aeneia nutrix Aeternam moriens famam Caieta dedisti. Mart. Seu placet Aeneæ nutrix, seu filia Solis.

Beroe Semeles, quę fuit mater Bacchi. Ouidius lib. 3. Metam. Ipsaq; erat Beroe Semeles Epidauria nutrix.

Aceste nutrix fuit filiarum Adrasti. Statius lib. 1. Theb. Tunc rex longæuus Acesten, &c.

Accam Laurentiam Romuli fuisse nutricem testis est Plinius lib. 18. cap. 2. Item Statius lib. 1. Sil. Iam secura parẽs Thuscis regnabat in vndis Ilia portantem lassabat Romulus Accam.

Nysa Bacchi fuit nutrix, quàm Plinius ait sepultam fuisse prope Scytopolin.

Habuit Alcibiades nutricem nomine Amyclam vel (vt alij legunt) Amydam, pædagogum verò Zopyrum. Plutar. in

Fuit & Hellanice nutrix Alexandri, auctore Q. Curtio.

Eupheme nutrix fuit Musarum, quæ filium nomine Erotem suscepit Parnasi incolam, & venationi deditum.

Amalthea & Melissa Iouem infantulum caprino lacte fouerunt. hinc orta fabula, qua poetæ nutritum à capra fabulati sunt. Pont. Post hinc & pecus Olenium & Iouis inclita nutrix. Alij tamen dicunt Iouem ab Adrastea & Ida Melissei filiabus nutritum, vt docet Erasmus in illo adagio, Copiæ cornu.

Ino fuit nutrix Bacchi. Ouid. in Ibin: Vt teneri nutrix eadem matertera Bacchi. Statius lib. 2. Sil. Quid te post cineres, deceptaq; funera matris Tutius Inoo reptantem pectore Bacche? Ammonius grammaticus ponit Fesulam vnam è Bacchi nutricibus.

Archemorus filius Lycurgi regis Thracum nutricem habuit Hysiphilem. quæ quum infantem in herba reliquisset, depastus est à serpente. Statio auctore.

Caphyrna, seu Calpurnia Oceani filia Neptunum educauit vnà cum Rhodiis. testes Annius in Berosum, & Calderinus in Statium.

Spaco nutrix fuit Cyri. quæ dictio quoniam Medorum lingua canem significat, factum est, vt Cyrus creditus sit nutritus à cane. testis Heredotus in Clio.

Erielea, seu Euriclia nutrix fuit Vlyssis, de quo Ouidius in Epistola Penelopes intelligit, dicens: Hoc faciunt custosq; boum, longæuaq; nutrix.

OBSTETRICES.

Plinius lib. 28. cap. 7. Sotyram & Salpem obstetrices facit, quarum etiam placita in quibusdam morborum remediis citat. Idem libro 32. cap. 6. de Salpe meminit.

ANCILLÆ QVÆDAM.

CYbale ancilla fuit pauperis cuiusdam Simili, cuius paupertatem Virg. describit in Moreto. Idem ibidem: Exuit interea Cybale quoq; sedula panem.

Lathris ancilla fuit Cynthiæ Propertianæ. Idem lib. 4. Deliciæq; meæ Lathris, cui nomen ab vsu est.

Cypassis ancilla fuit Corinnæ. Ouid. lib. 2. Eleg. Commendis in mille modis perfecta capillis, Comere sed solas digna Cypassideas.

Phyllis Troiana Phocei, Bryseis Achillis. Horatius: Ne sit ancillæ tibi amor pudori Xanthiæ Phoceu: prius insolentem Serua Bryseis niueo colore Mouit Achillem.

Galantis ponitur ab Ouidio ancilla Alcmenæ matris Herculis lib. 9. Met. vbi ait: Vna ministrarum media de plebe Galanthis Flauacomas aderat faciendis strenua iussis. Plinius lib. 36. cap. 27. facit Ocrisiam Tanaquillis reginæ ancillã.

Tegmassa Aiacis Thelamonij, Cassandra Agamemnonis. Horat. Mouit Aiacen Telamone natum Forma captiuæ dominum Tegmessę: Arsit Atrides medio in triumpho Virgine rapta.

Naæra & Charmione duæ fuerunt Cleopatræ ancillæ, quæ spontaneam dominæ mortem secutæ sunt, ac suis gladiis se confoderunt. Plutarchus.

Agar ancilla fuit Abrahæ, à cuius nomine Agareni dicti sunt, qui & Saraceni à Sara eiusdem Abrahæ vxore nominantur. Iosephus lib. 1. Antiq.

Gyge ancilla fuit Parysatis reginæ Persarum, & matris Cyri. auctor Plutarchus.

Thressa Thaletis fuit ancilla, quæ Thaletem ipsum in foueam collapsum obiurgasse dicitur, quòd cælestia scire cuperet, quum ne prospicere quidem potuisset, quæ ad pedes essent. Theodoricus Cyrensis.

Herodotus in Euterpe scribit Rhodopen Thraciam ancillam fuisse Iadmonis Samij.

Elos, ancilla fuit Athamantis, à cuius nomine dicta est vrbs Achaię, Alos.

Chionia, beatæ Anastasiæ fuit ancilla.

Lardana apud Herodotum nomen est ancillæ à qua floxerunt Heraclidæ.

Titula seu Philothis nomen est ancillæ Romanæ apud Plutarchum in Camillo, & apud Macrobium lib. 1. Satur.

Plecusa fuit ancilla Dianæ, de qua Mart. lib. 2. Et cecidit sectis icta Plecusa comis. Apud eundem. lib. 7. Lagopice nomen est ancillæ.

Proconnesia ancilla est apud Plinium, quæ eiusdem diei coitu alteram domino similem, alterum procuratori eius peperit.

EVNVCHI, ET SPADONES.

Aristonicus fuit eunuchus Ptolemæi, Phileterus Limachi. Dorotheus præsul Antiochen⁹ natura fuit eunuchus.

Phauorinus quoq; philosophus, Arelate oriundus, fuit eunuchus, Hadriano principi maximè infensus. propterea tria de se mira prædicabat, se Gallum Graecissare, eunuchum mœchum putari, inimicum imperatori viuere.

Hyacinthus & Prothus eunuchi fuerunt Eugeniæ filiæ præfecti sub Maximiano.

Narses fuit eunuchus, Iustiniani principis cubicularius, è cartulario & bibliopola princeps copiarum factus post Belisarium, qui multis rebus præclarè gestis, tandem siue inuidia, siue fortuna, siue populi accusatione, in odium Iustiniani & vxoris eius deuenit. adeò vt imperator litteras ad eum dederit plenas ignominiæ, quibus eum monebat, vt ad colum, pensum, & lanas rediret. Tum ille iratus, ducam (inquit) tale pensum, talemq; ordiar telam, quam non facilè sit vobis explicare. itaque vt iniuriam vlciscereturr, Longobardos Romam iamdiu inuadere cupientes conuocauit. Paulus diaconus.

Parthenius & Calocerus eunuchi Tryphoniæ vxoris Decij, martyres facti sunt sub eodem principe.

Ananias, Azarias & Misael pueri nobiles, natione Iudæi fuerunt, quos Nabuchodonosor captos duxit Babylonem, & ibidem castrauit, deditq; Aphanam eunuchorũ præfecto.

Paronetenus fuit Spado, quem Plinius ait ingenti pretio fuisse emptum.

Arnaces eunuchus fuit, quem Themistocles accepit in deditionem. Plutarchus in Aristide.

Tyreus eunuchus fuit & cubicularius vxoris Darij.

Didymus fuit quispiam eunuchus, qui vxoris suæ copiã omnibus faciebat, vt eo diteſceret modo.

Photinus fuit eunuchus Ptolemæi, qui in gratiam Cæsaris victoris, Pompeium suasit interimendum. Lucanus: Au

sus Pompeium leto damnare Photinus.

Ganymedes fuit eunuchus, & nutritius Arsinoes, de quo Lucanus lib. 10. A famulo Ganymede dolis peruenit ad hostes Cæsaris Arsinoe.

Bagoas fuit spado, qui Alexandrum obsequio corporis sibi deuinxit. auctor Cælius.

Corn. Tacitus scribit Pelagonem fuisse spadonem, quem Nero Centurioni & Manipulo ministrũ regiũ præposuerit.

Possidius fuit eunuchus Messalinæ vxoris Claudij Tiberij, cui imperatrix ipsa post triumphum Britannicum inter militarium fortissimos arma insignia tanquam participi victoriæ dono dedit. Sex. Aurelius.

Sporus fuit spado Neronis, quem Nero ipse exectum formare in mulierem tentauerat. hic, dominum iuuit ad inferendam sibi mortem.

Fuit Menophilus Mithridatis Pontici regis eunuchus. auctor Ammianus Marcellinus.

Amantius fuit eunuchus Iustini imperatoris.

Hermotimus Xerxis. Herodotus.

Candaces Aethiops natione, fuit eunuchus, & CHRISTI discipulus.

Sylla & Cotta cum vnico testiculo nati sunt. Blondus.

Halotus fuit eunuchus Agrippinæ, & præguſtator Cæsaris Claudij, qui suasu imperatricis, boleto medicato dominum interfecit. Suetonius.

Bochis eunuchus fuit Statyræ & Rhoxanę, sororum Mithridatis.

Hermias eunuchus fuit trapezitæ cuiusdam, qui Athenas profectus, Platonẽ, Aristotelẽq; audiuit. Strabo lib. 13.

INCESTVOSI.

ANchemolus filius Rheti, Marrhubiorum regis, nouercam suam Casperiam stuprauit. Virg. lib. 10. Hinc Sthelenum petit, & Rheti de gente vetusta Anchemolum thalamos ausum incestare nouercę.

Artaxerxes puellam Atossam perditissimè adamauit. quo factum est, vt post frequentem Veneris consuetudinem, eam in matrimonium duxerit, contemptis Græcorum legibus. Plutarchus.

Tereus rex Thracum, Martis filius ex Bistonide nympha, Philomelam filiam Pandionis regis Athenarum, uxoris suæ Prognes sororem, stuprauit. Ouidius libro 6. Metam. -fas susque nefas & virginem & unam Vi superat, frustrà clamato sæpe parente. Ausonius: Intulit incestam tibi uim Philomela ferus Thrax.

Menephron iacuit cum matre. Ouid. lib. 7. Met. Dextra Cyllene est, in qua cum matre Menephron Concubitus erat, sæuarum more ferarum. Quinctianus in Cleopol. Flagret si matris amore Menephron.

Caunus Mileti ex Cyane filius, quum esset forma liberali, adamatus est à sorore Biblide ad incestum vsq;, cuius pęnitentia postea se interfecit. Ouid. lib. 9. Biblis Apollinei correpta cupidine fratris, Non soror ut fratrem, nec qua debebat, amauit. Idem lib. 1. de Arte.

Myrrha, Cynaræ Cypriorum regis filia, rem habuit cũ patre, & ex eo concubitu suscepit Adonidem. Ouid. lib. 10. Accipit obsceno genitor sua uiscera lecto, Virgineosq; metus leuat, hortaturque timentem. Plena patris thalamis excedit, & impia diro Semina fert utero, conceptaque crimina portat.

Macareus filius Æoli rem habuit cum sorore Canace. Ouid. lib. 2. Trist. Nobilis est Canace fratris amore sui. Idem in epist. Canaces: Cur unquam plus me frater, quam frater amasti? Et tibi non debet quod soror esse, fui? Idem in Ibin: Vtq; sua Macareus, sic potiare tua.

Cleopatra à fratre (quẽ pro marito habebat) polluta est. unde Lucanus lib. 8. Degener incestæ sceptris cessiure sororis. Et lib. 10. Miscuit incestã ducibus Ptolemæida nostris.

Martialis scribens ad Fabullum lib. 12. arguit Themisonem quendam incestus cum sorore, ubi ait: Quare non habeat, Fabulle quæris, vxorem Themison? habet sororem.

Oedipus mortuo Patre Laico (quem ignotum occiderat) nescius & imprudens duxit Iocastam matrem suam, ex qua suscepit Etheoclem, & Polynicem. Statius libro 1. Theb. Scandere quinetiam thalamos hic impius heres Patris, & immeritæ gremium incestare parentis Appetiit, proprios monstro reuolutus in ortus. Ouid. in Ibin: Nec plus aspi-

cias, quàm quem sua filia rexit, Expertus scelus est cuius vterque parens. Claudianus in Eutropium.

Statius lib. 9. Thebaid ait Cydonem quendam adamatũ à sorore. eius verba sunt hæc: Et malè dilectum miseræ Cydona sorori.

Thyestes rem habuit cum Europa fratris vxore, & cum Pelopeia filia. Ouidius: Filia si fuerit, sit quod Pelopeia Thyesti, Myrrha suo patri, Nyctimeneq; suo.

M. Tullius Cicero pòstulauit P. Clodium inimicum incestus cum sororibus. ait enim eum non pluris fecisse Bonam deam, quàm tres sorores.

Secundus philosophus quum matri nescienti esse filium, se commiscuisset, & illa facto cognito, scèleris horrore intulisset sibi mortem: ipse quoque quum incestus pœnitentia, tum dolore maternæ mortis æternum tacuit, vt vlciscereturvocẽ, qua in cõcubitu matri innotuerat. Diogenes.

Antiochus Soter rex Syriæ, quum Stratonicem nouercã impatienter deperiret, indulgentia patris obtinuit. Volat.

M. Antonius imperator consuetudinem veneris habuisse dicitur cum Faustina sorore, ex qua & Lucillam genuit, quam L. Antonio fratri copulauit.

Antonius Caracalla imp. quum Iuliã nouercam imperẽti amore deperiret, Vellem, inquit, si liceret. quibus verbis ostendebat se eius concubitum appetere. Tum illa, Sibi libet, licet, respondit. leges dat imperator, non accipit. Quibus verbis audacior factus Caracalla, nouercam ipsam sibi copulauit, cuius filium Getam paullò antè interfecerat. Sex. Aurelius, & Aelius Spart.

Ptolemæus Euergetes Berenicem sororem adamatam matrimonium duxit.

Theodericus, Francorum rex, fratris à se interfecti filiam duxit in vxorem.

Fuit & Ioui deorum maxima stupri frequens consuetudo cum Cerere & Iunone sororibus, vt volunt poetæ: quiquã deorum furta carminibus suis detegunt, nihil aliud faciunt, quàm quòd indicant non esse iis credendum, quos stupris, incestibus, & adulteriis contaminatos docent.

Capronia virgo vestalis comperta incestus, laqueo fuit

cata est.

Caligula tres sorores suas stupro contaminauit: ob quem incestum Iouem se vocabat. Sex. Aurelius, & Tranquillus cuius verba sunt hæc: Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit, plenoque conuiuio singulas infra se vicissim collocabat, vxore supra cubante. ex his Drusillam vitiasse virginem prætextatus adhuc creditur.

Commodus quoque imperator (qui natus est eo die, quo Caligula) sorores constuprauit, concubinasq; sub oculis suis constuprari ab amicis iubebat. Lamprid.

Aufilena quædam proscinditur à Catullo, quòd patruo se prostituisset, & ex eo genuisset liberos. hæc sunt eius verba: Aufilenã uiro contentam uiuere solo Nuptarum laus est laudibus eximiis, Sed cuiuis quamuis potius succũbere fas est, Quàm matrem fratres efficere ex patruo.

Fabulantur poetæ Nereum maris deum, iacuisse cum Doride sorore, & ex ea suscepisse nymphas, quas Nereides vocant.

Phœnix Amyntoris filius rem habuit cum patris pellice. Domicius Calderinus in Ibin Ouidij.

Phineus duos habuit filios, qui nouercam Cleopatram Dardani Scytharum regis filiam violarunt. vnde & à patre excæcati sunt Ouidius in Ibin.

Ptolemæus Philadelphus stupri consuetudinem fecit cum Arsinoe sorore, vt Herodes Antipas cum Philippi fratris vxore.

Hypermnestra concubitum fratris (quem deperibat) nocturno tempore assecuta est. Ouid. in Ibin: Quæq; sui Veneremiunxit cum fratre mariti Locris in ancillæ dissimulata necem.

Hæmon Rhodopem filiam pro vxore habuit: Diis incestum vindicantibus, ambo in montes conuersi sunt. ad quod alluditQuid. in Ibin, dicens: Nec tibi si quid amas, felicius Hæmone cedat.

Leucon interfecit Oxilochum regem Ponti fratrem suũ, vt eius vxore frueretur.

Aruntius quum Bacchi sacra despicaretur, vlciscente numine in ebrietatem lapsus, filiam Medulianam corrupit.

quod ægreferens puella, patrem ipsum interfecit.

Idem quoq; contigit Cyanippo, qui vlciscente Baccho (cuius sacrificia itidem spernebat) lapsus in ebrietatē, Cyanem filiam stuprauit, à qua postea interfectus est. Plutar. in Parall.

Valeria Tusculana Valerio patri (quem deperibat) fraude ancillæ concubuit. quod ubi resciuit Valerius, intulit sibi mortem. Idem auctor.

Papirius Romanus nomine, Papirij Volucris filius, sororem nomine Canusiam grauidam fecit. rei certior factus pater, utrique gladium misit, quo se interfecerunt.

Gidica Pomminij Laurentini uxor, Comminium priuignum adamauit vsque ad incestum. à quo repulsam passa, laqueo se suspendit. quo mortis genere periit Phædra, ab Hippolyto priuigno itidem spreta.

Tuciam uirginem Vestalem incestam fuisse, testis est Plinius lib. 28. cap. 2.

Syfimithritas, Persarum satrape, duos ex matre liberos suscepit. nam, auctore Curtio, apud Persas parentibus stupro coire cum liberis fas est.

Scribit Corn. Tacitus Agrippinam se plerunque ad incestum obtulisse Neroni filio, quum per uinum & epulas incalesceret.

Perdix uenator fuit infando matris Polycastes amore correptus, quā & contaminauit. unde Perdicis libido abiit in prouerbium pro efferata, turpi atq; infami. auctor Cælius.

Claudius Cæsar Agrippinam Germani fratris filiam nouercam duobus liberis superinduxit, cuius insidiis & uenenis postea interfectus est. Sex. Aurel.

Ioannes Ariminensis sororem suam duxit uxorem. Pontanus de Obedientia.

Herodotus scribit Cambysem, regem Persarum, uni ex sororibus stuprum intulisse, eaq; mortua, alteram iuniorem itidem uiolasse, & uxorem duxisse, quam postea interfecit.

Scythes, rex Scytharum, Opœam nouercam duxit in matrimonium. Idem auctor.

Philippus, frater Alfonsi decimi Hispaniæ regis, Christianam Daciæ regis filiam, & fratris sui uxorem sibi per

uim copulauit, spreta religione, ac sacerdotio, quum esset abbas, & præsul Hispalensis.

Nicteus rex Æthiopiæ cum Nictimene filia concubuit.

ADVLTERI, ET ADVLTERÆ.

PAris, quòd Helenam Menelai vxorem rapuerit; & Helena, quòd maritum reliquerit, inter adulteros numerantur. Ouid. in epist. Sit facie quamuis insignis, adultera certè est, Deseruit socios hospite capta deos. Idem: Quid petitur tanto nisi turpis adultera bello? Horatius: Iam nec Lacænæ splendet adulteræ famosus hospes.

Clytemnestra amore Ægysthi, quocum mœchari consueuerat, maritum Agamemnona Troia redeuntē interfecit. Propter. lib. 3.

Martialis arguit Leuinam mulierem, quòd casta uenerit Baias, & adultera redierit. hæc eius uerba: Incidit in flammas, Veneremque secuta relicto Coniuge Penelope uenit, abiitque Helene. Idem quoque arguit adulterii Paulam aliam feminam.

Idem lib. 2. de Thelesina, scribit: Vxorem nolo Thelesinam ducere. quare? Mœcha est. Sed pueris dat Thelesina, uolo. Idem lib. 6.

Proculina quoq;, Lectoria, & Gellia ab eodem notantur, ut adulteræ, & à Catullo notatur Aufilena.

Hippia. Inuenalis: Promptius expediam, quot amauerit Hippia mœchos.

Suetonius scribit Iulium Cæsarem diuortium fecisse cum Pompeia uxore, Qu. Pompeij filia, & Syllæ nepte, quòd fama ferret, eam à P. Clodio inter sacra Bonę deę adulteratam.

Iulia Agrippina mater Neronis adulterii consuetudinem fertur habuisse cum Domiciano. Iuuen. Quum tot abortibus fœcundam Iulia uuluam Solueret.

Homerus poetarū max. natus est ex adulterio matris Cretheidis, uirginis Cumanæ. Plutarchus.

Dauid lumen sapientiæ & religionis speculum, cum Bersabea uxore Uriæ adulterium commisit, cui sceleri adiecit ipsius Uriæ mortem, quem bello perdendum exposuit.

Conradinus imp. Conradi filius, vt vxore comitis Caserti potiretur, virum honoris specie ablegauit.

Egica rex Hispaniæ Falsillam ducem Tudensem (vt eius vxore potiretur) interfecit.

Hippomenes filiam Limonem in adulterio deprehensam equo famelico deuorandã exposuit. Ouid. in Ibin: Solaq; Limone pœnam ne senserit illã, Et tua dente ferox viscera carpat equus. Idem: Vtq; nouum passa est genus Hippomenea pœnæ.

Quum turpissimum sit ab his virtute nos superari, quos antecellimus dignitate, nihilominus Ioannes XII. Pont. Max. exuta morum honestate, relegataq; verecundia, greges meretricum aluit. quibus flagitiis non defuit vltio. ad extremum enim deprehensus in adulterio, ibidem interfectus est. Platina.

Vgolinus Gonzaga princeps Mantuæ cum Isabella vxore Luchini Vicecomitis Italiæ mœchatus est. Volater.

Ludouicum Gonzagam in adulterio deprehensum Mantuani capite punierunt.

Messalina vxor Claudij Tiberij primo clàm, mox passim, quasi iure, adulteriis vtebatur. ex quo facto plures metu abstinentes extincti sunt. dehinc atrocius accensa nobilissimas quasque nuptas & virgines turpitudinis suæ comites delegit, coegitque mares, vt adessent. quod si quis recusaret ficto crimine in ipsum, omnemq; eius familiam iubebat seuiri. quinetiam (quod turpius est multo) prouocauit ad lecti palæstram vnam ex ancillis, quæ meretricio quæstu victum sibi quæritabat. Sex. Aurelius. De hac Iuuenalis Satyra 6. Claudius audi Quæ tulerit, dormire virum quũ senserat vxor, &c.

Fabia Fabij Fabricani vxor, dum Petronium Valentinum liberali forma adolescentem (quocum adulterij consuetudinem habebat) maximè deperiret, maritum interfecit, vt adultero frueretur securius. Plutarchus in Parall.

Plinius lib. 29. ait Vectium Valentem medicum fuisse adulterio Messalinæ imperatricis nobilitatum.

Idem ait adulteria fuisse in domibus principum, vt Eudemi in Liuia, Drusi Cæsaris & Valetis medici in Messalina.

Alcibiades Athenienſis cum Thimea Agidis regis vxore libidinari solitus est. Plutarchus.

M. Varro apud Gellium testis est C. Sallustium historiarũ scriptorem deprehensum in adulterio ab Annio Milone, & loris cæsum, dataq; pecunia dimissum. Cicero improperat ipsi Sallustio, quòd paternam domum vendiderit, vt adulterij pœnam declinaret.

Cælius scribit Phaonem spectabili forma adolescentem à Mitylenæorum mulieribus ardenter adamatum. vnde factũ, vt in adulterio deprehensus iugularetur.

Hyettus vir quidam Argiuus, Molurum quendam in adulterio cum vxore deprehensum interfecit. Idem Cæl.

Phauorinus philosophus, quum eunuchum foret, & androgynus, adulterasse tamen viri consularis vxorem creditus est. Idem.

Qui imperatorum vitas scripserunt, testantur Phocam imper. diuersis adulteriis infamem fuisse.

Zoe imperatrix Romanum Argyropylum maritum interfecit, quò liberius mœcharetur cum Michaele Paphlagone, qui imperio successit. Bap. Egnat.

Constantinus Monomachus imper. concubinam egregiæ admodum forma loco legitimæ vxoris habuit, quam etiãm deperiit. Idem Egnat.

Corrupit Iulius Cæsar plurimas illustres feminas; Postumiam Seruij Sulpicij, Lolliam Auli Gabinij, Tertulliam M. Crassi, & Cn. Pompeij Muciam: sed ante alias dilexit M. Bruti Seruiliam matrem, cui sexagies sestertium gemmam mercatus est. corrupit quoque Seruiliæ filiam Iuniam tertiam, M. Crassi vxorem. dilexit & reginas, vt Eurieme Mauram Bogudis vxorem, sed maximè Cleopatram, cum qua & conuiuia in primam lucem sæpe protraxit, & eadem naue thalamoque pænè Aethiopia tenus Aegyptum penetrauit. Suetonius.

Exercuit & Augustus adulteria, vt cum Liuia, quam quum grauidam reddidisset, tegendi sceleris causa, nuptias festinauit, vt obiecit Antonius. abduxit & feminam consulari è triclinio, viro coram, quam rursus ad conuiuium rubẽtibus oculis, & incomptiore capillo reduxit. rem quoq;

habuit cum Tertullia, Terentilla, Drusilla, Saluia, & Citiscenia Suetonius.

Saxo Grammaticus ait Friggam Othimi Danorum regis vxorem cuidam familiarium se stupro subiecisse.

Gregorius Turonensis scribit, Deuteriam quandam feminam à Theodeberto Francorum rege adulteratam. idem ait Dagulphum abbatem in adulteria admodũ procliuẽ fuisse.

Scribit Macrobius Aesopum libertum Demosthenis conscium adulterii (quod cum Iulia patronus commiserat) rotundum diutissimè perseuerasse non prodere patronum, donec aliis consciis coarguentibus Demosthenes ipse fateretur.

Plato in 11. de Rep. scribit, Gygem stuprasse Candaulis Lydorum regis vxorem, quod & confirmat Herodotus.

Aripertus Clotarij filius, Francorum rex, ob amorem in ancillas, cum vxore diuortium fecit.

Solon suis legibus voluit fas esse deprehendenti mœchũ interficere in ipso adulterio.

Adulterij pœnam apud Roman. vide Gell. lib. 10. c. 23.

Zaleucus legem tulit, vt quisquis mœchus aut adulter deprehensus fuerit, erutis oculis pœnas lueret.

LIBIDINOSI, ET LASCIVI.

PAsiphæ Solis filia, & vxor Minois regis Cretæ, taurũ ad coitum vsque fertur adamasse, ex quo & biforme illud monstrum Minotaurum susceperit. Propert.

Vxorem quondam magni Minois (vt aiunt)
Corrupti torui candida forma bouis. Idem lib. 3.

Fuit in Aiace Oilei filio tantus libidinis feruor, vt temperare sibi nequiuerit, quin Cassandram Priami filiam in templo Palladis oppresserit. quo factum est, vt Dea iniuriam vleiscente fulminatus sit in mari cum aliquot aliis Græcis, vt docet Virg. lib. 1. Aen.

Immoderatam Celiæ libidinem notat Martia. lib. 7.

Das Cattis, das Germanis, das Cælia Dacis,
Nec Cilicum spernis, Cappadocumq; toros.
Et tibi de Pharia Memphiticus vrbe fututor
Nauigat, à rubris & niger Indus aquis.
Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum, &c.

Herodotus apud Cælium testis est, Persas à Græcis didicisse pueris abuti. in quos debacchari solitum Alexandrum scribit Athenæus, quum etiam Bigoan inspectante theatro vniuerso suauiari plerunq; non erubuerit. contrà tamen plerique sentiunt, feruntq; tanta castitate præditum fuisse, vt præter vxorem, & Bersanen è Damasco viduam mulierem, nullam aliam complexus fuerit.

Hipparchus Pisistrati filius, quum Armodium, & Aristogitonem excellenti forma pueros per vim pædicasset, concurationem in se concitauit. iuuenes enim probrum ægre ferentes, non prius finem insidiis fecerunt, quàm eum de medio sustulerint, libidinem hominis magis, quàm tyrannidem pertæsi. auctor apud Volat. Thucydides.

Iã docuimus, quomodo P. Clodius præter stupratas sorores mulierem mentitus inter publicas Bonæ deæ cæremonias ad Pompeiam Q. Pompeij filiam furtim penetrauerit, eamq; adulterauerit. Plutarchus in vita Cicer.

Q. Flaminius, vir consularis, puerum impudicè deperiit, adeò vt quocunq; profisceretur, nunquam ab eius latere discederet. quoq; magis inseruiret amasio, quendã conuiuio securi percussit, quum puer aliquem se presente optasset interfici: licet hoc in feminæ gratiam factum dicant nonnulli. Volat.

Coactus est Augustus Iulias filiam, & neptem, omnibus libidinum probris contaminatas relegare. constat filiam infamem fuisse vulgatis per vrbem adulteriis.

Ferunt Palemonem grammaticum flagrasse libidinibus in mulieres vsque ad oris infamiam.

L. Papirius Publium, &c. vide suprà 113. & Liuium lib. 8.

Idem in T. Veturium adolescentem fecisse dicitur C. Plocius. Valerius Maximus.

Habuit Philippus Macedo Alexandrum adolescentem Olympiadis vxoris suæ fratrem non ad alium vsum, quàm ad stupri consuetudinem. Trogus lib. 8.

Semiramis Assyriorum regina, quæ masculam virtutem semper ferè præ se tulit, & omnium calculis laudata est, ad extremum tantis deliciis, tantoq; pruritu libidinis incaluit, vt mortuo marito, non admiserit solùm, at etiam prouoca-

uerit plerosque ex suis militibus, qui forma essent elegantiore, quos postea crudeliter necabat. Diodorus lib. 3. Produnt & nonnulli eam à Nino filio interéptam, quum eius congressum appeteret. Trogus lib. 1. Et (quod omnium lógè turpissimum est) equum ab ea adamatum vsque ad coitū, Iuba testis est apud Plinium.

Victorinus tyrannus (qui Galeni temporibus Gallias rexit) causa libidinum in matronas interfectus est apud Agrippinam. Trebellius Pollio.

Aristo Ephesius genus femineum perosus cum asina concubuit, ex eoq; concubitu genita est puella, cui à cruribus asininis nomen inditum est Onosceli. Plutarchus in Paral.

Idem ait Publium Stellum (quem Fuluium alij vocant) mulierum odio equæ se commiscuisse, ex qua formosam susceperit puellam, Hipponam nomine.

Demetrius Poliorcetes, Antigoni filius, Democli laudabilis formæ adolescentulo stuprum inferre voluit. quod quum per inualidas ætatis vires puer non posset aliter effugere, in proximum feruentis aquæ lebetem se coniecit, ibiq; mortuus est. Idem Demetrius Lamiæ aliisq; scortis talenta CCL. erogauit. Plutar.

Ausidius crebris fuit adulteriis famosus, & matronarum frequentissimus corruptor apud Romanos. Iuuenal. Sat. 9. Notior Ausido mœchus celebrare solebas. Martial. Procuratorem vultu qui proferat ipso, Acrior hoc cuius non erit Ausidius.

Non erubuit imper. Caligula sororibus suis congredi, quarum ambas exoletis suis prostrauit, quò facilius eas in causa Aemilij condemnaret, tanquam adulteras. Liuius. Horestillam C. Pisoni nuptam, sibi iunxit, & intra biennū repudiatam relegauit. Lolliam Paullinam C. Memmio ablatam coniunxit sibi, breuiq; missam fecit, interdicto cuiusque in perpetuum coitu. Cesoniam adamauit, quam amicis plerunque ostēdit nudam. M. Lepidum & M. Nestorem pantominum dilexisse fertur commercio mutui stupri. Valerius Catullus consulari familia iuuenis, stupratum se abeo, & latera sibi contubernio eius defessa vociferatus est. Suetonius.

Commodus imperator sorores constuprauit, suasq; concubinas videns ac volens, ab amicis constuprari passus est. adolescens infamauit omne genus hominum, quod erat secum, & ab omnibus est infamatus. habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum vtriusq; sexus, quos libentius oculis suis applicabat. Lampridius.

Idem Commodus cum CCC. concubinis, quas ex matronarum meretricumq; delectu ad formæ speciem constituerat, ac trecentis aliis puberibus exoletis (quos ex plebe & nobilitate collegerat in palatio) bacchabatur & lasciuiebat. Lampridius.

Childericus Francorum rex ob libidinem in matronas regno pulsus est, demum tamen restitutus.

Gordianus Iunior (qui cum patre imperauit) totus fuit mulierosus, ac libidini deditus. concubinas habuit XXII. & ex omnibus ternos & quaternos liberos. vnde & Priamus sui sæculi vocatus est, & à nonnullis per cauillum Priapus. Iulius Capitolinus.

Vgutius princeps Florentinus interfectus est à ciuibus ob procliuem in feminas libidinem. Volat.

Xerxes rex Persarum eò lasciuiæ se demisit, vt Spintriis nouarumq; voluptatum repertoribus præmia constituerit. Valer. Max.

Messalina Claudij Cæsaris coniux ad certamen Veneris elegit nobilissimam ex prostitutis ancillam mercenariæ stipis, eamque die ac nocte superauit quincto ac vicesimo concubitu. Plin. lib. 10. cap. 62.

Idem Plinius scribit Arellium celebrem fuisse Romæ pictorem paullò ante diuum Augustum, qui semper alicuius amore feminæ flagrauerit.

Crassus Romanorum ditissimus, vno è fratribus mortuo, illius vxori congressus est, & ex ea filios aliquot procreauit. Plutar.

Surinas Parthorum ditissimus, & secundus à rege, ducentas pelices habebat in castris. Idem auctor.

Appius Claudius decemuir Virginiam puellā plebeiam, sed forma excellentem (quam Virginius pater M. Icilio Tribunitio viro, & expertæ virtutis homini desponderat) per

vim stuprauit, quum nec precio, nec spe posset allicere, quę fuit causa abrogandi magistratus decemuirorum, quèadmodum reges prius ob stupratam Lucretiam eiecti fuerant. Liuius, & Cic. lib. 2. de Finib.

Tigilinus fuit quispiam inter Romanos vitæ corruptissimæ, qui per impudicitiam multa à Nerone consecutus est, quem ad omne corruperat. Cor. Tacitus lib. 17.

Martialis lib. 7. taxat Papillum quendam velut cunnilingum, & irrumatorem.

Hostius princeps quidam fuit obscenitatis perditissimæ, præferuidæq; libidinis, Augusti temporibus, vtrique Veneri, masculæ scilicet, & muliebri deditissimus: qui fecit specula eius notæ, vt imagines multò redderent maiores. quum ergo Veneri se daret, ea ita disponebat, vt quum verum pateretur, omnes admissarij sui motus in speculo videret, ac deinde falsa ipsius membri magnitudine tanquam vera gauderet.

Agrippina filij Neronis concubitum desiderasse fertur. Cli. apud Tacitum lib. 4.

Ausonius inuehitur suis carminibus in quendam Eunum, quem vt liguritorem, & irrumatorem taxat.

Sotades poeta fuit iambographus impurissimus, qui versus adeò pathicos, cinædicamq; Venerem spirantes conscripsit, vt ab eius lectione casti abhorrerent oculi. quo factum est, vt Sotadica poemata prouerbio locum fecerint. Politianus in Nutricia: Pars quoque Sotadicos ceu proflituere cinædos.

Conuenit inter multos Socratem (qui tamen Apollinis oraculo mortalium sapientissimus est habitus) Athenis ius fuisse vocatum, & ab Anyto accusatum, quòd puerorum mores corrumperet. quod etiam Tertullianus confirmat.

Quum multa sint exempla crudelitatis in Nerone, libidinis quoque non pauciora turpissimam eius vitam infamãt. quorum hæc præcipua. Rubriæ Vestali Virgini vim inculit. puerum Sporum exectis testibus in muliebrem naturam trãsfigurare conatus est, quem & solenni nuptiarum officio ad se cum dote perductum pro vxore habuit. propterea eman-

rat iocus, benè agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset vxorem. præterea matris concubitum appetiit, cum qua (dum in lectica vna veheretur) libidinatus est. viros, & feminas ad stipites quandoque deligauit, vt eorum inguina & inuaderet, & delamberet. Doryphoro liberto (sicut ipsi Sporus fecerat) denupsit, voces & eiulatus vim patientium virginum imitatus. hæc tranquillus de hac eius portentosa libidine Corn. Tacitus abunde scribit.

Fuit Caluia Crispillina magistra libidinum Neronis, digna discipulo magistra. idem Tacitus lib. 17.

Aeschines criminosa & virulenta oratione Timarchum de impudicitia accusauit, apud Athenienses. Gellius cap. 3. lib. 18.

Cicero lib. 2. de Finib. ait, L. Torium Balbum ita vixisse, vt nulla tam exquisita posset inueniri voluptas, qua non abundaret.

Omnes libidinum voluptates experiri voluit Assyriorum rex Sardanapalus, dum viriles perosus tunicas, in mulierem se transformauit, relictaq; regni cura, lasciuiæ se totum deuouit, ac perdendum commisit. Trogus lib. 1. & Cic. lib. 5. Tusc. quæst.

Quid iam mirũ debet videri, si concinna & elegans puellarum forma viros torreat, & ad Venerem titillet, quum etiam reperiantur, qui inanimatarum rerum amore, & desiderio intabuerint? aiunt enim Pygmalionem quendam fuisse, qui statuam formosam dilexerit, eamq;, ceu egregiam aliquam nympham, & frequentibus osculis suauiatus sit, & lecto dignatus. vnde Quinctianus in Cleopoli, Concedat honori Pygmalion, licuit cui eburnea membra puellæ Complecti, & pulchro componere corpora lecto.

Adolescens quoq; Athenienſis speciosum Fortunæ simulacrum, ad tantam adamauit insaniam, vt ipsum & arctissimè complecteretur, & suauiaretur blandissimè. quo desiderio quum in dies acrius intabesceret, impatiens amoris perrexit ad senatum, extentisque precibus rogauit fieri sibi statuæ potestatem, largum auri cumulum paratus erogare. quã in re quum repulsam passus esset, ad statuam ipsam cor-

pus confodit. Cælius cap. 32. lib. 7.

Est & aliud simile exemplum apud Plinium de puero Athenienſi, qui Praxitelis simulacro congressus sit. cuius concubitus relictæ maculæ fuerunt indices. de hoc Quinctianus: -cedat Praxiteles, cuius muliebris imago procacem impulit ad coitum iuuenem.

Antonius, cognomento Caracalla, Iuliam nouercam in matrimonium duxit. Aelius Spartianus.

Dionyſius iunior, quum se in Locrenſium vrbem contulisset, per ſummam lætitiam virgines eius loci constuprebat, quas pulſo paullò poſt exſilium tyranno ciues peremere, impactis ſub vngues acubus, oſſibusq; in mortario attritis. Cælius.

Ferunt Orpheum Thraca deteſtandæ in mares libidinis principem & repertorem fuiſſe, quum tamen aſpernaretur feminas. Ouid. lib. 10. Met. Cælius cap. 30. lib. 8.

Catullus Rufi cuiuſdam Bononienſis libidinem amarulenter lacerat, quòd mulieris magæ os irrumaret.

Satyrus felle aſpergit quẽdam Gellium patrui ſui irrumatorem, matriſq; & ſororis ſtupratorem.

Conuiciis quoque proſcindit Gallum quendam, qui vt facilius poſſet fratrum ſuorum liberos & vxorem in ſuam libidinem allicere, ipſe leno eos ſtupra committere docuit. hæc autem Catulli verba: Gallus homo eſt bellus, nam dulces iungit amores Cum puero, vt bello bella puella cubet. Gallus homo eſt bellus, nec ſe videt eſſe maritum, Qui patruus patrui monſtret adulterium.

Nihil propè, quod virum perfectum deceat, Cæſari defuiſſet, ſi pudicitiæ famam ſeruaſſet tenacius. uerùm ſeu malis artibus, ſiue natura hoc cacoethes peſtilenſq; virus ei vſq; adeò inhæſit, vt Curio pater quadã eũ oratione omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem appellauerit. quod (vt cetera taceamus exempla) portentoſam eius libidinem ſatis arguit. Suetonius.

Sunt qui dicant Thamyram primum flagitioſis puerorum amoribus, ac præpoſteri concubitus fœditate pollutum, quum cœpiſſet efflictim deperire Hymenæum, Calliopes, & Magnetis filium. alij tamen Thaloni Cretenſi rei tam pro-

broſæ initia contribuunt, qui Rhadamanthum adamarit. Cælius lib. 8. cap. 30.

Ariſtoteles prodit permiſſam fuiſſe in Creta maſculam Venerem, lata quoque de hoc lege. traditum eſt, & Chalcidenſes in Euboia, pueriles amplexari amores ad ſtuporem vſque. Cælius ibidem.

Sophocles & Aeſchilus hac peſte famam ſuam corruperunt, non tacentibus theatris.

Luſius Marij ex ſorore nepos, quum Trebonio pudicæ ſanctitatis militi vim & ſtuprum vellet inferre, ab eodem interfectus eſt.

Diuinxit ſibi Alexandrum Bagoas ſpado, nec alio obſequio, quàm impudica ſui corporis copia. propterea quum Orſines Perſa nobiliſſimus Alexandrum eiusq; amicos muneribus cumularet, ſoli Bagoæ nihil honoris detulit. rogatus cauſam, reſpondit, ſe amicos regis non ſcorta colere. Cælius cap. 30. lib. 8.

Salluſtius impingit Ciceroni, quòd filiam habuerit pellicem matris. ſed inimici verba fidem non capiunt.

Teſtatum eſt Græcorum monumentis Pindarum nouem Lyricorum principem in gremio dilecti pueri mortuum in gymnaſio repertum. Val. Max. de mortib. non vulg.

Ferunt & Agatoclem Siciliæ tyrannum forma & venuſtate corporis præeminentem diu vitam ſtupri patiẽtia exegiſſe. propterea Timæus dixit illum primæuo ætatis flore ſcortum promiſcuum, impudentiſſimo cuique expoſitum. Iuſtinus lib. 22.

Crathis paſtor, quum in Venerem eſſet procliuior, capram omnium formoſiſſimam deperire cœpit, cui congrediebatur frequenter, demumq; vti amicam gratè amplexabatur, cum multa ſuauiatione. quod contemplatus hircus zelotypiæ æſtro concitatus, dormientem Crathim cornibus impaſſit, & interfecit. hoc ex Græcis aduocant Cæl. & Vol.

Pauſanias dux Lacedæmonius Argillum forma conſpicuum adoleſcentem mirè dilexit, ſed amore Venereo. habebatur enim puerum pro ſcorto Cæl. cap. 62. lib. 16.

Proculus imperator centum Sarmatas virgines bello captas intra dies quindecim (vt ipſe gloriabatur) grauidas red-

didit, magno libidinis argumento. Flauius Vopiscus, & Sabellicus in exemplis.

Collegit Heliogabalus, naturæ monstrum, lenones, meretrices, exoletos, & subactores propè innumeros, quibus adiecit nasatos homines, id est, mutoniatos, quoniam his ad libidinem, & flagitium vtebatur scelestissimè. quocirca Lampridius ad Constantinum imperatorem, de prodigiosis eius venere scribens, ait: Quis ferre posset principem per cuncta caua corporis libidinem recipientem, quum ne belluam quidem talem quisquam ferat Romæ? Habuit insuper emissarios, quibus nihil aliud erat negotij, nisi benè nasatos perquirerent, eosq; ad aulam perducerent, vt illis se compolluerent.

Ferunt Augustum inter duodecim catamitos, totidemq; puellas accubare solitum. idem abiecta vxore Scribonia, amore alienæ coniugis possessus, Liuiam quasi marito concedente sibi coniunxit. quumq; esset luxuriæ mancipium, eius tamen vitiis seuerissimus fuit vltor. Testis Sex. Aurelius. M. Antonius dicebat eum adoptionem auunculi stupro meruisse. Fertur & Aulo Hircio in Hispania trecentis millibus nummum se subtrauisse. Idem solitus est suburere crura nace ardenti, quò mollior pilus surgeret. Suetonius.

Celmis vnus fuit ex Idæis Dactylis, qui matrem deorum Rheam violauit stupro. Sueton. apud Erasmum.

Tiberius Cæsar, auctore Tranquillo, cellariam excogitauit sedem arcanarum libidinum: in quam accersiti puellarum & exoletorum greges, monstrosiq; concubitus reperitores triplici serie connexi incestarent se coram ipso. in situis quoque uenereos locos excogitauit, commentusq; est, quibus impetrabat prostantes. instituit & pueros primæ neritudinis (quos piscículos vocabat) vt natanti sibi inter femina versarentur, ac luderent, lingua morsuq; sensim appetentes: eosq; quasi infantes firmiores, nec dum tamen lacte depulsos, inguini ceu papillæ admouebat. fertur & in sacrificando quondam facie ministri acerram præferentis ne quiuisse abstinere, quin pænè vixdum re diuina peracta ibidem statim seductum constupraret, fratremq; eius tibicinem quibus tamen postea crura infregit, quòd flagitium mutuò

exprobrabant.

Exercuit imperator Domicianus assiduitatem nimiæ libidinis, quam Clinopalen, id est, lecti palæstram vocabat. inter vulgatissimas meretrices quandoque natasse dicitur. fratris filiam adhuc virginem alteri collocatam viro corrupit. Suetonius.

Nicomedes rex Bithyniæ stuprum Cæsari intulit, non sine maxime vtriusque nota, theatricisq; conuiciis. extant enim C. Licinij versus: Bithynia quidquid & pædicator Cæsar vnquam habuit. Dolabella quoque Cæsarem ipsum pellicem reginæ vocabat. Curio stabulum Nicomedis, & Bithynicam fornicem. & Bibulus proscripsit collegam suum Bithynicam reginam, cui dicebat regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum. & C. Memmius obiecit ad cyathum & vinum Nicomedis stetisse, cum reliquis exoletis pleno conuiuio accubantibus. Gallico denique triumpho milites eius inter cetera carmina illud pronunciauerunt: Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem. Idem Sueton.

Amythone, Thelesippa, Megara, Atthys, Cidno, ancillæ fuerunt Sapphus, quibus Sappho ipsa ad libidinem vtebatur. eas enim subagitabat, & mutuò ab eis patiebatur. vnde in eius epistola ad Phaonem legitur: Vilis Amythone, vilis mihi candida Cidno, Non oculis grata est Atthys, vt antè meis.

Fuit Aristoteles in amore tam infelix, vt pellici sacra faceret, auctor est Mirandula super hymnos.

Hercules tanta in feminas licentia fuisse fertur, vt quinquaginta virgines vna nocte dicatur stuprasse. Ioan. Franc. Mirandula.

Periander Corinthius (qui tamen inter septem sapientes Græciæ numeratus est) rem habuit cum Melissa vxore (vel vt aliis placet) meretrice mortua. Herodotus lib. 5.

Alchidas Rhodius formoso cuidam simulacro se commiscuit, reliquitq; indices tam immoderate libidinis maculas. auctor Plin.

Anthia, vxor Prœti regis Argiuorum, Bellerophontem ad stuprum voluit inducere.

Gemellus Tribunitius lupanar domi suę instituit, in quo

Muciam & Fuluiam feminas illustres, nobilemq; puerum Saturninum prostituit.

Fecit Catilina multa stupra cum virgine nobili, & cum sacerdote Vestæ. postremò vt Aurelia Orestilla frueretur, filium eius veneno sustulit: quòd is iam adultus terrori esset matri, ne secundàm nuberet. Sallustius & Valerius.

ANIMALIVM, ET ALIARVM RERVM amatores.

SEmiramis adamauit equum, vt diximus, Pasiphæ dilexit taurum. Aristo Ephesius asinæ se commiscuit, Fulvius equæ.

Hortensius orator amauit murænam, quam atratus multos dies fleuit. Aristomachus Solensis tanto apum amore captus est, vt duodesexaginta annis nihil aliud fecerit. Hirsceus quoque Thasius apes coluit in desertis. Morum arborem ætate Plinij adamauit Passienus Crispus bis consul, olere lari complectiq; eam solitus, atq; etiam cubare sub ea, vinumque illi effundere. Multorum quoque litteris proditum est, amatam à Xerxe platanum. Iam diximus Crathidem pastorem amore capræ exarsisse, puerũ Athenienſem & Pygmalionem statuas adamasse, Alchidam Rhodium ad statuam se polluisse. Iunius Pisciculus simulacrum vnius è Thespiadibus pari feruore complexus est. Antonia Drusi murænam adeò dilexit, vt ei inaures & monilia addiderit. Cyparissõ tantus fuit in Cervam amor, vt ea mortua præ dolore quoque exspirauerit. P. Pilatus legatus Caij principis, imagines Atalantæ & Helenæ nudas à Cleophanto Corinthio pictas, earũ libidine captus, rapere conatus est.

AB ANIMALIBVS DIVERSIS AMATI.

EGesidemus apud Plinium testis est, Hermiam puerum adamatum à Delphino vectumq; per maria: quumq; tempestate subborta periisset Hermias, amasij perlicti dolore piscem in sicco exspirasse. varia sunt ibidem exempla de pueris ab huiusmodi piscibus adamatis. Argis puer, Olenus nomine, adamatus est ab anſere. Glauce quædam citharistria ab ariete. Lacidy philosopho anser adhæsit perpetuus comes, nusquam ab eo non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digressus. Plinius cap. 22. lib. 10. Apud Ciliciæ Solos Xenophontis puerum forma præcellentem dilexit canis. Cælius lib. 7. Spartæ quoque adolescentem graculus. Nicander apud Cælium testis est, gallo gallinaceo esse amoris intellectum in hominem. quod ne cui videatur fabulosum, ait, Secundũ (qui pincerna regius fuit in Bithynia) à gallo amatum eximiè, cui nomen foret Centaurus. Pueri nomen fuit Amphilochus, genere Olenius. In Leucadia virginem in tantum adamauit Pauo, vt ea mortua commoreretur. Educata à virgine apud Sestion vrbem Aquila retulit gratiam, aues primo, mox deinde venatus aggerens. quin dum mortuæ virginis cremarentur ossa, in defunctæ rogum se coniecit volucris, simulq; conflagrauit. Plinius lib. 10. cap. 5. Vrsus filiam cuiusdam patris familias in agro Suetico cum ancillulis lusum egressam, deturbatis comitibus rapuit, exceptamq; vnguibus præ se leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportauit. cuius egregios artus nouo genere cupiditatis aggressus, petitam lania tu prædam in vsum nefariæ libidinis vertit. effectus enim ex raptore amator, famem concubitu soluit, ardoremq; gulæ veneris satietate pensauit. Saxo Grammaticus lib. 10. historiæ Danicæ.

ZELOTYPI.

CYrce, filia Solis, vuefica, ægreferens Scyllam nymphã amatam à Glauco deo marino, fontem (quò illa se lauare consueuerat) infecit venenis. quo factũ est, vt Scylla in monstrum marinum sit conuersa.

Phanus quum vxorem haberet adulterij suspectam, atrijs fores sic occlusit, vt non nisi cum stridore sonituq; posset aperiri. verùm quum illa per tegulas adulterum intromitteret, vicini per iocum dicebant, Phani hostium. quo prouerbio innuebant aliquid seruatum frustra.

Procris suspicata maritum Cephalum alterius feminæ amore captum, eundem in siluas secuta est, delituitq; in dumis, vt obseruaret clanculum quid maritus faceret. quum autem vepres (in quibus latebat) aliquantum mouissent, Cephalus arbitratus esse feram, eam iaculo confodit. Plutar-

chus in Parall. Idem memorat de vxore Cyanippi, & vxore Aemilij adolescentis.

Dirce vbi sensit maritum suum Lycum amore Antiopæ captum, puellam raptam tauri ceruicibus alligauit. quo tormento cruciata Antiope, tantisper vociferata est, dum à vicinis fit concursum. Eras. in adag.

Memmius Romanus, quum ageret Tarracinæ, deperibat in quandam mulierculam non sine Largio quodam riuali. cū hoc igitur quum aliquando rixa incidisset, eò iracundiæ prouectus est Memmius, vt ipsi Largio brachium mordicus arripuerit. vnde fluxit adagium in vulgus, Lacerat lacertum Largij mordax Memmius. Erasmus in Chiliad.

Helena post mortem Menelai à Megapentho, & Nicostrato filiis Orestis fugata in Rhodum, ad Polyzo vxorem Tlipolemi peruenit, quæ iussit eam arbori suspendi ob viri zelotypiam.

CASTISSIMI.

PEnelope, Icari filia, nullis procorum blandimentis, nullis pollicitationibus adduci potuit, vt absente per viginti annos marito Vlysse, castitatem corrumperet. vnde Proper. libro 3. Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas, Quæq; terunt fastus Icarioti tuos. Idem: Nec fida Euadne, nec pia Penelope. Idem lib. 2. Penelope poterat bis denos salua per annos Viuere, tam multis femina digna procis. Ouid. lib. 3. Eleg. Penelope mansit (quamuis custode careret) Inter tam multos intemerata procos.

Daphne, Penei filia, fuit seruandę castitatis adeò studiosa, vt procos omnes reiecerit, ipsumq; Apollinem, quamuis perpetua iuuenta, intonsisq; crinibus speciosum. Ouid. lib. Metam. Multi illam petiere, illa auersata petentes Impatiens, expersq; viri nemora auia lustrat. Nec quid Hymen, quid amor, quid sint connubia, curat.

Biblia uxor Duillii Romani (qui primus nauali certamine triumphauit) tantæ fuit pudicitiæ, ut suo sæculo castitatis norma & speculum uideretur.

Plato de Republica testis est Asbylum athletam Crotoniatam perpetua uirginitate præditū fuisse ob studium cursus.

Martialis lib. 8. Cęsti pueri castitatem & formam commendat his verbis: Quanta tua est probitas, quanta est præstantia formæ, Cæste puer, puero castior Hippolyto. Te secum Diana velit, doceatq; natare, Te Cybele secum vellet habere Phryga.

Lucretia ob acceptum à Tarquinio stuprum, temeratāq; pudicitiam, facinus sua morte vindicauit.

Alexandrum Macedonem sunt qui libidinis arguant. contrà tamen reperiuntur exempla, quæ hoc ipsum refellant, & in eo doceant castitatem. nam & victi Darij vxorem filiasq; captiuas non solùm non corrupit, at etiam edicto cauit, ne quis aliquid in eas moliretur præter. vxorem & Berſanem è Damasco viduam, ac regiam mulierem, nullam aliam complexus est. puerorum insuper abstinentissimus, quorum viginti millia ad militarem disciplinam iubebat erudiri, quum tamen ætatis illius homines mascula & præpostera libidine passim obbrutescerent, Curtius lib. 3. & Gellius lib. 6. c. 8.

Democles puer, dubium maiore pudicitia, an forma corporis elegantiore, quum videret se ad stuprum solicitari à Demetrio Poliorcete, nec aliter vim tyranni importunam posset effugere, in proximum feruentis aquæ lebetem se cō iecit: ibiq; ad mortem durare maluit, quàm quid inhonestum perpeti. Plutarchus.

Amœbeas citharœdus tanta fuit castitate, vt vxorem (quam habebat formosam) nunquam attigerit. Aelianus apud Volater.

Apollonius Tyanæus philosophus à puero titillationes Venereas adeò repressit, & contudit, vt præsignis in eo nō fceretur castitas, à qua nunquam postea reclinauit. Cæl. lib. 8. cap. 6.

Fuit in athleta Clitomacho tanta castitas, vt si fortè canes vidisset coeuntes, statim vultum auerteret.

Chrysanthus Alexandrinus, eiusq; vxor Daria nomine, virgines manserunt in coniugio.

Ictus Tarentinus athleta nobilis, quum certò sciret corporis vires eneruari libidine, toto vitæ tempore durauit ex pers veneris. vt palæstricis ludis esset accomodatior. Volat.

Hippolytus Thesei filius, quum à Phædra nouerca adamaretur supra fidem, nullis tamen precibus adduci potuit, vt

ei congrederetur. Seneca: Exosus omne feminæ nomen fugit Immitis annos cælibi vitæ dicat.

Origines Adamantius virilia sibi amputauit, ne molestiæ sibi Venerem experiretur. imitatus Hierophantas Athenesium sacerdotes, qui sorbitione cicutæ se castrabant, quò mundius in sacerdotio viuerent.

Publius adolescens, L. Papirij cliens & libertus, quum domini stuprum pati nollet, in vincula & carcerem coniectus, & multis postremò plagis affectus est. maluit tamen egregius adolescens omnia tormenta corporis experiri, quàm præpostera illa Venere contaminari.

Pausanias Macedo per vim stuprum passus ab Attalo, provocauit ad Philippum, iniuriamq; non sine magna querimonia ad eum detulit. quem quum ridentem facinus, eoq; risu probantem conspiceret, iram in eum conuertit, exegitq; vltionem ab iniquo iudice, quam à stupratore non poterat. Trogus lib. 9.

Sophronia Romana mulier, quum vim & stuprum Decij principis non posset effugere, gladium mariti consensa arripuit, eoq; corpus sibi confodit, Eusebio teste.

Spurina adolescens, quum egregia sua forma, decorosq; aspectu viros & mulieres ad libidinem concitaret, faciem & pulchritudinem oris sponte vulneribus deformauit. Valer. Max. de Verecundia.

Veturius carcerem, plagas, diuersaq; tormenta maluit pati, quàm Cælio Plocio stuprandum se committere. Valerius de Pudicitia.

Zenobia regina Palymireorum tanta fuit castitate, vt ne cum uiro suo quidē, nisi prolis causa congrederetur. Trebellius Pollio.

Amos Aegyptius mulieri (quam in matrimonium duxerat) nunquam congressus est, quinetiam eidem amorem virginitatis in animum induxit.

Amianus Alexandrinus episcopus, beati Marci Euangelistæ discipulus, oculum sibi perforauit, quòd intritu pectorum pudico transeuntis feminas aspexisset. Sabellicus in exemplis.

Alfonsus secundus, Alphonsi Catholici nepos, & Hispaniæ rex, nunquam uxori congressus est. unde & casti meruit cognomentum. Volat. in Geogra.

Edelfrida Angliæ regina post primum partum abstinuit à viro.

Bellerophon Glauci Corinthiorum regis filius, quum à Stenoboea vxore Prœti Argiuorū regis efflictim adamaretur, nullis tamen precibus induci potuit, vt cum ea stuprū committeret. Tortellius.

Baldraca puella generis obscuri, peregrinæq; cōdicionis, quamuis multarum rerum ob paupertatem esset indiga, noluit tamen corporis sui copiam facere Othoni imperatori, quamuis montes & maria (quod aiunt) promittenti. Volater. in Geographia.

Xenocrates philosophus, quum magnam castitatis opinionem sibi comparasset, accessit ad eum Phryne meretrix, petitiq; partem lecti, quam concessit. nec tamen vllo noctis tempore attigit puellam, quamuis formosissimam. hinc illa manè rediens, dixit se nō à viro, sed à statua venire. quod argumentum est magnæ castitatis: nam proximæ voluptates magis titillant, & multos (quorum mores in tuto positi videntur) seducunt, & euerberant. Laertius, & Val. de Continentia.

Dula maluit à milite quodam interfici, quàm ab eodem violari.

Euphrosyna, virgo Alexandrina, virum mentita, domum patris Pannutij reliquit, ne ad nuptias cogeretur.

Edeltrudis regina, duobus in Anglia regibus nupta, castitatem semper illibatam seruauit, vtroque ad pudicitiam inducto.

Eduardus, tertius Anglorum rex, vxorem (quam duxerat) nunquam attigit. matrem Euinam (quam adulterij suspectam habebat) in cœnobium relegauit.

Petrus Vrseolus, dux Venetorum, post susceptum filium, vxorem nunquam attigit. quod vtriusque voto factum est. Volat.

Vandegisillo Comiti Palatino (qui sub Dagoberto rege floruit) quum per vim data esset vxor, eam ad amorem castitatis induxit. quo factum est, vt vterque in cœnobio se

incluserit.

Fara virgo fuit Gallica, clarissimis orta natalibus, Heraclio imperante: quam dum parentes Hagerricus & Leodegunda per vim cogere vellent ad matrimonium, in tantas prorupit lacrymas, vt inde cæcitatem contraxerit.

Vuenceslaus filius Bursinoi regis Boemorum perpetuam seruauit castitatem.

Cazimirus quoq; rex Poloniæ perpetuo cælebs & castus mansit.

Henricus primus imperator, perpetuam in matrimonio seruauit castitatem cum vxore Sinegunda. Bapt. Egnatius.

Iulianus martyr, & Basilissa vxor impolluti quoque manserunt in coniugio.

Isacius Conuenus imp. tanta fuit continentia, vt vxore nunquam inire voluerit post prolem semel ex ea susceptam: quamuis tamen ad morbi remedium medici consulerent, vt coitu frequentiore vteretur.

Ludouicus episcopus Tolosanus, Caroli secundi Siciliæ regis filius, ea fuit castitate, vt nulli prorsus feminæ præterquam matri, & sororibus, verba faceret: ne vel colloquio sanctitatem corrumperet.

Triptolemo, Cereris filio, quum pleræque virgines amplissimam offerrent dotem, ut cum eo nuptias contraherent, aspernabatur omnes & reiiciebat. Ouid. in Ibin: Filius ut Cereris frustra tibi semper ametur, Destituatq; tuas usque petitus opes.

Pudicissima femina semel matronarum sententia iudicata est Sulpicia paterculi filia. Plinius lib. 7. Valer. ult. cap. 8. lib.

Melanio quidam odio mulierum in solitudinem demigrauit, perque auia montium & nemorum cane uno feras insectari solitus est, nec unquam domum reuocari potuit. unde natum adagium, Melanione castior.

Rhodogune, uel Rhodope, Darij filia, mortuo marito, nutricem dedit morti secundas nuptias suadentem.

Corn. Tacitus scribit Pontiam quandam Romanam femi-
nam nullis uerborum lenociniis, aut pollicitationibus ad adulterium cum Octauio tribuno plebis committendum im-

pelli potuisse, quin ab eodem interfici maluisse.

P. Scipio Africanus expugnata Carthagine Hispaniæ ciuitate, virginem tempestiuam forma egregia, & nobili, vi ri filiam productam ad se, patri inuiolatam reddidit. Gellius lib. 6. cap. 8.

Quandiu C. Gracchus Sardiniam prouinciam administrauit, nulla meretrix introiuit eius domum, nulli pueri eximia facie ei ad cyathum steterunt. Idem Gellius.

Chiæ mulieres tãta fuerunt castitate, vt neq; adulterium, neq; illegitimus concubitus apud eas vnquam prodatur accidisse. Plutar. de Virtutibus mulierum.

Trebonius pudicæ sanctitatis miles Lusium Marij ex sorore nepotem, castitati suæ stuprum & insidias molientem dedit morti. Plutar. in Apoph.

Fertur Euripides perpetuo mulierum odio conflagrasse, siue quia natura esset talis, abhorreretq; à mulierum cœtu; siue quòd duas habuerat vxores simul, pro Athenienſium decreto: quarum matrimonij quum pertæduisset, toti sexui bellum indixit. Cælius lib. 13. cap. 10.

Iulianus imperator tanta enituit castitate, vt post amissam coniugem nihil vnquam Venereum attigerit. Ammianus Marcellinus lib. 25.

Syritha Synaldi regis Danorum filia, tantæ fuit pudicitiæ, vt quum ob elegantiam formæ magna procorum frequentia peteretur, neminem tamen inspexerit. Saxo lib. 7.

Dryas, Fauni filia, aspectum virorum vsque adeò refugit, vt in publicum prodire nunquam visa sit. quo factum est, vt vetitum sit, ne eius sacris interessent mares. Plutarchus.

Olim tanta fuit Patauinarum mulierum castitas, vt non nisi operta facie prodirent in publicum. Cæl. lib. 7. cap. 27

Vnde Martialis: Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Vda puella leges, sis Patauina licet.

Diogenes tragœdus ab vxore perpetuò abstinuit.

Pontius Aufidianus, vbi resciuit filiam à Fannio Saturnino pædagogo suo corruptam, vtrunque puniuit morte. Val. Max.

Pub. Meuius libertum (quem vnicè diligebat) propter illatum filiæ iam nubili oscului interfecit. Idē de pudicitia.

Q. Fabius Seruilianus, quum suspectam haberet filiæ pudicitiam, eam morti dedit; demum voluntario secessu conspectum patriæ vitans exsulauit. Val.

Pub. Atilius Philiscus, filiam suam interemit, quòd stupri se crimine coinquinasset. Idem Val.

Hippo, Græca mulier, capta à nautis, quum pudicitiæ suæ stuprum & insidias parari sensisset, noctu se in aquas præcipitem dedit, maluitque mori pudica, quàm impudica viuere. Val.

Captiuæ Theutonicorum coniuges, Marium victorem orarunt, vt ab eo virginibus Vestalibus dono mitterentur, affirmantes æquè se, atque illas virilis concubitus expertes futuras. qua re non impetrata, laqueis sibi nocte proxima spiritum eripuerunt. Val. & Hieron. in epistola ad Gerontiam.

Amator (qui postea Altisiodorensis fuit antistes) quum vxorem eleganti forma clarisq; natalibus ortam duxisset, eam tamen ad studium castitatis induxit: tantum aberat, vt ei congrederetur. Sabellicus.

Leo Pontifex manum (qua aliquando osculum matronæ contigerat) vltrò sibi abscidit, quòd inde secuta esset tacita quædam libidinis appetentia. Sabellicus.

Benedictus Abbas ad incestam recordationem mulieris à se visæ castigandam, vsus est crebra corporis volutatione super sentes. Idem.

Noluit beatus Augustinus habitare cum sorore, ne aliqua titillatio carnis aut pruritus suboriretur. Interrogatus cur hoc faceret: quoniam, inquit malum videre feminam, pelius alloqui, pessimum attingere.

Nulla vnquam femina à Ioanne Anachoreta visa est, nec ab vlla uideri uoluit.

Arsenius Abbas uiros omnes iuxtà & feminas ad sanctiorem uitæ cultum refugiebat.

Pion Ausonij Abbatis discipulus, dum congressum quoque mulierum solicitè declinaret, precibus expugnatus, ut sororem morbo laborantem inuiseret, alieno ductu clausisq; oculis eius domum subiit, ac retro abiit. Sabellicus.

Vrsinus Nursiæ presbyter moriens, quum uxorem (quam multis antè annis ad se uenire nulla de causa permiserat) adhuc

mortam sibi cognouisset, Facesse, inquit, mulier; nondum penitus extinctus est ignis. Idem.

Hilario Abbas ingenitam corpori concupiscentiam alloquens, dicere solebat: Conficiam te inedia, ut de cibo cogites, non de uoluptate.

Euagrius quoque Abbas ad reprimendam Veneris tentiginem, uaria tormenta membris suis irrogauit. nam & corpus inedia confecit, & hibernas plerunq; noctes in puteis egit, ut Bernardus Abbas in lacu, Aniumarus Tamanensis in aquis, Franciscus Assisias in hibernis niuibus. Sabell.

Iudith mulier uidua, quum ad recens connubium impelleretur, cilicium ornatu præcultè, obiectáq; libidini ieiunium, uigilias somno, & otio laborem, inquit Sabellicus.

Anna Phanuelis filia post septimum connubij annum uidua facta, ad quartum usque & octogesimum caste uixit. Idē Sabellicus in exemplis.

Esseni, populi Syriæ, uitam olim duxerunt alienam ab omni mulierum commercio, Venere abdicata. Plinius lib. 1. cap. 17.

Timoclia, mulier Thebana, stuprum à quodam Barbaro Thracum principe per uim passa, iniuriam hoc modo ulta est: Odio enim dissimulato, dixit stupratori se scire locum, ubi plurimum esset auri; perductusq; est ab ea ad profundissimum puteum, qui fuit in remotiore domus parte. quò quum Thrax explorabundus uenisset, & iamiam pronus immineret puteo, à Timoclia (quæ à tergo stabat) deiectus est in præceps, & saxis obrutus. Sabellicus.

Damon Peripolta, insigni forma adolescens, uidens Romanum quēdam præfectum Cheronæ, stuprum sibi per uim machinari, quia prius blandiendo nihil profecisset, ad pudicitiæ munimen aliquot socios conuocauit, qui omnes fuligine tincti, ne agnoscerentur, præfectum in foro sacrificantem obruncarunt.

Cyaneu virgo Syracusana, uiolatam ab ebrio patre pudicitiam ægreferens, apprehensum capillis stupratorem ad arā traxit, eumq; pro uictima cecidit, ad pacandam pestem, qua propter facinus Syracusæ laborabant. Plutarchus in Parall.

Medullina quoque uirgo Romana ab ebrio patre in tene-

bris violata, vt stupri auctorem agnosceret, digito eius anulum detraxit. vbi ex pignore patrem esse comperit, eundem ad aram gladio confodit. Idem auctor.

Absalon Amon fratrem occidit, quòd immodestè Thamar sororem communem deperibat, eiq; vim intulerat.

Constantinus imp. Crispum filium capite puniuit, quòd nouercam Faustam stupri compellasset.

Hieron Syracusanus Epicharmum poetã multauit, quòd præsente ipsius coniuge lasciuos recitasset versus.

Martia, Varronis filia, quum suo seculo sculpendi, pingendiq; arte insignis haberetur, abstinuit semper ab effingenda virili figura, ne pudibunda quoque exprimeret.

Eugenia virgo, Philippi proconsulis Alexandrini filia, quum ab imperatore Commodo stuprum sibi timeret, monachi habitum mentita est, & nomen.

(Ioannes Malatesta vxorem nomine Franciscam, in complexu Pauli Malatestæ fratris sui deprehensam, gladio transfixit vnà cum adultero.

Ludouicus quoq; Nortmanniæ seneschalus Carlottam vxorem cum Ioanne Lauerno eius adultero, morti dedit.

Franciscus Gonzaga Agneti adulteræ caput adimi iussit.

Rodulphus quoq; Gonzaga, quum vxorem adulterij compertã haberet, eam vnà cum adultero in concubitu deprehensam occidit.) hec quattuor exẽpla non rectè hic posita sunt.

Pastor presbyter & Anachoreta, matrem ad se venientem cella clausa repulit, causa seruandæ castitatis.

Hugo Carthusiensis per annos xv. mulieris faciem nunquam videre voluit.

MVLIERES DOCTÆ.

CORinnæ tres fuerũt. Prima Thebana, seu Tanagræa, Archelodori & Procratiæ filia, & Myrtidis discipula, quæ Lyricorum principem Pyndarum quinquies vicisse, & epigrammatum quinq; libros edidisse fertur. de hac Proper. lib. 2. Et sua cum antiquæ cõmittit scripta Corinnæ. Statius lib. 5. Sil. Secunda fuit Thespia, veterum quoque monumentis celebrata plurimùm. Tertia floruit Ouidij temporibus, poetæ carissima.

Erinna poetria Teia, aut Telia (est enim Telos, insula

propè Gnydon) floruit Dionis Syracusani temporibus. scripsit Dorica lingua elegans poema, trecentis versibus absolutum, aliaq; item epigrammata. ferunt eius carmina ad Homericam accessisse maiestatem. mortua est annos xix. nata. Propertius lib. 2. Carminaq; Erinnes nõ putat æqua suis.

Sappho Lesbia Lyrica, floruit temporibus Alcæi & Stesichori poetarum. maritum habuit Cercylam ditissimum virũ ex Andro, ex quo filiam suscepit Clio nomine. scripsit Lyricorum libros ix. præterea epigrammata, elegias, iambos, & monodias. carmini Sapphico (cuius inuentrix fuit) dedit nomen. Sunt qui dicant aliam fuisse Lesbiam, poetriam quoq;, quæ adolescens Phaonem adamauerit, & è Leucade in aquas se demiserit. utracunque fuerit, unam tantùm commendant Latini poetæ. Statius lib. 5. Sil. Stesichorusq; ferox saltusq; ingressa uiriles, Non formidata, temeraria Leucade Sappho.

Polla Argentaria, Lucani fuit uxor (testimonio Martialis: Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus Lucanum populis, & tibi Polla dedit.) Tanta dicitur fuisse doctrina, vt maritum iuuerit in emẽdandis tribus primis libris Pharsaliæ. Statius lib. 2. Sil. Huc castæ titulum, decusq; Pollæ, Iucunda dabis allocutione. Eadem incœptos permultos uersus perficiebat pari grauitate & elegantia.

Aspasia, mulier Milesia, magna doctrinæ fama claruit: in studiis philosophicis abunde promouit: rhetoricen exercuit. fuit Periclis magistra, & tandem vxor. Plutarchus in Pericle.

Cleobulina Cleobuli Lindij (qui fuit unus ex septem sapientibus Græciæ) filia, scripsit ænigmata quædam uersibus hexametris, quorum unum adhuc extare fertur. Est unus genitor, nati bona pignora bis sex, Triginta cuius natæ, sed dispare forma. Hæ niueæ aspectu, nigræq; coloribus illæ, Atque immortales omnes moriuntur ad unam. Laertius.

Cornificia, soror Cornificij poetæ, elegantissima scripsit epigrammata.

Cornelia, uxor Africani, & mater Gracchorum epistolas reliquit ornatissimè scriptas, unde & filiorum fluxit eloquẽ

tia. vnde Quinctil. Nam Gracchorum eloquentiæ (inquit) multùm contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoq; est epistolis traditus.

Idem de filiabus Lælij, & Q. Hortensii sic inquit: Lælij filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam elegantiorem dicitur. & Q. Hortensij filiæ oratio apud Triumuiros habita legitur, non tantum in sexus honorem.

Liciniarum quoq; in dicendo lepos à patre L. Crasso emanauit.

Muciæ duæ filiæ ab vtroque parēte eloquentiā didicere.

Anastasia, discipula Chrysogoni martyris fuit, & vxor Publij Romani, cuius torum simulato morbo euitauit. scripsit epistolas ad Chrysogonum, quibus conquerebatur sæcultates suas à sacrilego viro absumi, seq; in carcere detineri. hæc ad palum cremata est, quòd sanctis ministraret. Volat.

Damophila Græca, vxor Pamphili, socia Sapphus poetriæ, poemata scripsit amatoria, & Dianę laudes. Theophrastus in vita Apollonij.

Hypathia, mulier Alexandrina, Theonis Geometrę filia, & vxor Isidori philosophi, vixit imperante Arcadio. scripsit in astronomiam, professa Alexandriæ varia disciplinarum genera magno & frequenti auditorio, conuolantibusq; turmatim, & vndecunque discipulis. Suidas apud Volat.

Leontium, Græca adolescentula, philosophicas disciplinas adeò sectata est, vt etiam non dubitauerit cum magna sui nominis laude in Theophrastum philosophum, alioqui laudatissimum, scribere.

Praxilla Sicyonia fuit poetria, quę in suis carminibus Adonidem inducit ab inferis interrogatum, quid apud inferos pulcherrimum reliquerit: respondere Solem, Cucumeres, Mala. quod quum vehementer insulsum videretur, cucumeres, & mala cum Sole componere, fluxit inde prouerbium, Srultior Praxillæ Adonide. in homines nullius iudicij. vide Erasmum.

Phemonoe prima Apollinis Delphici vates fuisse, carmēq; heroicum inuenisse dicitur. Suidas apud Volat.

Sosipatra, vates fuit Lyda, multis disciplinis cumulatissima, quam propterea creditum est à numinibus quibusdam fuisse educatam. Eugapius apud Volat.

Theano, mulier fuit apud Locros, in Lyricis præcellēs. alia fuit Metapōtina, seu Cressa genere, mulier Pythagoræa, vxor Brotini Crotoniatæ: quæ scripsit commentarios in philosophia, de virtute, poemata quoque & apophthegmata Pythagoræa. Laertius.

Zenobia, regina Palmyreorum, Græci Aegiptiiq; sermonis fuit peritissima, & Latini non ignara. scripsit epitomen in Orientalem Alexandrinamq; historiam, Herennianum, & Timolaum filios litteris erudiit. elegantissimas orationes ad milites suos plerunque habuit, quas Galeata recitabat. Pollio Trebellius.

Alpaides virgo, quum religionem magno cultu ampleteretur, cælitus meruit, scripturæ sacræ bibliorumq; sensum percipere.

Delbora mulier de tribu Effrain vaticinio claruit.

Ioanna Anglica ab ephebis virum mentita, Athenas se cōtulit, vbi litteris studiosè adeò operam impertiuit, vt Romam rediens, paucos haberet doctrina pares in sacris litteris. vnde tantum apud omnes beniuolentiæ & auctoritatis sibi demerit, vt artibus illis pontificatum sit adepta post Leonem quartum, quum vir esse crederetur. Sabell. libro 19. Aen.

Lucceia Mima, auctore Plinio, centum annis in scena pronunciauit.

Lastheniam Mantineam, & Axiotheam Phliasiam Plato ne vsas præceptore scribit Plutarchus, ornatuq; interim virili auditorium ingressas. Laertius.

Michale, Centaura mulier, docuit Thessalas remedium amoris. Seneca.

Diotima & Aspasia mulieres adeò in philosophicis promouerunt disciplinis, vt alteram Diotimam appellare magistram, alterius lectionibus interesse non erubuerit Socrates, philosophorum omnium longè optimus. Plato ī Symp. & in Menexemo.

Lactantius ait, philosophos nullas vnquam mulieres philosophari docuisse, præter vnam ex omni memoria Themi-

stem. sed quænam hæc & cuias fuerit, non docet.

Arete mulier eò doctrinæ conscendit, vt filium etiam instituere, qui appellatus est Aristippus. fuit Cyrenaica, & Aristippi patris Socratici dogma secuta est. mortuo patre scholam rexit in philosophia magno & frequenti auditorio.

Dama Pythagoræ filia, & ipsa philosophiæ sectatrix, ingenium & doctrinam in exponendis paternis sententiarum involucris exercuit.

Thargeliam quoque feminâ sola illustrauit philosophia. Plutar. in Pericle.

Ferunt & Musam poetriam fuisse Lyricam, quæ & epigrammata scripserit, & lyricos nomos. Cæl. cap. 1. lib. 8.

Fuit & multorum carminum auctor Charixena, cuius meminit Aristophanes comicus.

Celebratur item Mœro, condito in Neptunum hymno.

Fuit Agallis Corcyræa illustris in arte grammatica, cui inuentum pilæ nonnulli adscribunt. Cæl. ibidem.

Telesillam in poetica illustrem celebrat Pausanias, cui etiam apud Argos ante Veneris templum statua sit erecta. hanc Fulgosus Thelesellidem vocat. Plut. in lib. de virtutibus mulierum.

Philosophicis quoque disciplinis valde excelluit Hipparchia mulier Græca. Laertius de Hipparchia.

Cassandra Priami filia, vaticinio & doctrina illustris habita est, & apud hostes in Lacedæmone têplo fuit insignita.

Statius Papinius vxorem habuit nomine Claudiam, magno ingenio, doctrinâq; non vulgari præditam.

Eudoxia Theodori iunioris vxor præter egregiam formam, singularemq; pudicitiam etiam litteris excelluit, adeò vt librum quendam emiserit. Egnatius.

Istrina Scytharum regina Aripithis vxor, Sylem filium Græcam linguam litterasq; edocuit. Herodotus in Melp.

Politianus magnis laudibus commendat Cassandram Fidelem Venetam puellam, quam ait pro lana librum, pro fuso calamum, stylum pro acu tractasse, Latinasq; epistolas scripsisse. sic enim de ea in principio cuiusdam epistolæ meminit: O decus Italiæ virgo, quas dicere grates, Quas ve re ferre parem, quòd etiam honore me tuarum litterarum dedignaris, &c.

Themistoclea, soror fuit Pythagoræ, cuius placitis & opinionibus plerisque in locis vsus est Pythagoras.

Proba Valeria, Romana puella, Græcis Latinisq; litteris eruditissima, truncatos Virgilij versus, ad fidem & mysteria Catholicæ religionis conuertit, fecitq; de CHRISTI gestis, & eius morte opus nobilissimum. quòd Centones appellauit.

Amaltheę Sibyllæ Cumanæ libris non secus ac diuinis oraculis in imperij administratione populus Romanus semper vlus est.

Elizabeta, Abbatissa Germanica, multas orationes ad sui conuentus sorores conscripsit, opusq; de viis, quibus ad Deum itur.

Baptista prima Galeatij Malatestæ Pisaurienſis principis filia, & Guidoni Montefeltrensi Vrbinatium Comiti matrimonio copulata, cum doctissimis viris plerunq; magna sui laude disputauit; libros quoq; de humana fragilitate, & de vera religione, conscripsit.

Isota Nouarrolla, Veronensis, philosophiam uerbo & opere professa est. scripsit quandoque ad Nicolaum quintum, & Pium secundum pontifices. scripsit quoque dialogum, quo disputatur uter grauius peccauerit, Adam ne, an Eua. quibus litterarum laudibus adiecit perpetuum uirgini tatis uotum.

Minerua Iouis primi filia non aliam ob causam relata est in numerum deorum, quàm propter bonarum artium (quarum fuit inuentrix) peritiam. unde & ueteres illæ Athenæ sui nominis immortalitatem mutuatæ sunt.

Manto, Tyresiæ uatis filia (quæ Mantuæ nomen indidit) doctrina quoque & uaticiniis claruit, adeò ut ex pecudum fibris, extorumq; intuitu, futura præsentisceret, ac præfagiret.

Nicostrata, seu Carmentis, Græcas litteras impensè docta, plerasq; ex Latinis primùm reperit. quo coniectare licet mulierem uersatili ingenio, uariaq; doctrina fuisse præditam.

Catharina uirgo, Costi Alexandriæ regis filia, sacris lit

teris partim studio, partim diuini spiritus afflatu adeò fuit imbuta, ut accersitos à patre undecunque doctissimos uiros & philosophos ad persuadendam idololatriam, refellendáq; unius dei religionem, uiuacissimis terruerit argumentis, suáq; opinioni attraxerit; nedum non succubuerit eorum rationibus.

Fabiòla, Romana mulier, quum magno studio sacras litteras amplecteretur, prophetias, euangelia, & psalmos frequentissimè reuoluebat, ut iterata plerunque lectio amorem diuinæ religionis (qua deflagrabat) augeret uehementius. unde & beatus Hieronymus librum de ueste sacerdotali eidé nuncupauit.

Marcella Romana propter sacras litteras (quas egregiè callebat) frequentibus epistolis à beato Hieronymo salutata est. ad eam enim scripsit, de mundi contemptu, de decé nominibus, quibus apud Hebræos dicitur Deus, de fide uostra & hereticorũ doctrina, de blasphemia in Spiritum sanctum, de studio Theophili episcopi Alexandrini, & alia id genus permulta.

Eustochium Paullæ mulieris Romanæ filia Latinarum, Hebraicarum & Græcarum litterarum studiis plurimum excelluit. unde & suo tempore nouum orbis prodigium nocata est. ingenium sacris litteris deuouit maximè, atque adeò, ut psalmos Hebraicè legeret cursim & mira celeritate. qua in re amorem beati Hieronymi multum sibi demeruit.

Genebria mulier natione Veronensis tempore Pij secũdi pontificis Romani, sua egregia eruditione meruit nomen immortale. epistolas scripsit luculentas & maxima referras doctrina. recitabat decoro gestu, uoce uirili permista suauitate.

Constantia, Alexandri Sfortiæ uxor, numeratur inter eas mulieres, & excellentes doctrina. ab infantia bonis disciplinis operam dedit, adeò ut imperata quoque disertissimè loqueretur. habebat assiduè præ manibus opera Hieronymi, Ambrosij, Gregorij, Ciceronis & Lactantij. ualebat etiam scribendis ex tempore carminibus, non sine magna multorum admiratione. quod sine præceptore ferebatur didicisse. Nec defuit tam illustri fœminæ germen simile. habuit enim filiam Baptistam nomine, tanta doctrina, ut do-

ctissimos quosq; sua terreret eloquentia. Politianus in Nutricia plerasq; mulieres doctas & eruditas carminib. enumerat.

MVSÆ NOVEM.

Mvsas poetæ fingũt esse Iouis & Mesemoriæ, Mnemosynes filias, quòd doctũ oporteat fœcunda esse memoria. dicunt insuper has Musicæ præesse, & carminum inuétrices uocant, quòd Musa cantum significet, & poesis proximè ad Musam accedat, quum præsertim & numeris constet, & prosodia. Fingunt earum sedem esse in Helycone, Bœotiæ monte, prope Phocidem, à quo, ut à cõfinibus locis, diuersa meruerunt nomina. Vocantur siquidem Helyconides, & Helyconiades ab Helycone: Parnasides, à Parnaso Phocidis monte, ubi etiam finguntur habitare: Aonides, & Aoniæ, ab Aonia, quæ est propinqua Phocidi: Cytheriades, à Cytherone Bœotiæ monte: Pierides, à Pieria regione Macedoniæ, ubi etiam Musarum domus esse dicitur: Thespiades, à Thespia oppido Helyconi propinquo: Pegasides, à Pegaso equo Bellerophontis, qui pedum ungulis fontem è terra dicitur elicuisse, sacrum Musis, nomine Hippocrenem, à quo & Hippocrenides dicuntur: Libethrides à Libethro Macedoniæ monte sibi sacro: Pymplæides, seu Pymplææ, uel à Pymplæo Macedoniæ fõte, uel monte Orchomenorum: Castalides quoque pari ratione dicuntur à poetis, à Castalio fonte Parnasi, quẽ etiam sacrum musis fabulantur. Supereſt, ut hæc omnia testimoniis confirmemus: Virgilius in Bucolicis Nymphæ noster amor Libethrides. Columella lib. 11. Nunc uos Pegasidum comites Acheloidas oro. Ouidius in epistola Sapphus. At mihi Pegasides blandissima carmina dictant. Idem ibidem: Nec mihi Pierides subeunt, Dryades ue puellæ, Nec me Thespiadum cetera turba iuuat. Lucretius lib. 3. Adde Helyconiadum comites, quorum unus Homerus. Ouidius lib. 4. Fastorum: Pandite mandati memores Helyconis alumnæ. Statius lib. 1. Sil. Nunc opus Aonidum comites tripodamq; ministri. Idem lib. 2. Sil. Et superet Pymplæa sitim. Sidonius: Hippocreni satas iungebat Pegasus alas. Dicuntur etiam Aganippides, & Aganippeæ, ab Aganippe Bœa-

tiæ fonte. Marullus: Nec melior vita scientia est, Exemploq; Aganippidum. Item Iliſſiades, à fluuio Athenarum: Ligyæ, ob canorum genus: Corycides, à colle vel antro apud Delphos: Mnemoſynides, à memoria. Calliope dicitur bona vox: Clio, gloria, vel celebritas: Erato, amor, vel cantus amoris: Thalia, cantus laſciuia: Melpomene, cantus: Terpſichore, exultans choreis: Euterpe, concentus ſuauitas: Polyhymnia, multitudo cantionum, & hymnorum. Varia ſunt earum inuenta. Clio inuenit hiſtoriam, Thalia georgiam, & circa plantas pragmatia, Euterpe mathemata, Terpſichore pædiam, Erato orcheſim, polyhymnia lyram, Melpomene cantum, Vrania aſtrologiam, Caliope poeſim. Muſis in Helicone rem primùm diuinam fecerunt Othus, & Ephialtes: ſacrumq; illis dixerunt montem, quas tres tantùm intelligi voluere, Meleten, Mnemen, Aœden. Nouem poſtea fecit Pierus Macedo nominibus (quæ nunc habentur) impoſitis, inquit Cælius cap. 8. lib. 10.

GRATIÆ TRES.

QVas vocamus Gratias Latinè, Græci Charites vocât. Heſiodus poſuit Aeglen, Euphroſynen, & Thaliam. Homerus vnam ex his Paſytheam vocat. De Euphroſyne Bap. Pius: Geſtibus Euphroſyne blandus amor oculis. Pinguntur autem facie virginum, hilari vultu, veſtibus lucidis & fluentibus: item vt iuuenes, manibusq; complexis ſeipſas inſpicientes. Inducuntur à poetis ſaltantes verno tempore. Vnde Horatius: Iunctæq; nymphis Gratiæ decentes Alterno terram quatiunt pede. Politian. in Ruſt. In medijs reſoluta comas, nudata papillas Ludit, & alterno terrâ pede Gratia pulſat. De Paſythea Statius lib. 2. Theb. Non hoc Paſythea blandarum prima ſororum. Finguntur Iouis & Eurynomes fuiſſe filiæ, & Veneris pediſſequæ.

SIBYLLÆ DECEM.

FVerunt primis ſęculis puellæ vaticinio ſpiritu affatæ, & futura præſagientes, quas Sibyllas dixerunt. decem autem ſcribit fuiſſe Varro. Cumana proprio nomine vocatur Amalthea, à Virgilio Deiphobe. Tiburtinam veteres, Albuneã appellarunt. Polit. in Nutricia quaſdam enumerat his verbis:

quin & veteres prompſere Sibyllæ.
Carmen Amalthea, & fati Marpeſia diues,
Herophileq; Idæa genus, prædoctaq; Sabbe,
Demoq; Phygoq; & veri gnara Phœnnis,
Et Carmenta parens, & Manto, & Pythia longos.
Phœmonoe commenta pedes, & filia Glauci
Deiphobe. ſed hæc fortè nomina ſunt aliarum Phœbadũ. Herophile ex Ioue, & Lamia, Neptuni filia, genita eſt. prædixit excidium Troiæ, & Helenæ raptum. Lactantius ſcribit, Amaltheam eandem eſſe cum Herophile, ſeu Damophile. Qui omnium vaticinia volunt cognoſcere, videãt Lactantium.

FEMINARVM QVARVNDAM illuſtrium nomina. Vxores.

HEcuba vxor Priami, Andromache Hectoris, Creuſa Aeneæ, Artemiſia Mauſoli, Monyma Mithridatis, Erſilia Romuli, Herpilida Ariſtotelis, Hipſicratea Mithridatis, Amaſtrix Xerſis, Hermodice Midæ, Semiramis Ninj, Fundania Varronis, Plotina Traiani, Caſſandane Cyri, Atoſſa Darij, Penelope Vlyſſis, Dido Sichæi, Porcia Bruti, Poppea Neronis, Eurydice Orphei, Pirrha Deucalionis.

Matres. Perictione mater Platonis, Ceres Proſerpinæ, Agrippina Neronis, Alcmena Herculis, Veturia Coriolani, Olympias Alexandri, Helena Conſtantini, Critheis Homeri, Beronice Ptolemæi Philadelphi, Ilia Romuli, Elbia Ciceronis, Aurelia Iulij Cæſaris, Alcimede Iaſonis.

Filiæ. Caſſandra filia Priami, Heſione Laomedontis, Helena Ledæ, Muſæ Iouis, Proſerpina Cereris, Aegina Aeſopi, Andromeda Cephei, Ariadna Minois, Hypermneſtra Danaï, Niobe Tantali, Polixena Hecubæ, Deidamia Lycomedis, Europa Agenoris, Hypſiphile Thoantis, Ino Cadmi, Latinia Latini regis, Maia Atlantis, Antigona Iocaſtæ, Manto Tyreſiæ, Veſta Saturni, Direptis Mithridatis.

Reginæ. Semiramis regina Aſſyriorum, Camilla Volſcorum, Nicaula ſeu Saba Aethiopum, Athalia Hebræorum, Thomyris Scytharum, Heſter Perſarum, Cleopatra Aegy-

pti, Zenobia Palmyreorum, Amalasuntha Gothorum, Theodolinda Longobardorũ, Radegundis Franciæ, Cassiope Aethiopum, Harpalice Amazonum, Hippolyte Magnesiæ, Teuca Illiricorum. Item Minerua, Rhea, Iuno, Iris, Diana, Delbora, Medea, Nicostrata, Penthesilæa, Sappho, Iudith Hebræa, Lucretia, Cloelia, siue Chœlia, Irene imperatrix, Ioanna Gallica, Briseis, Phyllis, Dirce, Erigone, Iuturna soror Turni, Oenone amica Paridis, Dionaïla Lycurgi Aethiopũ, Amazones oẽs, Sibyllæ, Poetriæ, Atalanta venatrix, Nysa, Scribonia, Victoria, Elpinice, Faunia, Hyparetha, Locris, Macaria, Metella, Myrrha, Nycia, Olbia, Papiria, Perictoria, Phestias, Phila, Phitais, Sandone, Seruilia, Sophonisba, Stratonice, Terentina, Telta, Tymea, Tymoclia, Nausica, Victorina, Sisigambis, Cæcilia, Panthea, Phedalia, Thargelia, Mammea, Theodora, Phyra, Nitocris, Euryale, Hiera. Sunt & aliæ propè infinitæ, quarum nuda nomina crescerent in volumen. nec ego commentarium hac in re volui contexere, quum quòd esset operis propè infiniti, tum etiam ne alienis vestigiis insisterem. nam hoc iam negotium præmoliti sunt Boccacius, & aliquot alij. Si cui videbor inaudita cõfinxisse nomina, legat Plutarchi vitas. reperiet eorum (quæ videntur inusitata) partem non modicam.

MVLIERES BELLICOSÆ, ET masculæ virtutis.

PEnthesilæa Amazonum regina, muliebrem aspernata mollitiem operibus semper (quæ virum decent) innutrita est. Troianis fauit contra Græcos, fuitq; vexillifera, & turmas equitum duxit. Proper. lib. 2. Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis Mœotis Danaum Penthesilæa rates: Aurea cui postquam nudauit cassida frontem, Vicit victorem candida forma virum. Virg. libro 1. Aeneid. Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthesilæa furens.

Cunabula Camillæ Volscorum reginæ manifestum futuræ virtutis lumen promiserunt. nam ab ipsa iam tum infantia, non molliculis inuoluta est pannis, non à blandientibus

nutriculis educata, sed à patre Metabo in mediis siluarum latebris ferino lacte pasta est. relictis demũ crepundiis paulò prouectior facta, neque tractandis insueuit lanis, nec fusos aut pensa manibus accepit, sed ferinis amicta pellibus, fundas cœpit circumagere, complicare arcus, sagittas torquere, ceruos & capreas lassare cursu. cui virtuti adiecit studium virginitatis. orto demum inter Turnum & Aeneam bello, Rutulis adhæsit, fuitq; ductrix copiarũ. quã eius virtutem Virgilius in fine 7. sic describit: Hos super aduenit Volsca de gente Camilla.

Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas, &c.

Cleopatra Aegypti regina, Dionysij Auletis filia, quum mortuo iam Cæsare Antonium lasciuientibus momordisset oculis, & in amorem sui pellexisset, præter Syriæ & Arabiæ regnum ausa est Romanum quoq; imperium sperare. quum ergo magis ac magis in dies crescret libido principandi, imperium ipsum ab Antonio petere non dubitauit. quod quum exorasset, sumptis cum eo armis, in Augustum, eiusq; generi Agrippam copias duxit, monitq; bellum, cuius fortuna anceps aliquandiu pependit. victis ad extremum Antonianis effrænata mulier cecinit receptui, ac se in pedes dedit cum adultero. quos secutus victor Augustus ita oppressit, vt neglecta pacis condicione, Antonium ad inferendam sibi mortem compulerit. quo extincto, vbi nullum rebus afflictis subsidium vidit Cleopatra, brachium aspidi mordendũ præbuit, ne in triumphum captiua raperetur. De hac Propertius libro 3.

Scilicet incesti meretrix regina Canopi
Vna Philippæo sanguine adusta nota,
Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubim, &c.

Helerna, Iani filia, mortuo patre apud Tiberim regnauit, præfuitq; viris sine virili auxlio.

Apud Meroen quoque principata est Candace regina, & imperauit Aethiopum genti.

Semiramis regnandi libidine tota pruriens petiisse fertur à marito Nino, vt quinque dies tantùm imperaret, & sceptro veteretur. quod quum exorasset, satellitibus iussit, Ninum vt interficerent. hoc itaque modo regnum consecuta,

Assyriis tantisper dominata est, dum à Nino rege iuniore filio interfecta sit, quòd eius concubitum rogasset. eadem muros Babylonis condidit, aut à Nitocri regina conditos auxit, & reparauit.

Hippolyte Amazonum regina, quum instar ceterarũ bello insuescerent, ausa est arma capere in Theseum, à quo expugnata, & in vxorem ducta est. Propertius: Felix Hippolyte nuda tuli arma papilla, Et texit galea barbara molle caput.

Zenobia, Palmyreorum regina, post mortem Odenati mariti sui imperium arripuit in Syria: nec dubitauit arma capere in Aurelianum imperatorem, à quo victa, & in triumphum ducta est. quum autem probro daretur ipsi Aureliano, quòd de ea triumphasset, Nihil, inquit, me pudet de femina triumphasse, quæ virtute plus, quàm virili sit prædita. Pontanus: Qualis & Aethiopum quondam sitientibus aruis In fuluum regina gregem sese armat, & audet Solape desse irato obiectare leoni, Insigniq; arcu, & duplici Zenobia telo.

Hypsicratea Mithridatis coniux in omni bellorum discrimine adiutrix astitit marito. quinetiam capillos sibi rasit, ne serendę galeæ essent impedimento.

Valasca Boemorum regina, facta cum ceteris mulieribus coniuratione de excutiendo virorum principatu, copiarum ductrix bellum mouit, interfectisq; viris, feminas omnes asseruit libertati, adeò vt Amazonum instar multos annos principatæ sint sine viris.

Regnante apud Gallos Carolo septimo, quum Angli omnia populabundi passim irrũperent, deuastarentq; omnia; & iam prospero fortunæ Zephyro adiuti, nihil sibi non pollicerentur; desperatis Gallorum rebus adfuit Ioanna, magni spiritus virguncula, quæ attritos Gallos animans ad vltionem, & libertatis gloriam, prima belli campum ingressa, non prius suos hortari & ipsa certare desiit, quàm hostem in fugam verterit, reportata victoria.

Artemisiam reginam Cariæ, & Mausoli coniugem, mirantur Græci, quòd irruentes Rhodios classe exuerit, insuper quoq ue domuerit, erecta in vrbe statua, quæ ciuitati

stygmata uideretur inurere. Herodotus ad hunc modum de ea scribit: Verùm (inquit) Artemisiæ præcipua me tenet admiratio, mulieris expeditionem aduersus Græciam secutæ, quæ defuncto viro, nulla adacta necessitate, sed præstantia animi atq; virilitate in militiam concessit. Nomen ei erat Artemisiæ Lydami filiæ: paternum genus ex Halicarnasso, maternum ex Creta. hęc Halicarnassęis & Cois, & Nisyriis, & Calydniis quinque cum naualibus venit omni copia instructis.

Vulgata est, & nota Amazonum virtus, quæ reiecto viro rum & principatu & commercio solæ sibi imperauerunt, suamq; libertatem armis defenderunt.

Atalanta venatrix fuit Arcadica, vibrandis iaculis, & arcubus complicandis assuefacta, quæ inusitatæ magnitudinis aprum, vniuersæ formidolosum Aetoliæ, prima aggressa est, & vulneranit vnà cum Meleagro. Pontanus libro 3. de Stellis, de hac puella, eiusq; virtute sic meminit:

Qualis in Aetolum campis Meleagria virgo
Strauit aprum, primamq; manu stringente sagittam
Intorquens, ausa est spumanti occurrere monstro.
Mox læta & spoliis, famosa & cæde superba.

Thomyris Scytharum regina pontentissimo Persarum regi Cyro bello congressa est, ipsumq; & vita & castris spoliauit, ad vlciscendam filij mortem, quem ille prius occiderat. Herod. libro 1.

Delbora mulier bellatrix imperauit Israelitis, quos ab incursionibus vicinorum plerunque tutata est quorumq; rẽp. & imperium variis auxit honoribus.

Virtutem Hasbites feminæ bellis exercitæ sic describit Sylius lib. 1.

Hæc ignara viri, vacuoq; assueta cubili,
Venatu & siluis primos defenderat annos.
Non calathis mollita manus, operata ve fuso.
Dyctinnam & saltus, & anhelum impellere planta
Cornipedem, ac strauisse feras immitis amabat.

Idem lib. 2 ait, Tiburnam Sagunthinam fuisse feminam Murrhi vxorem & bellatricem.

Teuca Illyricorum regina viris fortissimis imperauit. P.

Iunium, & T. Coruncaium legatos ſumma Romanorum iniuria interemit. fuit Argonis vxor. Plin. lib. 34. cap. 6.

Lacęnæ mulieres virorum obibant munera, ſeſe in gymnaſio, in bello, in venatione exercentes. hæ cum viris in certamen aduerſus Meſſenios fortiter deſcenderunt.

Margarita, Henrici ſexti, Britanniæ regis coniux, aciem viri deficientem reſtituit.

Gaditanæ mulieres à partu ſtatim ſurgunt, miniſteriaque domus obeunt.

Olim Germanorum mulieres, inclinatam aciem, & iam ad Triarios vergentem, reſtituerunt.

Bellouacæ mulieres à Carolo Burgundiorum duce longa obſidione fatigatæ, mœnia defenderunt, & obſeſſorem è ſcalis in foſſas vrbis detruſerunt, reportatis ad ſuos vexillis.

Lesbia puella murorum parte machinis Turcarum detecta, oppidanis fugam aut deditionem meditantibus ſalutem peperit. obtulit enim ſe primam impetui, & iaculis inimicorum pro tutandis ipſis muris.

Amalaſuntha, Gothorum regina, principata eſt apud Rauennam: Burgundiones, & Alemanos Liguriam populantes Italia pepulit, adiuuante Theodato, quem regnis conſortem ſuſceperat. Volat.

Maria Puteolana, à Puteolis Campaniæ vrbe nomen adepta, bellica virtute maximè floruit ætate Frāciſci Petrarchæ. erat laborum apprimè patiens ab ipſa iam inde adoleſcentia: abſtinebat vino: erat parca cibi & verborum: reiiciebat cœlos, penſa, fuſos, & lanas, & cetera, quæ muliebrem decent mollitiem: gaudebat arcubus, iaculis, pilo, galea, ſcuto, noctes perpetuas quandoque vigilabat, nec dormiebat, niſi coacta, idq; ſub dio & humi, reclinans caput in ſcutum pro puluinari: inter armatos verſabatur. quod quamuis impudentiæ ſpeciem præferat. nihil tamen vehementius curauit, quam ſtudium virginitatis, in qua permanſit ad mortē vſq; cultum corporis aſpernabatur. quibus artibus bellicoſa admodum facta eſt..

Bona Longobarda, bellatrix itidem puella, floruit anno Domini MCCCCLXVIII. nupſit Brunorio Parmenſi, egregio bellatori: à teneris annis luſtrabat ſiluas uenatricibus

buſ ſtipata canibus: maritum in omni diſcrimine comitaba tur; quem quum Alphonſus rex Siciliæ aliquando certa de cauſa in uincula coniecisſet, miſerta captiui femina ad diuerſos principes inſtar Pegaſarij curſoris cucurrit, ut ab eis literas & patrocinium obtineret pro uiri ſalute, quod obtinuit.

AMAZONES.

AMazones Scythicæ fuerunt mulieres ad Tanaim & Thermodoonta fluuios habitantes. unde Claudianus: Thermodoōtiaca Tanaim fregere ſecuri. Syl. lib. 8. Perſtrepit & tellus, & Amazonius Thermodon. Hæ quum nuptias ſeruitutem eſſe, non matrimonium opinarentur, animum nubendi omiſerunt. duxerunt remp. ſine uiris, ſolebant inire finitimos, ne gens periret. ſi qui mares naſcerentur, interficiebant. uirgines non otio, neque lanificio, ſed armis, equis, uenationibus & ſagittis exercebant. infantibus dexteriores inurebant mammas, ne ſagittarum ictus impediretur. Duæ primùm his reginæ fuerunt, Marthęſia, & Lampedo, quæ maiore Europæ parte ſuis armis potenter ſubacta, Aſiæ quoque nonnullas ciuitates occupauere. Marthęſiæ ſucceſſit Orithya, ſeruata in omne ævum uirginitate commendabilis. hac principante cum Antiope ſorore, bello petitæ ſunt ab Hercule, quas quum uicisſet, Antiopem & Menalippen rapuit Hercules, Theſeus Hippolytem. Orithyę ſucceſſit Penthęſilæa, quæ dum Troianis ſuppetias ferret, ab Achille iuxta multorum opinionem interfecta eſt. qua mortua reliquæ iam ægrè ſe tuentes ad Alexandri ætatem durauerunt. huius Minithia cō cubitum per dies XIV. obtinuit, ut filium haberet paternæ uirtutis heredem. Ceterùm peltam & ſecurim primæ omnium inuenerunt, unde ſecurigeræ & peltiferæ dicuntur. Pelta quoque & ſecuris Amazoniæ & Penthęſilææ dicuntur. Ouid. in epiſtola Phædræ: Prima ſecurigeras in ter uirtute puellas. Val. Flac. libro 5. Stat. lib. 12. Horat. lib. 4. Car. Ouid. lib. 2. de Ponto.

Harpalice Virg. lib. 1. Æn. -uel qualis equos Threiſſa fatigat Harpalice.

Penthęſilæa. Idem, Ducit Amazonidum lunatis agmi-

na peltis Penthesilæa furens, mediisq; millibus ardet.

Hippolyte. Seneca in Agamemnone: Vidit Hippolyte feroxpectore è medio rapi Spolium & sagittas.

Harpe. Val. Flac. lib. 6. Qua Pelta uocat, iamque ibat in Harpen: Menalippe. Virg. Threiciam sexto spoliauit Amazona baltheo. Porrò autem Stephanus Byzantius scribit Amazones Sauropatidas à Græcis fuisse appellatas, quòd lacertis uescerentur, quas illi Sauras uocant. De earum moribus pauca admodum Curtius refert lib. 5. de gestis Alexandri his uerbis, Veltis non toto Amazonum corpori obducitur: nam læua pars est ad pectus nuda, cetera deinde uelantur, nec tamen sinus (quem nodo colligunt) infra genua descendit. altera papilla intacta seruatur, qua muliebris sexus liberos alant: aduritur dextera, ut arcus facilius intendant, & tela uibrent.

BELLA, ET ALIA QVÆDAM mala à mulieribus orta.

BEllum Græcorum in Troianos ortum est ab Helenæ raptu. Ouid. lib. 1. Eleg. Qualis ab Europa Phrygiis aduecta carinis Coniugibus belli causa duobus erat. Proper. lib. 2. Olim mirabar, quòd tanti ad Pergama belli Europæ atq; Asiæ causa puella fuit. Idem lib. 2.

Pelops quum Phrygiæ regno successisset, bellú mouit in Oenomaum patrem Hippodamiæ propter puellam ipsam adamatam, & negatam sibi in matrimonio.

Alia fuit Hippodamia Atracij filia & uxor Pyrithoi, quá quum mero calescentes & æstuantes libidine centauri rapuissent, bello petiti sunt à Pyrithoo. unde puellam ipsam Propertius Iscomachen uocat. Isco enim Græcè significat habeo, & mache dicitur pugna. uerba eius sunt hęc: Qualis & Iscomache Lapithæ genus heroinæ, Centauris medio grata rapina mero.

Archelaus rex Macedoniæ interfectus est ab adolescente Crateua nomine, quem habebat in deliciis, quòd ei promissam filiam alteri posthabuerit. Volat.

Archilochus poeta Iambographus Lycambem socerum ad præpoperam laquei mortem impulit, propter eius filiam

sibi in matrimonio denegatam. unde Ouidius, Post modo si perges, in te mihi liber iambus Tincta Lycambæo sanguine tela dabit.

Pericles propter Aspasiam concubinam Samios infestos Milesiis debellauit.

T. Coruncanium liberius in legatione ad Teucam Illyriorum reginam locutum, regina ipsâ interfici iussit, uiolato gentium iure. Liuius & Florus.

Propter Chryseidem filiam Chrysæ (qui sacerdos fuit Apollinis) ab Agamemnone raptam, Apollo pestem in castra Græcorum immisit, quæ non prius desiit serpere, quã patri suo reddita sit puella. Tortell.

Propter Lauiniam Latini regis & Amatæ filiam ortum est bellum inter Æneam & Turnum, dum uterque eam sibi in matrimonium dari cuperet. Pont. lib. 4. de Stellis.

Roma condita quum Romulus ad augendum urbis populum Sabinorum fœminas rapuisset, inde bellum ortum est, & motum à maritis, raptum ulciscí, & raptas repetere uolentibus. Proper. lib. 2. Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor Nutritus duro Romule lacte lupę. Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas, Per te nunc Romæ quidlibet audet amor.

Mortuo Menelao Megapenthus & Nicostratus, Orestis filij, Helenam in Rhodum fugauerunt; ubi à Polyzo Tripodemi uxore arbore suspensa est, ob zelotypiam. Volat.

Lysimachus filius Agathoclis filium Agathoclem (cuius auspiciis multa bella feliciter gesserat) ueneno sustulit instigante Arsinoe nouerca Ptolemęi sorore. Volat.

Lucretius poeta amore fœminæ in furorem uersus amatorium haustt poculum, quo spiritum efflauit. Idem.

Tullia procurauit, ut maritus suus Seruius Tullius à Tarquinio Superbo interficeretur.

Sanson quum Dalidæ uxori crinem fatalem ostendisset, in quo prodigiosæ uires consistebant, dormiens ab eadem rasus incidit in manus inimicorum.

Iphis egregia forma adolescés spretus ab Anaxarete puella se suspendit.

Deianira auctor fuit duelli inter Herculem & Nessum Cé-

taurum, atque etiam mortis ipsius Herculis. Seneca: Otur pe fatum, femina Herculeæ necis auctor feretur. Fuit etiã causa belli inter eundem Herculem & Acheloum.

Achab rex Israelitarum suasu Iezabelis uxoris, occidit prophetas.

Chilpericus Clotharij filius opera Fridegundis, seu Fridegundæ uxoris, dum uenatu rediret, interfectus est.

Seleucus Callinicus rex Syriæ, dum nouercam Berenicẽ Ptolemæi sororem expulisset, ab ipso Ptolemæo bello pectus est. Iustinus lib. 27.

Deiphobus insidiis Helenæ (quam post mortem Paridis coniugem duxerat) occisus est, toto corpore inhonestis plagis deformato.

Amphiaraus uates quum præuidisset se periturum Thebis, si eò ad bellum proficisceretur, coniecit se in latebras & occuluit. eum tamen prodidit uxor Eryphile, spe habendi monilis aurei, quod gerebat Polinyces. itaque uxoris fraude coactus ire Thebas, hiatu terræ absorptus dicitur.

Euander Pallãtis Arcadum regis nepos, suasu Nicostratæ matris occidit patrem suum. Tortellius.

Eduardus Anglorum rex & martyr, uxoris suæ fraude occisus est.

Pterelas Thebanorum rex, proditione filiæ Polydices interfectus est à Creonte.

Nisus quoque Megarensium rex obsessus à Minoe rege Cretæ proditione Scyllę filię (quæ Minois amore tenebatur) fatalem amisit crinem, atque ita ab hoste interfectus est. de utroq; Ouid. Filia ne ue magis capiti sit fida parentis, Quam tua uel Pterela, uel tua Nise fuit.

Cleopatra causa fuit belli inter Ptolemæum Philopatorẽ patrem suum, & Alexandrum Syriæ regem.

Gandulphus martyr dum uxorem adulterij increparet, ejusdem insidijs interfectus est ab adultero.

Hippolytus à Phædra nouerca stupri falsò accusatus, dũ Thesei patris furorem uellet declinare, discerptus est ab equis.

Propter Hermionem Orestes Pyrrhum occidit.

Ottarus rex Boemiæ insimulatus ignauiæ & timoris ab

uxore Margarita, quòd cum Rodulpho Cæsare fœdus iniisset, bellum mouit, in quo profligatus est.

Ioram Israelitarum rex suasu Ataliæ uxoris infinita propè commisit flagitia.

Isis causa fuit, cur Mercurius mandato Iouis Argum occiderit.

Luchinus, Italiæ comes, mouit bellum in Vgolinum Gonzãgam propter Isabellam uxorem suam, ab ipso Vgolino uitiatam. Volat.

Martia meretrix, Antonium Commodum imper. (cuius erat concubina) fecit occidi ab athleta quodam, quocum adulterij consuetudinem habebat. Sex. Aur.

Rodericus Gothorum rex, quum filiam Iuliani cuiusdam præfecti (qui Tingitanam prouinciam administrabat) adulterasset, dolore animatus pater, Sarracenos conuocauit, mouitq; bellum, in quo septingenta utrinque millia hominum perierunt. Volat.

Alexander instinctu Thaidis meretriculæ Persepolim urbem combussit. Curtius lib. 5. Ebrio (inquit) scorto de tanta referente sententiam, unus & alter & ipsi mero onerati assentiuntur: rex quoque fuit auidior, quã patientior. Quin igitur ulciscimur Græciam, & urbi faces subdimus? omnes incaluerant mero. itaque surgunt temulenti, ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. primus rex ignem regiæ iniecit, tum conuiuæ, & ministri, pellicesque. Cæl. & Strab. lib. 15.

Violata Lucretia causa fuit exigendi regum principatus, quemadmodum per Virginiam Decemuiri desierunt.

Octauia soror Augusti ab Antonio repudiata, causa fuit belli Ciuilis.

Antiochus dum bellum gereret in Romanos, uino & Veneri dies multos indulsit, cum puella quadam Calcidensi, quam deperibat. ex quo factum est, ut mollitie illa, delicijsq; correptus, hosti uictoriam reliquerit. Liuius lib. 36.

Ouidius lib. 2. Eleg. de quibusdam bellis, & aliis multis malis, quorum auctores extiterunt feminæ, ad hunc modum scribit:

Nec belli est noua cura mei; nisi rapta fuisset

Tyndaris, Europæ pax, Asiæq; foret.
Femina siluestres Lapythas populumq; biformem
Turpiter apposito uertit in arma mero:
Femina Troianos iterum noua bella mouere
Impulit, in regno iuste Latine tuo.
Femina Romanis iterum nunc urbe recenti
Immisit soceros, armaq; sæua dedit.
Vidi ego pro niuea pugnantes coniuge tauros,

Spectatrix animos ipsa iuuenca dabat. Item Horat. lib. 1. Serm. Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli Causa, &c.

Idas & Lynceus, Aruernes & Apharei filij, pro Leucippi filiabus Phœbe & Ilaira aduersus Castora & Pollucem prope Spartam dimicarunt. in quo congressu periit Castor. Pollucі autem profuit immortalitas.

Contrà tamen nonnullæ reperiuntur feminæ, quæ maximi quandoque boni auctores extiterunt, sed breui admodum numero.

Dominica uxor Valentis imp. Gotthos, ad euertendam Constantinopolim irruentes, pacauit.

Anno uerbi incarnati circiter CCCCXII. constituerat Ataulphus Gotthorum rex, urbem Romam uel diripere, uel expugnare, saltem eamque Gotthiam appellare; nisi Placida, Honorij soror, & uxor, ipsius barbari ferocientem animum, & iam paratum sceleri, uerbis emolluisset. Paulus Diaconus.

Iuguldis soror Childeberti, Hermogillū Lemigildi Gothorum regis filium, & maritum suum ad Christianam conuertit pietatem. Volat.

Clotildis, regina Franciæ, Clodoueum regem maritum suum, Childerici filium, eodem modo ad cultum sacræ religionis induxit. Idem Volat.

Pompeia Plautina Iulianum imperatorem maritum suum auertit ab extorquenda populo pecunia, & colligendo fisco. auctor Sex. Aurel. His adduntur Helena Constantini mater, Monica Augustini, & non nullæ aliæ.

NOVERCÆ QVÆDAM.

INo Phryxi, & Helles Athamantis filiæ, fuit nouerca: Hippodamia, Chrysippi: Casperia, Archemoli: Phædra, Hippolyti: Stratonice, Antiochi Soteris: Iulia, Antonij Caracallæ: Gidica, Cominij: Ida, Phinidarum: Iuno, Herculis: Opœa, Scylis regis Scytharum: Eribœa, Mercurij: Alfrida, Eduardi secundi Anglorum regis: Martiana Constantini Heraclij, quem veneno sustulit: Nuceria, uxor Hebij, nouerca fuit Firmi, quem morti dedit. Plutar. in Parallellis.

TEXTRICES, ET LANIFICÆ.

PHoloe Cretensis fuit femina lanificij & texturæ admodum perita. Virg. lib. 5. Aen. Olli serua datur operū haud ignara Mineruæ, Cressa genus Pholoe geminiq; sub ubere nati.

Prima telas texere, easque retorquere inuenit in Coo Pāphile mulier, Platis filia. Plinius lib. 11. cap. 22.

Arachne (vt fabulantur poetæ) quum esset lanificij peritissima, ausa est Mineruam, eius artis inuentricem, ad certamen prouocare. à qua victa, in araneam mutata est, quæ nunc quoque nere non desinit, suisque filis hæret adhuc pēsilis. Architrenius: Nobile surgit opus leuius, quàm torserit Arachne: Pollice Lyda manus & vestibus impluit aurū, Pectinis ingenio nulli cessura.

Fusos in lanificio reperit Closter, filius Arachnes: linū, & retia, Arachne ipsa. Plinius.

Fuit & optima textrix Penelope poetarum testimonio. Ouidius: Nec mihi quærenti spatiosam fallere noctem, Lassaret viduas pendula tela manus. Vnde & Tela Penelopea, & Icariotis dicitur, quòd Icarii filia fuerit Penelope. Idem lib. 3. de Ponto: Morte nihil opus est, nihil Icariotide tela.

VESTALES QVÆDAM VIRGINES.

OPpia vna fuit ex vestalibus, quæ comperta stupri vi una defossa est. Stroza filius: Vestalis virgo læti damnata pudoris, Contegor hoc viuens Oppia sub tumulo. Liuius 22. Duæ quoque fuerunt Claudiæ, Vestæ cæ

remoniis addictæ. Fuit & Fonteia Vestalis, soror M. Fonteij, qui quum Galliæ exercitui præesset, accusatus est proinciæ malè administratæ. Martia item incesti damnata. Minucia propter elegantem corporis cultum venit in suspicionem libidinis, vnde & viua defossa est. Floronia comicta stupri sibi mortem intulit, metu grauioris supplicij. Postumiam vestalem nimius corporis cultus stupri quoque suspectam fecit: pōtificum tamen absoluta est sententia. Liuius lib. 4. 2. & 22.

Stupri damnata est Sextilia, vt etiam Tutia. Liuius. Thriciæ Caiæ, siue Suffetiæ statua posita est. Plin. Plutarchus in Gracchis ait, Liciniam fuisse vnam e vestalibus. Vbidia vestalis fuit, quam Messalina misit ad pacandum Claudium maritum suum, quem iratum sibi intellexerat.

EXERCITVS NVMEROSI.

BEla quarto Andreæ Hierosolymitani filio, apud Pannonios regnante, Tartari cum quingentis armatorū millibus Pannoniam ingressi sunt, à quibus superatus Bela aufugit. Volater.

Pompeij in Cæsarem dimicantis acies habuit x l. millia peditum, equitum in sinistro cornu septem millia, in dextro quinq; ; præterea Orientis auxilia, totam vrbis nobilitatem, senatores, prætorios, consulares.

Cæsar in acie habuit peditum x x x. millia, equites non amplius mille. Eutropius.

Mardonius Persa (quem Xerxes apud Salaminem reliquit, vt dispalatos milites resarciret) habuit in exercitu peditum ducenta millia, equitū viginti millia. victus est tamen apud Plateas à Pausania Lacedæmonio turmis longè minoribus stipato. Cælius cap. 62. lib. 16.

Hieroboam rex Israelitarum in exercitu, quem contra Abyam Iudæorum regem duxit, habuit l x x x. millia bellatorum; Abyas verò x l.

Senonum dux Brennus, qui primus Romanam superbiam retudit, habuit c c c. millia.

Theodericus Clodouei primi filius in Italiam cū l x x x. millibus traiecit, quibus impetu repentino Belisarij copias

fregit, omnemq; Trāspadanam subiugauit regionem. Volat.

Tamburlanus Scytharum rex Euphratem fluuiū cum sexcentis peditum millibus, equitum verò trecentis traiecit, quo numero Asiam minorem obtinuit, regem Turcarum, Bazaitem, uel (vt alij scribunt) Baiasetem, captiuum duxit, Scythas, Medos, Albanos, Mesopotamiam, Parthiam, Persam, Armeniam sibi subiugauit. Volat. in Geog.

Exercitus Antigoni habuit peditum x x. millia, equites trecentos.

Exercitus Antiochi c c c. millia armatorum, quibus Romanos inuasit. falcatis etiam curribus, & Elephantis aciem instruxit. Plutarchus in Russo.

Idem ait certū non esse quantæ fuerint Hannibalis copiæ. alij centum millia peditum, & viginti equitum fuisse dicūt. quidam aiunt addita ex Gallis & Liguribus l x x x. millia peditum, decem equitum. quamuis autem exactus ad fidem numerus dari nequeat; hoc tamen argui potest numerosum habuisse exercitum, quòd amissis in Alpium traiectu triginta millibus, adhuc Romanorum potentiam non expauerit.

Achæorum exercitus in Cleomenem ducem Spartanorū, fuit viginti millium peditum, equitum mille.

Athenienses in Syracusanos certaturi duce Alcibiade, habuerunt supra c x l. triremes, centum, & quinque millia peditum, tum sagittarios, & funditores mille & trecentos; Tormentorum præterea ac machinarum expugnandis vrbibus copiam ingentem. Plutar. in Alcibiade.

Exercitus Artaxerxis regis Persarum in Caduſios habuit triginta peditum millia, equitum mille. Sabell.

Certaturus in Alexandrum Darius habuit sexcenta hominum millia. Plutarchus scribit, Dario fuisse decies centena millia militum. Q. Curtius minorem illi facit copiarum numerum lib. 4. quum ait: Summa totius Darij exercitus equites x l v. millia, pedestris acies ducenta millia expleuerat.

Copiarum Alexandri, qui minimum asserunt numerum, trecena millia peditum, equitum verò quinque fuisse tradūt. ferunt in Asiam traiecisse cum millibus armatorum, non amplius x l v i i i. Volaterranus. Iustinus lib. 11. scribit eum

tantum habuisse peditum xxxii. millia, equitum quattuo millia & quingentos; naues centum octoginta duas.

Antigonus Philippi filius, & pater Demetrij Poliorcetis Macedoniæ regis, habuit in exercitu contra Seleucum Syriæ principem, & alios regis supra lxx. millia peditum, equitum verò decem millia; item Elephantos lxxv.

Seleucus verò. & Antiochum eius filius, armarunt in ipsum Antigonum xciiii. millia peditum, equites supra decem millia, Elephantos quadringentos, currus centum & uiginti.

Bellans in Parthos M. Antonius habuit lx. Romanorum peditum millia, & his auxilia equitum adiũcta Hispanorum, & Gallorum decem millia; ceterarum nationum equitum peditumq; trecenta millia. Plutarc.

Parthorum verò exercitus in Antonium habuit cccc. millia equitum.

Exercitus Antonij contra Cæsarem habuit peditum centum millia, equitum xxii. naues quingentas.

Exercitus Cæsaris contra Antonium habuit naues ducentas quinquaginta, peditum octoginta millia, equitum vigintiduo. Idem Plutarchus in Cæsare.

Exercitus Crassi contra Parthos habuit peditum legiones septem, equitum quattuor millia, ac totidem velites.

Carthaginiẽses Siciliam cũ septuaginta millibus militũ, ducentis triremibus, & mille nauibus inuaserunt. quos tamen superauit Timoleon dux Corinthiorum, eorumq; castra diripuit, desideratis decem millibus.

Demetrius Antigoni & Stratonices filius, & Macedoniæ rex, habuit in copiis peditum decem millia, equitum decem, naues quingentas.

Exercitus Marij & Catuli contra Cimbros habuit quinquaginta hominum millia cum ccc. militibus. Plutar.

Mithridates rex Ponti habuit peditum centum millia, equitum decem, currus falcatos nonaginta. Cælius ad hũc modum de Mithridate: Habuit (inquit) equitum quinquaginta, peditum cci. millia; machinarum verò & omnis bellici instrumenti par eius summa. depugnabant cum eo reges Dynastæq; Armeniæ, ac Scytharum, qui circa Pontum

incolunt, supraq; Mœotidem paludem.

Pompeius in bello contra Pyratas habuit quingentas naues, peditum cxx. millia, equitum quinque. Plutar.

Pelopidas, dux Thebanorum, duxit contra Syracusanos septuaginta millia militum.

Heluetiorum, in Galliam Aquitanicam irrumpere volentium tempore Iulij Cęsaris, exercitus habuit trecenta hominum millia. Volater. in Geog.

Credibile est Ariouistum Germanorum regem numerosas habuisse copias, vel hoc vno argumento, quòd à Cæsare victus octoginta militum suorum millia amiserit. Plutar.

Neruij (quos Lucanus rebelles vocat, quiq; nostro tempore Tornacenses vocantur) in bello contra Cæsarem sexaginta hominum millia amiserunt.

L. Luculli copiæ in Mithridatem Armeniæ regem, fuerunt triginta millia peditum, equitum duo millia cum quingentis.

Perseo Macedoniæ regi in Paullum Aemilium dimicaturo fuere quattuor millia equitũ, peditũ verò xlviii. millia. Tigrani regi Armeniæ fuere ducenta quinquagintaquinq; armatorum millia contra Romanos, qui è tanto exercitu peditum centum millia, equitum verò quinquaginta Lucullo duce interfecerunt.

Terentius Varro consul, & Aemilii Paulli collega, habuit in exercitu octo & octoginta hominum millia contra Carthaginienses.

Quinctius Flamininus in bello contra Philippum Macedoniæ regem habuit xxvi. millia hominum.

Habuit Eumenes rex Pergami in exercitu contra Macedones xxxvi. millia bellatorum.

Radagasus Gotthorum rex (qui floruit Arcadij & Honorij imperatorum temporibus) habuit in exercitu supra ducenta bellatorum millia. Paulus Diaconus.

L. Aemilius, & Atilius consules, principio sui consulatus quattuor legiones vrbanas in Gallos armauerunt, quarũ singulis quinq; millia & ducenti pedites, equites verò trecentis inerant. habebant & ex sociorũ auxiliis triginta mil-

lia peditum, equitum verò duo millia. cui numero Thusci & Sabini septuaginta addiderunt millia, vbi primùm Galli Apenninum transire nunciati sunt. post hos Vmbri & Sarsennatæ Apennini incolæ xx. millia contulerunt. Samnites LXX. millia peditum, equitum septem millia. Iapigenses & Mesapij quinquaginta millia peditum, equitum XVI. millia. Lucani XXX. millia peditum, equitum tria millia. Marsi, Marrucini, Frentani, & Vestini peditum XX. millia. eosq; modo ceteræ totius Italiæ vrbes suas suppetias contulerunt, ita vt numerus excreuerit ad septies centena millia peditum, equitum verò LXX. millia. Polibius.

Vectiges, rex Gothorum, post Atalaricum filium Amalasunthæ reginæ, ad obsidionem vrbis Romæ cum ducentis armatorum millibus profectus est. Volat.

Soli Aruerni (modica Gallorum portio) ducenta bellatorum millia obiecerunt Aemiliano Maximo ad Isaræ, & Rhodani confluentem. Strabo.

Sesostris rex Aegypti (qui insuetam seruitij Arabiam sebegit, maximam Libyæ partem occupauit) habuit in pedestribus copiis sexcenta peditum millia, equitú verò XXIV. curruum bello aptorum octo millia & viginti. Diogenes libro 2.

Ninus, Assyriorum rex, armauit in Bactrianos decies sexpties centena millia peditum, equitum ducenta, curruum centum millia.

Xerxes rex Persarum, in Græcos dimicaturus, habuit de regno suo septingenta millia, de auxiliis trecenta, rostratas naues mille & ducentas, onerarias ad tria millia, cuius numero habuit tria millia nauium, in quibus fuerunt hominum Myriades XXIII. terrestris autem exercitus fuerit centum & septuaginta Myriades, equitum octo. Herodotus libro 7.

Ad vindicandum Helenæ raptum Græci armauerunt in Troianos DCCCLXXXVI. bellatorum millia. contrà verò Troiani habuerunt DCLXXVI. millia, carinas circiter mille. auctor Dares Phrygius.

Exercitus Mosè habuit DCIII. millia. imbellis autem pecorum DL. millia. tota summa millies mille, & centum quin-

quaginta tria. Ioseph. lib. 3.

Obsessis à Vespasiano Hierosolymis vndecies cẽtena millia ferro & fame perierunt. Iosephus.

Carolo Martello Gallorum regi fuerunt trecenta armatorum millia.

Porrò autem Lacedæmones prodibant in bellum cum tibiarum modulatione, vt suauissimo cantu deliniti non remiscerentur periculi.

Pari modo Cretenses canebant cithara.

Massagetæ rubras induebant tunicas, ne vulneratorum cruor terrorem ceteris afferret.

Parthi in fuga sagittas à tergo iaculantur. Lucanus:

Ocyor & missa Parthi post terga sagitta.

BELLA, IN QVIBVS MVLTVM cruoris effusum est.

ABias Iudæorum rex bellans in Hieroboam regem Israelitarum quinquaginta millia ex eius exercitu deleuit. Iosephus lib. 8. Antiquitatum Iud.

Phaceas rex vno die deleuit ex copiis Achab Iudæorum regis post Ioathan CXX. millia bellatorum, & ducenta vtriusque sexus millia captiua duxit.

In bello Benadab Syriæ regis contra Achab Israelitarum regem perierunt ferro hominum centum millia.

C. Cæsar dictator prædicare solitus dicitur vndecies centum & nonaginta millia præter eos, qui ciuilibus bellis perissent, suo ductu, & auspiciis cæsa. Sabellicus in exemplis.

Gedeon nocte vna apud Iordanem centum & viginti millia Madianitarum interfecit.

In agro Tholosano Athila rex Hunnorum congressus est cum Ætio & Theoderico Gotthorum regibus. in quo conflictu CLXXX. millia virorum decubuere. Paul. Diac.

Quantam suorum stragem acceperit Ladislaus rex Panno nius, dum in Amurathem regem Turcarum cõfligeret, hinc auspicari licet, quòd ex ipsis etiam victoribus quadringenta millia post pugnam desiderata sint. Sabel.

Carolus Martellus, Gallorum rex, Abidirannum Visigothorum regem (qui in Galliam hostiliter irruperat) ad Bur

degalam domuit : ceciditq; eius exercitus CCCL. millia: quum tamen Franci non amplius mille perierint. Sabel.

Cyrus, Persarum rex, traiecto Araxe cum ducentis millibus in Scythas profectus, tam infeliciter bellauit, vt ne nuncius quidem tantæ cladis superfuerit. Idem.

Miltiades, Athenienſium dux, in Marathone Atticæ cippo centum millia ex Darij Persarum regis exercitu profligauit. sunt etiam qui ducenta dicant deleta. Sabel.

Claudius Nero, & Liuius Salinator sexaginta Pœnorum millia apud Metaurum Vmbriæ fluuium ceciderunt, dum Hasdrubal fratri suo Hannibali suppetias ferre conarentur. Plutarchus.

Vscodoniam, seu Hadrianopolim, Thraciæ vrbem, quam cepissent Scythæ, in ea centum hominũ millia ingulata sunt.

M. Claudius, & C. Cornelius consules, quinquaginta Gallorum millia profligarunt. Volat.

Friola, filius Alphonsi Catholici regis Hispaniæ, L. millia Sarracenorum in bello occidit. Idem.

In bello Eduardi, quarti Anglorum regis, contra Scotos, perierunt Scotorum LX. millia, Anglorum septẽ solũ.

Claudius princeps CCC. millia Sarmatarum cecidit ad Martinopolim.

Cosroes rex Persarum, Palæstinam cum Hierosolyma, nongentis millibus Christianorum euertit.

In bello Roderici regis Gotthorum contra Sarracenos DCC. millia hominum vtrinque perierunt.

Q. Fabius Allobrox de exercitu Bituti Aruernorum regis CXX. millia hominum cecidit. Liu. lib. 6.

Cæsa sunt ab Alexandro ex Darij exercitu supra vndecim millia. Cæsa sunt à Crasso duodecim millia de Spartaci exercitu. Cæsa ad Cannas Romanorum quinquaginta millia. Cæsa ad Granium flumen à Lucullo ex Mithridatis copiis hominum viginti millia, præter captos. Cæsa sunt à Pompeio ex liberis nouem millia. Cæsa à Sylla ex Marianis uiginti millia. Decem millia ex Mithridatis exercitu à Pompeio. Cæsa à Ptolemæo ex Demetrij exercitu L. millia. Cæsa ab Alexandro Persarum XXII. millia. Cæsa à Parthis Romanorum decem millia, duce Crasso. Cæsa ex

Scipionis & Catonis exercitu à Cæsare quinq; hominum myriades. Cæsa à Mithridate septem Romanorum millia. Cæsa à Lucullo ex Tigranis Armeniæ regis exercitu peditũ centum millia, equitum quinquaginta. Cæsa octo millia Cilicum à Lucullo. Cesa LXXX. millia Germanorum sub Ariouisto duce à Cæsare. Cæsa Pœnorum XL. millia à Scipione. Cæsa XV. millia Romanorum ad Thrasymenum. Cæsa LX. millia Neruiorum à Cæsare. Cæsa XXX. millia hominum de exercitu filiorum Pompeij, à Cæsare. Cæsa in bello Macedonum contra Lacedæmonios quinque millia, & trecenti, ex Macedonibus trecenti & non amplius. Cæsa in vrbis Hierosolymitanæ excidio vndecies centena millia. Cæsa à Britannis Romanorum LXX. millia, ducibus Petilio & Suetonio. Auctor Cor. Tacitus. Cæsa paullò pòst à Romanis Britannorum LXXX. millia. quam cladem ægre ferens Boudicea eorum regina, ueneno clausit uitam. Cæsa à Gratiano imp. triginta Alemanorum millia, apud Argentarium oppidum. Sex. Aurel.

BELLICOSI VIRI CVM illustribus uictoriis.

ALexander Macedo, Philippi ex Olympiade filius, tantum nomen bellicæ uirtute sibi comparauit, ut recens quoq; sit semper eius memoria. uiginti natus annos Thebas euertit. traiecto Hellesponto Ilium profectus est, ubi animaduerso Achillis sepulcro, Achillem ipsum felicem prædicauit, quòd laudum suarum præconem habuisset Homerum. Darium Persarum regem ad Granium flumen perdomuit, cæsis uiginti Persarum millibus; ubi Darium ipsum cum uxore, & filiabus captiuum duxit, quem tamen iterum donauit uenia. uerùm ubi tertio redintegrasset copias, uicto regnum eripuit: eius tamen interfectorem Bessum supplicio affecit. Scythas demum lacessiuit. in India Porum regem numerosis armatum copiis, & quattuor elephantis cum palmo procerum fudit, cui & pepercit. Curtius & Plutar. auctores.

Xerxes rex Persarum decies centena millia militum, id est, ut nunc loquimur, milionem unum armauit in Græciã;

Athon montem aceto dirupit, diruptum fecit peruium uelis; cum Themistocle congressus est, & apud Salaminem ab eodem uictus; post aliquot annos cum Cimone Atheniensium duce manum conserens quum fortunam ubiq; nouercam experiretur, uoluptati se dedit.

Arsaces, obscuræ condicionis homo, collecta Scytharum exsulum manu, Parthos subegit, Syriæ regem Seleucum & Hircanos redigit in seruitutem.

Tamburlanus, Scytharum rex, Medos, Albanos, Mesopotamiam, Persiam, Parthiam, & Armeniam subiugauit; traiecto cum D c. millibus peditum, equitum uerò trecentis Euphrate Asiam minorem obtinuit; regem Turcarum Pazaitem, uel (ut à Platina nominatur) Baiasetem, captum in laqueos coniecit, tanta feritate, ut eum instar belluæ clatris inclusum secum semper duxerit, & sub mensa, in modum canis, micas & frustilla comedere iusserit, equumq; ascensurus, eius humeros pro scabello pedibus conculcauerit.

Amurathes, rex Turcarum, Thessalonicam urbem ui cepit, Epirum diripuit, Epirum & Ætholiam subiugauit; Pannonios cum centum armatorum millibus ingressus est; Pannonios bello bis fudit.

Seleucus Nicanor, rex Syriæ, Babylonem cepit, Bactrianos expugnauit, penetrauit ad Indiam, compositis in Oriente rebus Lysimachum domuit, & interfecit. Trogus lib. 15. & Volat. in Geog.

Antiochus Maximus Syriæ rex, Babyloniam, Ægyptum, & Iudæam patrio adiecit imperio; Græciam cum sexaginta millibus intrauit.

Cyrus Astyagem regno Persarum expulit, trãslato in Persas Medorum imperio; Babylonios cum Crœso Lydorum rege domuit, quem primò uenia donatum, ac secundò rebellantem uita & regno spoliauit; subacta Asia, ac toto Oriente, aggressus est Scythas, ubi à Thomyri eorum regina uictus est, & interfectus.

Darius Istaspis filius Babylonios perdomuit; Ionas nauali prœlio superauit; Athenienses congressus est, sed magno suo incommodo.

Mithridates,

Mithridates, Phraatis filius, Parthorum auxit imperiũ; Armenios nunquam antea sub iugum missos adortus est; Babylonios accepit in deditionem fratre interfecto, quem subditi regno præfecerant ob ipsius Mithridatis crudelitatem; cum Romanis bellum gerens Crassum cum filio, ac toto exercitu deleuit.

Hannibal Amilcaris filius, uiginti annos natus, Saguntum expugnauit; in Italiam quinto mense, superatis Alpibus, ab Hispania peruenit; apud Ticinum Corn. Scipionem, patrem Africani maioris, occurrentem superauit; Sempronium consulem apud Trebiam ingenti clade affecit; C. Flaminium quoque profligauit ad Thrasymenum, interfectis ex eius copiis XXV. millibus; P. Æmilium, & Terentium consules cum exercitu deleuit apud Cannas: ubi senatores x c. alij ad XLV. millia perierunt: ubi & anulorum modii tres reperti sunt: inde omnium metu accessit proximè Romam, & ad tertium usque lapidem Claudium Marcellum Romanorum ducem iterum fudit, & ad extremum uictus à Scipione Romam liberauit metu. Liuius.

Aratus, dux Sicyonius, collecta coniuratorum manu patriam seruitute liberauit, expulitq; Nicoclem tyrannum; composito patriæ statu dux Achæorum factus, eorum rem pub. annos XXIV. felicissimè administrauit; Locridem, & Calydoniam depopulatus est; Acrocorinthum expugnauit, Macedonibus inde repulsis Argeorum tyrannos Aristonicũ primò, deinde Aristippum bello sustulit; Ætolos Achæis inimicos plerunque debellauit. sublatus demum dicitur, & ueneno potus à Philippo Macedonum rege, cui erat formidolosus.

Cleomenes, dux Lacedæmoniorum, Aratum ducem Achæorum multis affecit cladibus; Argos antea nulli expugnatum in potestatem recepit; annos XIV. felicissimè imperauit, suisq; reliquit multas illustres uictorias.

Demetrius Poliorcetes, Antigoni Macedoniæ regis filius, traiecto Euphrate Babyloniam occupauit; Athenas à Cassandri & Ptolemæi imperio redemit; Cyprum, expugnato Ptolemæo, nauali bello recepit; Bœotios accepit in deditionem; Pyrrhum ab oppugnatione Thessaliæ repres

sit; ad extremum fortuna insidiante uenit in manus Antiochi.

Epaminondas, Thebarum princeps, cùm Lacedæmoniis congressus, multas uictorias retulit; traiectus lancea in castra semianimis relatus, ubi audiuit saluum esse scutum suũ, nec ab hostibus raptum, Benè res habet, inquit, moriem hanc morior lubens. atque ita ueluti gratulabundus exspirauit.

Lysimachus, Agatoclis filius, leoni famelico, Alexandri iussu datus in prædã (quod Callisthenis captiuo ad remedium calamitatis dedisset uenenum) manum amiculo inuolutam in os leonis intulit, arreptaque lingua feram exanimauit. quo illustri facinore conciliatus est Alexandro. Trogus lib. 15.

Pyrrhus, Epirotarum rex, Leuinum consulem apud Heracleam bellorum nouitate turbauit; ad uigesimum ab urbe lapidem castra posuit; Curio, & Fabricio congressus est; Argos obsedit, ubi tegulæ iactu ad extremum ferro periisse.

Philippus Macedo Athenienses uicit; traiecit in Illiricum; Larissam urbem cepit; expugnauit Thessaliam, & Methonem Magnesiæ urbem; dux à Thebanis delectus contra Phocenses, eos diripuit, Olynthios deleuit, Arisbam Epiri regem regno deiecit; Byzantium obsedit, ubi longa mora consumptus ad Pyraticam se conuertit; Scythas strategemate superauit; rebellantes iterum Athenienses domuit.

Timoleon dux Corinthius Syracusas à Dionysii tyrannide liberauit, tyrannum in exsilium misit; Leontinorũ principem, nomine Icetem, bello captum interfecit; Mamercum Catanæ tyrannum in fugam uertit; Leptinum (qui Apolloniam per uim ceperat) captum & uinctum Corinthũ misit; Carthaginienses in Siciliam irrumpentes superauit, eorumque castra diripuit.

Cæneus Thessalus quum multis interfuisset prœliis, nunquam tamen lædi potuit. hinc natum prouerbium, Inuulnerabilis, ut Cæneus. Nestor apud Ouidium lib. 12. Metro fuit unicus æuo Contemptor ferri, nulloque forabilis

ictu Cycnus; at ipse olim patientem uulnera [illegible] Corpore non læso Perrhæbum, Cænea uidi, Cænea Perrhæbum, qui factis inclitus Othryn incoluit.

Archidamus, Lacedæmoniorum princeps, Methonem ad Athenienses deficientem recepit; in bello contra Pylon primus è naui prosiliens, nec uulneratus est, nec scutum amisit; aduersus Amphipolim strenuè decertauit; tandem insimulatus, quòd Agnoni Thraciæ regi faueret, damnatus est.

Codrus, Athenienſium rex, quum in bello Peloponnesiaco, accepisset ab oraculo uictricem fore gentem, cuius princeps bello periret; relictis uestibus imperatoriis, gregarium se finxit militem, eoque modo inimicis occidendum se præbuit.

Idanthyrsus, Scytharum rex, bello res magnas gessit, multum Asiæ subiugauit, & totam propè Aegyptum peruagatus est.

Arturus, rex Britanniæ, adeò bellica uirtute excelluit, vt quadringentos & sexaginta viros in prœlio solus interfecerit, ac regna plurima suæ adiecerit ditioni; vtebatur galea aurea, in qua sculptum draconem præferebat; ferebat clypeum, in quo picta erat Christiparæ genitricis effigies, vt omni discrimine, rebus omnibus, eam semper haberet præ oculis, velut adiutricem; vtebatur lancea ardua, & inusitati ponderis, quam secum deferri semper volebat. Cantatissima est eius virtus, & recens propè memoria, frequensq; fama in ore omnium.

Leonidas Spartanus quattuor, nec amplius, suorum millibus stipatus, ausus est manum conserere cum numeroso illo, omnium post homines natos, populosissimo Xerxis Persarum regis exercitu, apud angustias Thermopylarum, vbi parta victoria immortale quoque sibi nomen peperit. idem quoque milites solebat hortari, vt prandirent, tanquam apud inferos cenaturi: quo verbo videbat eos esse vacuos metu. Iustinus lib. 2.

Clodoueus, Gallorum rex, Alemanos domuit, Gotthos regno suo expulit, Alaricum eorum regem cecidit, aliaq; permulta egit facinora, quibus docuit gentem suam arma

natam.

Huius filius Theodericus, Turingiam cum rege subiugauit; t[illegible]iecit in Italiam cum LXXX. millibus armatorum; Belisarij copias repentino fregit impetu; Transpadanam regionem vicit; decem Burgundiorum millia Gotthis auxilio misit.

Carolus Martellus, Pipini primi filius, Aurelianos vno impetu fudit; traiecto Rheno Alemanos, Sueuos, Bauaros regno Francorum adiecit; Sarracenos ab Eudone duce in Aquitaniam vocatos profligauit, cæsis ex eorundem exercitu CCCLXXXV millibus; Amorrheũ alterum eorum regem suppetias Athimo apud Narbonem obsesso ferentem, deleuit; Gotthos (qui Hispaniam citeriorem Galliæ partem annos iam CCC. turbauerant) profligauit; omnem postremo Galliam Francorum regno subiecit. Volat.

Carolus Magnus, Pipini secundi filius, euidens virtutis Gallice reliquit argumentum. in primis Aquitanorum regem Himuldum in deditionem accepit. accersitus ab Hadriano Pont. Longobardos cum duce Desiderio, Italia expulit, quam annos iam CCVIII. possederant. domum reuersus bellum Saxonum (quod annos propè XXXIV. duraueratquamuis interpolatum, prosecutus est. quos sub iugum redactos, ad Christianæ quoque pietatis cultum induxit. Algolandum Sarracenum, Hispanosq; , male de CHRISTO sentientes, subiugauit. Beneuentanorum (qui duce Arigiso in Romanum Pont. tumultum parabant) repressit. Taxilonem Bauariæ ducem, res nouas molientem, sola pacauit legatione. Hunnos (qui Pannoniam occupauerant) magnis affecit cladibus. Godefredum Nortmannorum ducem Francorum socios vexantem, in potestatem suam redegit. Leonem per. tium Pont. à Romanis expulsum, suæ sedi restituit. Cuitantæ virtuti adiecit amorem litterarum, quas [illegible]que oleo & amabat & mirabatur, vt Parisiensem Academiam primus instituerit. Erat corpore procero, vastis præter consuetudinem viribus.

Gedeon iudex Hebræorum percussit quattuor reges Madianitarum, Oreb, Zeb, Zebee, & Salmanam. interfecitq; ex eorum exercitu CXX. millia hominum apud Iordanem

cte vna. Iosephus lib. 5.

Fecit Themistocles filium suũ Cleophantum in equestri facultate adeò strenuum, vt equis rectus insisteret, & rectus iacularetur, aliaq́ue permulta efficeret stupenda. Cælius cap. 12. lib. 8.

Conon, dux Athenienſium, fuit bellica virtute clarissimus, qui Lysandrum Lacedæmoniorum ducé terrestri prælio vicit, & Athenarum restituit libertatem. vnde factum adagium, Bellum Cononi curæ fuerit. Iustinus lib. 5.

Pompeius magnus Syllæ primùm partibus adhæsit; Domicium expugnauit; de Iarba rege Mauritaniæ triumphauit nondum patientibus annis; contra Sertorum in Hispaniam profectus, Metelli copiis se coniungens, eum cum tota factione sustulit; Pyraticum bellum tribus confecit mensibus; triumphauit de Mithridate rege Ponti; Tigranem vicit regem Armeniæ, quem tamen ad genua sua prouolutum regno restituit; Iberos, Albanos, Iudæos debellauit, capto eorũ rege Aristobulo, & in triumphum vnà cum filio Tigranis ducto; reuersus ex Oriente triumphũ egit biduo, prænotatis victarum gentium titulis; ad extremum verso fortunæ Zephyro victus à Iulio Cæsare in campis Pharsalicis, coactus est velut profugus ad Aegypti regem Ptolemæum se recipere, vbi hospitis (cui se commiserat) perfidia interfectus est.

Victor Pompeij Cæsar Galliam omnem decennio subegit, eamq́ue redegit in prouinciæ formam; Germanos, ponte super Rhenum fabricato, maximis affecit cladibus; aggressus est Britannos ignotos antea, superatisq; pecunias & obsides imperauit; Macedoniã transgressus Pompeium per quattuor penè menses, maximis obsessum operibus, ad extremum Pharsalico prælio fudit, & fugiẽtem Alexandriam persecutus, occisum vt deprehendit, cum Ptolemæo rege bellum difficillimum gessit; victor Aegypti regnum Cleopatræ, fratriq́ue eius minori permisit; ab Alexandria Syriã, & inde Pontum transiit, vrgentibus de Pharnace nunciis, quem Mithridatis Magni filium multis iam successibus prælio ferocem intra quinctum (qua affuerat diem) vna profligauit acie. de hinc Corn. Scipionem Pompeij socerum, & Iubam

reliquias partium Africa refouentes deiecit, & Pompeij liberos in Hispania. confectis bellis quinquies triumphauit: primum triumphum egit Gallicum; sequentem Alexandrinum, ex victo & interfecto Ptolemæo; huic proximum Africanum ex Iuba debellato; deinde Ponticum de Pharnace; nouissimum, Hispaniensem de Pompeij liberis. Reflante demum fortuna, quum optimatium partibus esset formidolosus, Bruti, Cassij, & aliorum coniuratione, tribus & viginti vulneribus in senatu confossus est. Suetonius, & Plutarchus.

M. Antonius Triumuir, interfecto Cæsare, fœdus cum Lepido, & Augusto contraxit; Brutum & Cassium Cæsaris interfectores vicit in Macedonia; profectus in Asiam, multos in Oriente reges debellauit; Antigonum Iudæorum regem securi percussit; Phraati Medorum regi congressus, quum victor euasisset, victum ad Araxem vsque persecutus est; Armeniæ regem Alexandriam duxit in triumphum. quum ergo vidit se positum in gremio luxuriantis fortunæ (in quo parum sibi cauet mortalitas) deliciis captus, incidit in amorem Cleopatræ, quam repediata Octauia Augusti sorore sibi copulauit. hinc orta fax belli ciuilis: hinc Augusti nata indignatio, cui apud Actium congressus, & ad extremum victus, profugit in Alexandriam, ibiq; gladio se confodit.

Atilius Regulus consul fusis Salentinis triumphauit; primus Romanorum ducum in Africam classe traiecit; quadraginta Amilcaris classe naues longas LXIII. oppida CC. ac totidem hominum millia cepit; in Africa portentosa magnitudinis serpentem occidit; captus demum insidiis Xantippi Lacedæmonij mercenarij militis, miserabili exitu ab inimicis enecatus est.

C. Acilius Cæsaris miles, nauali ad Massiliam prælio, iecta in puppim hostium dextra, & obtruncata eam læua apprehendit; nec antè dimicare desiit, quàm captam profundo mergeret, Athenienſem illum Cynegirum imitatus, qui in consectanda Xerxis classe, idem legitur fecisse. Herodotus lib. 6.

Acilinus, Belisarij miles, solus ad portam Pintianam Gothorum repressit impetum. Procopius.

Furius Camillus Faliscos obsedit; Veios decennali obsidione domuit; Gallos Senones Roma pepulit, eisq; vexilla Romanorum extorsit; quinctò dictator Celtas iterum Romam petentes ad Anienem fluuium superauit.

M. Curius Dentatus triumphauit de Samnitibus, iterum de Sabinis, tertiò de Lucanis ouans vrbem ingressus est; Pyrrhum Epirotarum regem ex Italia pepulit; legatis Samnitum aurum offerentibus respondit, se malle imperare aurum habentibus, quàm accipere.

T. Q. Flamininus (eius Flaminij filius, qui ad Thrasymenum Hannibali inauspicatè congressus cecidit cum exercitu) Philippum Macedoniæ regem prælio fudit, castris exuit; Thessaliam iuuantibus Aetolis, & Acarnanibus vexauit; ciuitates, quæ sub Philippo erant, per præconem liberas esse pronunciauit; Demetrium obsidem accepit, quem postea pecunia multatum in regnum restituit; Labin Lacedæmoniorum tyrannum subegit; legatus in Græciam contra Antiochum & Aetolos ad confirmandas in fide Romanorum ciuitates missus est.

T. Sempronius Gracchus, Gracchorum pater, Celtiberos in deditionem accepit; prætor Galliam domuit; subiugauit Sardiniam, cuius incolas plurimos exposuit venales.

Manlius Capitolinus ob Capitolium à Gallis defensum nomen sortitus, annos XVI. natus militem voluntarium se obtulit; militaribus donis XXXVII. à suis ducibus donatus est. cicatrices habuit XXXIII. in corpore. Plin.

M. Claudius Marcellus Gallos, qui se Insubribus iũxerãt, iuxta Padum vicit, interfecto eorum duce Viridomaro; Hannibalem inuictissimum ducem primus apud Nolam superauit; contra Syracusas profectus, triennio vrbem oppugnauit; tandem interfectus est ab exercitu Hannibalis apud Venusiam.

C. Marius septies consul, Iugurtham captum in triumphum duxit; Cimbros in Gallia, Teutones in Italia oppressit, deque his triumphauit; Apuleium & Glauciam prætores seditiosos interemit: Syllam victum coegit Minturnis delitescere inter paludes; speculatorẽ Gallum ad inferendã

sibi mortem missum, vultus maiestate deterruit. Plutarchus, & Liuius.

Porsena rex Etruscorum dum Tarquinios in vrbem restituere tentans Ianiculum cepisset, Horatius Cocles pro ponte sublicio stetit, sustinuitq; hostilem impetum, donec pons a tergo frangeretur, quocum in Tiberim decidit. Sabell.

Quiq; sibi pontem passus post terga reuelli;
Ipsa licet contra staret Etrusca phalanx.

Scipio Africanus annum agens XVII. principio secundi belli Punici ductus in castra, circumuentum ab hostibus patrem liberauit; post Cannensem cladem quum iuuentus de relinquenda Italia cogitaret, ipse gladio supra capita erecto iurare singulas coegit, se non relicturos patriam; mortuo in Hispania patre, quum omnes id bellum refugerent, sponte se obtulit, natus annos XXIV. vbi Carthaginem nouam vno die expugnauit; Hasdrubalem superauit; Massanisæ nepotem in bello captum auo remisit; Syphacem regem vi cepit; Hannibalem ex Italia accersitum superauit, Carthaginemq; Romanis fecit tributariam; reuersus Romam triumphauit; consul in expeditionem Asiaticam profectus, omnia suis auspiciis rexit; Antiochum sub iugum misit; accusatus demum, quòd prædam Asiaticam non totam in ærarium contulisset, Linternum secessit in villam suam, pertæsus ingratitudinem vrbis. Liuius.

Scipio Aemilianus, Paulli Aemilij filius, Numantiam euertit, Carthaginem penitus sustulit.

M. Scæua centurio Cæsaris in Gallia solus in acie restitit, quum in hostes rueret, & iam telo femur transfixus esset, contususq; caput ictu saxi, clypeo & galea disiectis, gladioq; fracto, duplici lorica munitus, se in mare proiecit; & quum natando peruenisset ad suos, Parce (inquit) imperator, armamenta perdidi. Tranquillus scribit eum effosso oculo, transfixisq; humero & femore, ac clypeo centum & viginti foraminibus terebrato, castelli commissi portam non reliquisse.

Paullus Aemilius, Aemilij Paulli consulis, collegæ Terentij Varronis, filius, de Liguribus triumphauit; Perseum Macedoniæ regem cepit, demum in triumphum duxit; Proconsul in Hispania cũ Vascetanis & Lusitanis aduerso Mar-

te pugnauit; anno tamen sequenti Lusitanos fudit, cæsis ex eorum exercitu XIIX. millibus. captis verò DXXX.

Aurelianus imper. irrumpentes in Italiam Sarmatas bello fudit, è quibus vno die octo & quadraginta sua manu interfecit; Zenobiam quoque Palmyræ reginam in triumphũ duxit, profectus in Galliam, Tetricum subiugauit; mox in Aegyptum traiiciens, regionem pacauit, sublato Firmo, factiones ibidem suscitante; Romam postremò reuersus, de his omnibus triumphauit. Fla. Vopiscus.

Iustinianus imp. Persas domuit; Vandalorum gentem deleuit; Africam Rom. imperio totam restituit; Gothos itemq; in Italiam irrumpentes fudit; Mauros Africam infestãtes cum Atila rege subiugauit. quæ magna ex parte auspiciis Belisarij gessit. propter tot victorias dicebatur Alemanicus, Gothicus, Alanicus, Vandalicus, Africanus. Paulus Diaconus lib. 18. rerum Rom.

L. Sicinius Dentatus propter ingentem fortitudinem Achilles Romanus vocatus est. pugnauit in hostẽ CXX. prælijs; cicatricem auersam nullam, aduersas XLV. tulit. coronis donatus est aureis VIII. obsidionali vna, muralibus tribus, ciuicis XIV. torquibus LXXXIII. armillis plus centum & sexaginta, hastis XVIII. phaleris item quinquies viciesq;. Triumphauit cum imperatoribus suis triumphos nouem. Plin. & Gellius.

M. Sergius (vt scribit Plinius) secundo stipendio dextrã manum perdidit; stipendiis duobus, ter & vicies vulneratus est; bis ab Hannibale captus; bis vinculorum eius profugus XX. mensibus nullo non die in catenis & compedibus custoditus. sinistra manu sola, qua ter pugnauit, duob⁹ equis insidente eo suffossis; dextram sibi fecit ferream, eaq; religata prælians est. Cremonam obsidione exemit; Placentiam tutatus est; duodena castra hostium in Gallia, cepit; vicit etiã Fortunã. Solinus & Pontanus de Virtute bellica.

C. Tacitus prodit, Vespasianum consuesse ante ire agmẽ, locum capere, cibo fortuito, veste habituq; vix à gregario milite discrepante, legiones habuisse exercitas bello, noctu stetisse in excubiis, milites stratagematibus, dolisq; bellicis instruxisse.

Manlius Torquatus, Gallum prouocantem, scuto, & gladiis duobus armatum, ornatumq; torque, & armillis, viribus, adolescentia, magnitudine, & virtute antestantem ceteris, occidit: mortuo torquem detraxit, eamq; sanguinolentam collo suo imposuit. quo facto, ipse, posteriq; eius Torquati cognominati sunt. Gell. cap. 13. lib. 9.

Augustus imp. Cantabros, Aquitanos, Rhetos, Vindelicos, Dalmatas Romano subiecit imperio; Suevos, Catosq; deleuit; Sicambros in Galliam transtulit; Pannonios stipendiariis adiecit; Getarum populos, Basternasq; lacessitos bellis ad concordiam impulit; obsides accepit à Persis, creandiq; regis arbitrium. Ad eum Aethiopes, Indi, Scythæ, Garamantes legatos cum donis miserunt. bella ciuilia quinque gessit, Mutinense, & Actiacum aduersus M. Antonium; Philippense in Brutum, & Cassium; Perusinum aduersus L. Antonium Triumuiri fratrem; Siculum aduersus Sextum Pompeium Cn. Pompeij filium. In bello Mutinensi non modò ducis, sed etiam militis functus est munere. nam aquilifero legionis suæ grauiter vulnerato, ipse aquilam humeris subiit, diuq; portauit, quod fuit argumentum & indicium magnæ fortitudinis.

Probus imperator, bello Sarmatico tribunus, transmisso Danubio multa fortiter fecit. donatus est hastis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, ciuica vna, vexillis puris quattuor, armillis aureis duabus, torque aureo vno, patera vna librarum quinque ad rem diuinam. Sabellicus in Elegiis Romanos quosdam bellicosos his verbis enumerat:

Et quem deceptæ plectentem crimina dextræ
Cernere magnanimus Porsena non potuit.
Tercentum Fabios, assertoresq; Camillos,
Nec quibus agnomen Africa terra dedit.
Non Catulos, Decios q; duos, geminosq; Catones,
Non Capitolini nomina magna laris:
Nec taceat Cossum, nec te Marcelle relinquat,
Non Curios parcos, Fabriciumq; senem.
Tollat in immensum Syllam Mariosq; feroces,
Pompeiosq; duos, Cæsareamq; domum.

Gylippus vir Lacedæmonius, bello strenuus, Athenienses multis bellis, multisq; cladibus affecit. Tibullus lib. 4.

Non magni potior sit fama Gylippi.

Sunt & alij plerique virtute bellica memorabiles, vt ex Troianis Priamus, Aeneas, Hector, Paris, Deiphobus, Troilus. ex Græcis Agamemnon, Menelaus, Achilles, Aiax vterque, Patroclus, Vlysses, Nestor, Diomedes. de Achille, Catullus: Non illi bello quisquam se conferet heros. Horatius: Scriptor honoratum si fortè reponis Achillem, Impiger, iracundus, inexorabilis, acer, Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Bellicam Aeneæ virtutem Diomedes apud Virgilium lib. 11. his aperit versibus:

Munera, quæ patriis ad me portastis ab oris,
Vertite ad Aeneam: stetimus tela aspera contra,
Contulimusq; manus. experto credite, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam, &c.

His adduntur, Adrastus, rex Argiuorum, Agesilaus, Brennus, Cambyses, Catilina, Cimon Athenienſis, Crœsus, Euander, Iugurtha, Iason, Hercules, Pacorus rex Partho rum, Perseus, Theseus, Pyrithous, Pyrrhus Achillides, Thideus, Thrasibulus, & alij plerique poetarum carminibus cantatissimi.

FORTISSIMI FORTITVDINE corporea.

VIrgilius lib. 3. Aen. fingit Herilum tres animas habuisse, ter leto sternendum fuisse. nec aliam ob causam (vt coniicere est) quàm propter inusitatas, & portentosas hominis vires. sic autem loquitur Euander Maronianus.

Et regem hac Herilum dextra sub tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat: terna arma mouenda,
Ter leto sternendus erat, cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.

Gratianus pater Valentiniani imp. funarius est appellatus, quòd venalitium funem partanti quinque milites non possent extorquere. Sex. Aurel.

Cleomedes Astypalæus Lacchum Epidamnium pugilem armatum vnico ictu inermis occidit, occisi latera aperuit, & iniecta manu eduxit intestina. ob quam feritatem, quum à iudicibus in ius vocaretur, per forum abiens, columnam (qua ludi litterarij domus fulciebatur) disiecit, eaq; ruina pueros omnes adobruit. alii dicunt fugientem in Mineruæ templo arcam ingressum operculo se obtexisse, vbi nusquam repertus sit. Plutarchus in vita Romuli, & Crinitus cap. 1. lib. 15.

Milonem Crotoniatam, dum constitissет, nemo vestigio educebat. Malum tenenti nemo digitis poterat extorquere. in Olympia bouem per stadium retento anhelitu portauit, quem ictu pugni interfecit, & vno die integrum deuorauit. quum autem nimia neruorum fiducia arborem vellet diducere, brachiis hinc inde constrictis, & deficiente conatu retentus, lupis fuit præda. Iuuenalis Satyra 10. - viribus ille Confisus periit, admirandisq; lacertis. Cælius cap. 21. lib. 5. De Milone meminit Gellius lib. 15. cap. 16.

Titormus Busequa fuit quispiam, procero corpore, viribusq; portentosis, cuius vires quum Milo vellet experiri, ille in Euenum descendens permagnum arripuit lapidem, quem ad se protraxit, & inde propulit, bisq; & ter hoc ipsum effecit, postea erexit, erectumq; & humero impositum ad quinquaginta vlnas vexit. hunc autem lapidem vix emouebat Milo. Aliud item roboris sui argumentum exhibuit Titormus. maximi enim tauri pedem corripuit, furentemq;, & inde proripere se cupientē constantissimè retinuit. quod videns Crotoniates, O Iuppiter, inquit, an alterum nobis proseminasti Herculem hunc? Cælius cap. 69. lib. 11.

Poetæ scribunt Cacum immanem fuisse latronem, Volcani filium, ignes, & flammas ore vomentem, qui boues ea da raptos inuersis vestigiis, causa tegendi furti, in speluncam traxerit. fabulantur quoq; tam prodigiosis fuisse viribus, vt cauernam suam obice montis præstrueret. Ouid. 1. Fast. Ille aditum fracti præstruxerat obice montis, Vix iuga mouissent quinque bis illud onus. Nititur hic humeris (cælum quoque sederat, & c.

Monychus nomen est Centauri, qui arbores & saxa pro-

telis iaculabatur. Lucanus lib. 6. Phars. Asperate Pholoes frägentem Monyche saxa. Ouid. in Ibin: Quiq; trabes pressas ab humo mittebat in auras. Iuuen. Saty. 1. Quantas iaculetur Monychus ornos. Idem quoque fingitur de Rhœto Centauro. Lucan.

Teq; sub Oeteo torquentem vertice vulsas
Rhœte ferox, quas vix Boreas inuerteret, ornos.

Scinis latro fuit prope Corinthum, summas arbores in terram complicabat, hisq; alligatos homines discerpebat, truncis cum magno impetu in aera laxatis. Ouid. in Met. Occidit ille Scinis magnis malè viribus vsus, Qui poterat curuare trabes, & agebat ab altò, Ad terrā latè sparsuras corpora pinus.

Quantæ fuerint Turni vires hoc licet arguere, quòd singulari certamine Saxum antiquum ingens (campis quòd forte iacebat Limes) in Aeneam contorserit. auctor Virg. Vix illud lecti bis sex ceruice subirent, Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Iunius Valens (qui in prætorio Augusti meruit) vehicula cum culeis sustinebat. Carpenta comprehensa vna manu retinebat, contrà nitentibus iumentis.

Rusticellus mullum suum tollebat, inquit Varro apud Plinium.

Lisimachus leonem (cui Alexandri iussu fuerat exposi-tus) strangulauit, arrepta eius liugua.

Græcorum monumentis proditum est leonem insolita magnitudine confectum in Olympo monte è Polydamante athleta inermi. eundem quoq; scribunt in armenta boum intrasse, vbi taurum magnitudine insignem, altero posteriorum pedum arripuerit, ferocientemq;, & prærabido impetu prosilientem, non dimiserit prius, quàm in eius manu vngulam reliquerit. Narratur etiam quadrigas tota vi concitatas constantissimè retinuisse. qua fortitudinis fama permotus rex Darius Artaxerxis filius, virum magnæ mercedis pactione Susa pellicuit. eò quum venissет Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos (qui vnà ex prouocatione arma susceperant in aduersum) solus contrucidauit. cui inuisitato robori cōfidens, dum forte fortuna cum aliquot aliis

in spelunca recumberet ad mensam, conuulsusq; supernè scopulus ruinam minaretur, & omnes ad fugam impelleret, solus ibidem remansit, fore sperans, vt saxum decidens facilè sustineret, quo tamen oppressius est. Cæl. cap. 56. lib. 7.

Sabinus Syrus, vir fuit memorandæ fortitudinis, qui tempore Titi Vespasiani primus Hierosolymæ muros ascendit. Iosephus lib. 7.

Sanson mille quondam Philistæos asini maxilla interfecit; ligatus domum concussit ac diruit, eaq; ruina oppressit quamplurimos; portas vrbis euellit; capillis demum à Dalida meretrice rasis, in quibus robur fatale continebatur, venit in hostium manus.

Taurea Iubellius Campanus, vir fuit memoranda fortitudine, qui in castris Hannibalis Claudium Ascilium Romanæ ingenti hominem robore ad duellum prouocauit. idem capta à Fuluio Capua, vxorem, liberos ac se postremò ante pedes imperatoris gladio confodit.

Tritanus hostem, ex prouocatione dimicantem, inermi dextra vno digito superauit, & postremò correptum in castra transtulit. Plinius lib. 7.

Agatho vir fuit Athenis monstrosæ fortitudinis, & magnitudinis octo pedum, in ipsa etiamnum adolescentia vasta coma, hirsutis oculis, & iunctis, vt vnus prope videretur, læta facie, naso aquilino, ceruice torosa, pectore vasto, cruribus breuibus, ac extrà incuruatis. erat ei tegmen hispina pellis; frequens cum apris, lupis & tauris certamen, quorum vulnera ostentabat. vescebatur lacte asinino. crateram sibi iussu Herodis oblatum respuit, dicens: Haud putarum esse, quod odore muliebri offenderetur.

Tydeus Oenei Calydoniæ regis filius, quum Mycenis esset, raretur, neminem sibi viribus conferendum reperit. nuntius ad Etheoclem legatus, Thebanos ad quodlibet certaminis genus prouocauit, omniumq; euasit victor. quod quum aggreferrent, insidias in oportuno loco tetenderunt. constituerunt enim iuuenes omnium fortissimos, qui transeuntem illac Tydeũ interciperent, & obtruncarent. quos omnes ramen interfecit. Tortellius lib. 6.

Seleucus Nicanor, Syriæ rex, corpore fuit ingenti &ro-

busto, adeò vt taurum silvestrem in Alexandri sacrificio elapsum sese opponens, vtraque manu tenuerit.

Firmus imperator (quem Aurelius latronem Aegyptium vocabat) statura fuit ingenti, oculis promicantibus, capillo crispo, fronte vulnerata, fusco vultu, reliquum corpus pilosus, & hispidus, ita vt Cyclops vulgò diceretur, robore autem adeò insignis, vt Triarium vinceret. nam & incudem pectori superpositam, tondentibus fabris, constanter pertulit, quum resupinus, & in manus curuatus pendere magis videretur, quàm iacere. Crinitus.

Legimus Maximinum imp. (qui Thrax fuit) appellatum fuisse Milonem sui seculi, quòd is hamaxas traheret, Rhedã onustam propelleret, aliaq; item plurima perficeret, fidem vix capientia. Capitolinus.

Aristomenes Messenius solus c c c. Lacedæmones occidit tandem vulneratus, & captus pœnam per cuniculos subterraneasque cauernas effugit. iterum captus, custodibus somno sepultis, accessit ad ignem, & lora combussit. tertiò captum quum Spartani dissecuissent, introspexissentq; qualis esset, repertus est hirsuto corde. Plinius libro 11. cap. 37.

Fusius Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duobus humeris contra scalas ferebat. Plin. cap. 20. lib. 7.

Plinius ait se vidisse Athanatum quendam prodigiosæ ostentationis, quinquagenario thorace indutum, cothurnisq; quingentorum pondo calciatum, per scenam ingredi.

C. Acilius, Cæsaris miles, nauali apud Massiliam prœlio hostilem ingressus puppim, abscissa dextra umbonem sinistra retinuit, eousq; vultibus terrens, vt prostratis omnibus, nauem occuparit victor. Plutarchus in Cæsare.

M. Seruilius vir consularis, tricies & vigesies in singulari certamine pugnauit, ac semper trucidauit hostem. Plut. in Aemilio.

Bithon quidam (vt apud Cælium testis est Pausanias) tauorum humeris gestabat, cuius memorabilis & prodigiosæ fortitudinis indicem habuit statuam Argis.

Cynegirus Atheniensis in bello Persico magna pertina-

cia in confectandis hostibus usus est. nam & nauem onustam dextera manu tenuit, ea amputata sinistram iniecit: quam & ipsam quum amisisset, nauem mordicus arripuit, morsuq; retinuit furenti similis. Trogus & Herodotus. Idem quoque dicitur accidisse Lucio Glauco, uiro Romano, ut utramq; amiserit manum, quum Hasdrubalis nauem detinere uoluisset.

Skyoldus, Vffo, Freficus, Starcatherus nomina sunt apud Saxonem Grammaticum, hominum magnis uiribus & magno robore præditorum. quorum Skyoldus Lotheri Danorum regis filius, quum ab adolescentia uenandi studio flagraret, immanem (cui nemo audebat congredi) belluam subegit, quæ futuram in eo fortitudinem omnata est. idem postea repertum miræ magnitudinis ursum, & insolitæ graditatis, cingulo detinuit, sociisq; præbuit occidendum. complures quoque spectatæ fortitudinis athletæ ab eodem superati sunt. è quibus Attalus & Scarus illustres fuere.

Vffo maiore erat corpore, quàm ut armis uti posset alienis. oblatis compluribus gladiis, manu capulum stringens frustillatim singulos agitando comminuit. nec erat tanti corporis gladius, quem non ad primæ concussionis motum, in uarias partes effringeret, ac dissolueret. Saxo lib. 4.

Vbbo Freficus, Haraldi regis miles, præter undecim, quos in acie uulnerauerat, uigintiquinq; delectorum pugilum interfecit. idem nemine propius cum ipso congredi audente, sagittis impetitus CXLI. ictibus prius perforatus est, quam lapsis corporis viribus genua reclinaret.

Starcatherus iam senex, gemino cinctus ense, torideq; baculis infirmam senectutem iuuabat. cui quum popularis quidam illudens, inutilem & superuacuum dixisset gladiorum usum, ac propterea alterum sibi donari per ludibrium petiisset; iussum accedere spe petitionis Starcatherus gladio tantum uerberauit. ad cuius facti vltionem, quum duo Hathermites magno equorum concursu aduolassent, vtrunque occidit. facti causam percontanti Hathero, respondit, se semper pœnas ab irrisoribus exigere solitum, nec vnquam impune sibi à procacibus insultatum.

Paulus Diaconus scribit, Amelongum Romualdi Longobardorum

bardorum regis militem, quendam Græcum equitantem ictu baculi sella excussisse, & in aera supra caput suũ leuasse.

Ferunt Odenatum Zenobiæ Palmyreorum reginæ (de qua Aurelius triumphauit) maritum, primam ætatem exercuisse in capiendis leonibus, pardis, vrsis, ceterisq; siluestribus feris; famem insuper, æstus, frigora, pluuias vbiq; pertulisse: quibus duratus bellicas postea difficultates tum aduersus alios, tum maximè aduersus Persas tulerit. Pollio Trebellius, & Pontanus de Fortitudine.

Smerdis, frater Cambysis, solus arcum ad duos digitos complicabat, quem nemo Persarum poterat incuruare. Herod. lib. 3.

Dioxippus, Alexandri fuit miles fortissimus, qui prouocatus à Corrago milite, eũdẽ claua interfecit. Q. Curtius.

Eurymus athleta, patria Locrensis, quum ingenti esset robore, saxum miræ magnitudinis allatum humeris pro porta Locrensium statuit, quod miraculi gratia visebatur. idẽ quoque Temesæum quendam reddere compulit, quæ cuique magno fœnore extorserat. Erasmus, & Volater.

Fuit Carolus Magnus (vt iam dictum est) procero corpore, vastisque præter humanam consuetudinem viribus. cuius rei haud dubia sanè reliquit argumenta tam præclaris, tamq; multiplicibus victoriis.

Telamon propter insignem corporis fortitudinem Herculis amicus habitus est, & Hesionem possidere meruit.

Peleus feras omnes (ad quas discerpendas fuerat missus) viribus sustulit.

Periclymenus congressum Herculis sustinere ausus est.

Nestor apud Ouid. lib. 12. vires suas sic exprimit: Tunc ego debueram capienda ad Pergama mitti, Tunc poteram magni si non superare, morari Hectoris arma meis.

Theseus Aegei filius, Herculeæ virtutis æmulus, Scyronem, & Procustem latrones, Scinin arbores complicantem, Creontem Thebarum tyrannum, Minotaurum monstrum biforme, Centaurosq; plurimos interfecit, & (vt fabulantur poetæ) ad inferos descendit cum Pyrithoo, vt Proserpinam raperent. quę omnia Phyllis apud Ouidium declarat his verbis:

Quum fuerit Scyron lectus, toruusq; Procustes,
Et Scinis, & Tauri, mistaq; forma viri;
Et domitæ bello Thebæ, fusiq; bimembres,
Et pulsata nigri regia cæca dei.

Si poetarum verba fidem capiũt, nemini dubium est, quin omnium (qui prodigiosis viribus extitere) laudem multis interuallis excesserit fortissimus ille Iouis & Alcmenæ filius Hercules, qui odio nouercæ Iunonis agitatus, multa passus est, & plerisque naturæ portentis expositus, à quibus tamen semper rediit victor. In primis dum adhuc esset infans, duos angues arctatis gutturibus elisit. prouectior factus in Lerna palude certamen suscepit cum Hydra redituis capitibus pullulante dum vnicus amputabatur vertex. Leonem Nemæum toti populo formidolosum, precibus Molorchi pastoris (à quo susceptus fuerat hospitio) interfecit. alterum item in Thessalia non minus terribilem. Aprum in Mænalo Arcadiæ monte cuncta vastãtem itidem iugulauit. Ceruam æripedem, & aureis cornibus decoram, cursu arripuit. Harpyas volucres immundas, virgineum præferentes vultum, prope Stymphalum Arcadiæ lucum sagittis confodit. Taurum furiosum & flammas vomentem distentis faucibus iugulauit in Attica. Acheloum in varias formas se cõmutãtem vicit. Diomedẽ regẽ Thraciæ equos hospitũ cruore pascentem occidit. Busirim regem, Neptuni, & Libyæ filium, hospites mactantem, & adiacentes Nilo regionis latrociniis deprædantem, itidem interfecit. Antæum Gigantem (cui terra mater suppeditabat vires) lucta superauit. Abylen & Calpen columnas in Occidente posuit. Aureã mala sustulit Hesperidibus, interfecto (qui eorum custos erat) Dracone. Gerionа tricorporem vita spoliauit, & armento. Amazonum reginæ Balteum abstulit. Cacum Vulcani filium & latronem, flammas ore vomentem de medio sustulit. Nessum centaurum, Deianiræ raptorem, confodit jaculis. Hesionam Laomedontis filiam liberauit à monstro. Troiam deleuit. Lacinium latronem in Italia peremit. Cælum humeris (vt ad exprimendas vires fingitur) sustulit. Iunonem in papilla vulnerauit, velut laborum suorum auctorem. descendit ad inferos, ibiq; Cerberum rapuit, raptum & catenis uinctum, in auras eduxit. Theseum liberauit. Lycum Thebarum regem (quòd Megaræ uxori suæ stuprum inferre voluisset) morti dedit. Vnicum fuit monstrum, cui non potuit superesse, Amor. Vnde Ouidius: Quem non mille feræ, quem non Stheleneius hostis, Non potuit Iuno vincere, vicit Amor.

GIGANTVM QVORVNDAM NOMINA, & aliorum inusitatæ magnitudinis hominum.

QVoniam de prodigiosis viribus facta est mentio, decens & congruum videtur, vt subsequantur Gigantes, & qui inusitata fuerunt corporum magnitudine. Fingũntur autem Gigantes terræ filij, vnde & Terriginæ vocantur à Lucano scribente: Aut si terrigenæ tentarent astra Gigantes. dicuntur & impetum fecisse in Deos, eosq; cælo detrudere voluisse, cuius rei causa dei omnes mutatis formis delituerint. Vnde Ouid.

Emissumq; ima de sede Typhoea terra,
Cælitibus fecisse metum, cunctosq; dedisse
Terga fuga, &c.

Fuerunt ingentis staturæ, vnde & ex his nonnulli cælum humeris dicuntur sustinuisse, vt Atlas, Hercules. fulmine omnes, percussi sunt ob prædictam impietatem. pugna illa vocatur Gigantomachia. ipsi vero aliter dicuntur Phlegræi fratres, à Phlegra valle Macedoniæ, vbi cum cælestibus pugnauere. Seneca in Thyeste: Nunquid struitur via Phlegræos alta per hostes, & Thessalicum Thressa premitur Pelion Ossa? Dicuntur & Titanes. Idem Seneca in Hercule furente: Titanas ausos rumpere imperium Iouis. Antiquitus sic formabantur, vt eorum pedes in draconum volumina desinerent, quod ea ratione factum est, vt intelligere mus, eos nihil rectum sublime cogitasse. quum detorti eorum gressus ad inferna demergantur. auctor Vectius apud Macrobium. Ea est causa, quamobrem vocentur à poetis Anguipedes, & Serpentigenæ. Ouid. lib. 1. Metam. - qua centum quisq; parabat Inicere Anguipedum captiuo brachia cœlo. Pontanus: Tune deus, tune Anguipedes uicture gigante; Ouid. lib. 4. Trist. Sphingaq; & Harpyas, serpenti

genosq; gigantes.

Nunc seriatim dicendum est de his, quorum frequentior est apud scriptores mentio. Virgilius lib. 1. Georg. de quibusdam meminit: -tum partu terra nefando Cœumq; Iapetumq; creat, saevumq; Typhœa, Et conjuratos cælum rescindere fratres. Ter sunt conati imponere Pelio Ossam, Scilicet atq; Ossæ frondosum involuere Olympum. Ter pater extructos disiecit fulmine montes.

De Iapeto Sylius lib. 12. Apparet procul Inarime quæ turbine nigro Fumantem premit Iapetum, flammasq; rebelli Ora reiectantem.

De Typhœo, seu Typhone Virgilius lib. 9. Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumq; cubile Inarime Iouis imperiis imposita Typhœo. Val. Flaccus lib. 2. Horror abest, Siculæ pressus tellure Typhœus. Virgilius in Cyri: Additur aurata confixus cuspide Typho. Lucanus lib. 4. de hoc & quibusdam aliis: Nondum post genitos tellus effœta gigantes, &c.

Inter Gigantes etiam numerantur Alœus Titanis filius, geminique eius filij, ex Iphimeride à Neptuno uiolata genti, Othos & Ephialtes. Virgil. in Culice: Nam victus feret immanis serpentibus Othos, Deuinctum mœstus procul aspiciens Ephialtem, Conati quondam quum sint incendere mundum. Idem lib. 6. Aen. Hic & Aoidas geminos immania vidi, Corpora, &c.

Enceladum poetæ fabulantur in Sicilia fulminatum, vt Othum in Creta, Typhœum in Campania. de hoc Virgilius lib. 3. Aen. Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus Vrgeri mole hac, ingentemq; insuper Aetnam Impositam raptis flammam exspirare caminis; Et fessum quoties mutat latus, intremere omnem Murmure Trinacriam, & cælum subtexere fumo. Idem in Aetna: Murmure Trinacrio morientem Iuppiter Aetna Obruit Enceladum, &c.

Tityus Gigas fuit nouem iugerum, qui quũ Latonæ vim vellet inferre, ab Apolline sagittis confossus est, & ad inferos detrusus, vbi à vulture corroditur, fibris, & iecore semper renascentibus. Virg. lib. 6. Aen. Nec non & Tityon terræ omnipotentis alumnum Cernere erat: cui tota nouem per

iugera corpus Porrigitur; rostroq; immanis vultur adunco Immortale iecur tundens, fecundaq; pœnis viscera, rimaturq, epulis, habitatq; sub alto pectore: nec fibris requies datur vlla renatis. Ouid. lib. 1. de Ponto.

Polyphemus cyclops, Neptuni filius ex Thoa, propter immanem corporis molem numeratur inter gigantes. de hoc Virg. lib. 3. Aen. Nam quantus, qualisq; cauo Polyphemus in antro Lanigeras claudit pecudes, atque vbera pressat.

Aegæon gigas est, quem nonnulli eundem cum Briareo faciunt. fuisse fertur centimanus, vnoq; ictu centum scopulos in Iouem torsisse. Virg. lib. 10. Aen. Aegæon qualis, centum cui brachia dicunt, Centenasq; manus, quinquaginta oribus ignem Pectoribus arsisse, Iouis quum fulmina contra Tot paribus streperet Clypeis, tot stringeret enses. Hũc poetæ fabulantur à Neptuno fuisse alligatum maris Aegæi scopulis. Statius: Audierat duros laxantẽ Aegæona nexus.

De Briareo Claudianus -quæ brachia centum Briareus aliis numero crescente lacertis Tot simul obiectis posset contingere rebus. Virgil. lib. 6. Aen.

Inter hos ponitur Numas, quem aiunt sub Prochyta conclusum. Syllius lib. 12. Apparet Prochite sæuum sortita Numanta.

De Porphyrione & Adamastore Sidonius: Hic rotat excussum vibrans in sidera Pindum Enceladus, rapido sit missilis Ossa Typhœo, Porphyrion Pangæa rapit, Rhodopenque Adamastor.

Anthæus gigas fuit in Libya proceri corporis, cui Herculem luctanti terra mater augebat vires, quotiescunq; eam attigerat. Lucan. lib. 4. Hoc quoq; tam vastas cumulauit munere vires Terra sui fœtus, quòd cum tetigere parẽtem, Iam defecta vigent renouato robore membra.

Fuit & Astræus vnus è Titanibus, qui contra deos arma sumpsere. hic ex Aurora ventos genuisse fertur.

Atlantem poetæ fabulãtur gigantem omnium maximum, qui cælum humeris sustinuerit. quod fingitur propter eius eadem nominis montem in Mauritania tantæ altitudinis, ut nubes contingere videatur. Virg. -ubi cælifer Atlas A-

xem humeris torquet stellis ardentibus aptum. Ouidius lib. 5. Fast.

Gygem Hesiodus in Theogonia facit cæli & terræ filium, & Briarei fratrem. Ouidius: Centimanumq; Gygem. Pontanus lib. 3. de Stellis, quosdam enumerat.

Sunt & alij, qui excreuisse dicuntur in Gigantæam propè magnitudinem. nam Agatho Atheniensis (qui floruit ætate Hadriani principis) adhuc adolescens fuisse dicitur altitudinis octo pedum.

Fuit & Porus rex in India quattuor cubitis & palmo procerus, quem Alexander bello vicit.

Aranthas Bebrycius octonis cubitis lõgus fuisse traditur.

Orestis corpus oraculi iussu refossum septem cubitorum fuisse monumentis proditur. auctore Plinio. Architrenius: Staturam cubitis septem distendit Orestes.

In Creta terræ motu rupto monte inuentum est corpus, stans XLVI. cubitorum, quod alij Orionis, alij Etionis fuisse tradunt.

Aetate Plinij visus est nouem pedum ac totidem unciarũ homo Gabbara nomine, ex Arabia aduectus. Architrenius: In bis quinque pedes produxit Gabbarus artus.

Fuerunt semipede maiores Pusio & Secundilla, quorum corpora miraculi gratia asseruata sunt in conditorio Sallustianorum hortorum.

Goliath gigas fuit, quem Dauid fundæ uerbere deiecit in terram & interfecit. Politianus in Nutricia: Psallentemq; deo regem, qui turbine fundæ Icta Philisteo secuit puer ora Giganti.

Quàm procerus extiterit Maximinus imper. hoc satis argumento constat, quòd uxoris dextrocherio (id est ornamento Brachiorum) pro anulo uteretur.

Saxo Grammaticus ait Offorum fuisse gigantem, & pastorem, cuius armenta tutabatur canis Biornonis cuiusdam.

Berosus libro 5. antiquitatum Noa reponit inter gigantes & astrologos. facit Tuisconem gigãtem, cuius filius Mannus apud Sarmatas regnauit ætate Semiramidis.

Inter gigantes quoque numeratur Hercules, quem fellor Atlante cælum humeris subiisse ferunt.

Artachees uir fuit inter Persas procerissimus, ætate Xerxis, ut cui quattuor omnino digiti deessent à longitudine quinque regiorum cubitorum. Herodotus.

Oromedon quoque nomen est gigantis apud Propertium li. 3. scribentem: Te duce uel Iouis arma canam, cæloq; minantem Cœum & Phlegræis Oromedonta iugis.

Saxo Grammaticus ait Harthbenum fuisse quendam ex Helsyngia, qui raptas regum filias stupro fœdare gloriæ loco ducebat, illum perimere solitus, à quo peragendæ Veneris usu prohiberetur. aitq; tantam in eo corporis magnitudinem extitisse, ut LX. cubitis proceritatis eius dimensio tenderetur.

Fuit & Gemagog gigas cubitis duodecim procerus. Architrenius: Cubitis ter quattuor altum Gemagog Herculea suspendit in aera lucta. Idem: Gemagog arduitas Corinei fracta lacertis.

NANI, ET PVMILIONES.

NAni dicuntur homunciones breuiculi, & modicè ab humo extantes: uocantur aliter Pumiliones, & Pumili. Statius: Mirantur Pumilos ferociores. Talis fuit Conopas, in deliciis Iuliæ neptis Augusti, duos pedes & Palmum longus, auctore Plin. Cuiusmodi etiam fuisse fertur Andromeda liberta Iuliæ Augustæ.

Manium Maximum & M. Tullium equites Romanos, binum cubitorum fuisse, auctor est Varro apud Plin.

Duo fuerunt Molones, nota corporis breuitate, quorum alter histrioniam exercuit, alter latrociniis famosus factus est. inde natum adagium: Pusillus quantus Molon.

Pygmæorum, qui longissimi sunt, duos pedes & quadrantem non excedũt. hinc prouerbium: Pygmæo breuior. Mãtuanus: Inter Pygmæos non pudet esse breuem. Habitant in extrema parte montium Indiæ: horum mulieres quinto anno pariunt, & senescunt octauo. infestantur maximè à gruibus, in quas turmatim prodeunt, & nihilominus uincuntur. Claudianus lib. 1. In Eutropium. Et Iuuenalis Satyra 13.

M. Antonius Sisyphum pumilionem habuisse fertur intra bipedalem staturam, ingenio tamen uiuacem. Augustus ex

hibuit spectaculis Lucium, adolescentulum honestè natum, bipedali minorem.

ALOIDÆ, TYNDARIDÆ, ATRIDÆ.

ALoidæ dicti sunt Othos & Ephialtes, ab Alœo gigante, cuius uxorem Iphimediam compressit Neptunus, & ex ea suscepit geminos, qui quum Alœi putarentur esse filij, dicti sunt Aloidæ, ut iam diximus.

Eo quoq; modo Tyndaridæ uocati sunt Castor & Pollux, quòd crederentur Tyndari filij, quum tamen ex concubitu Iouis cum Leda geniti essent. Seneca: Hinc clara gemini signa Tyndaridæ micant. Ouidius: Tyndaridæ fratres hic equesq; ille pugil. Simili ratione uocatur Helena Tyndaris.

Atridæ uocantur Agamemnon & Menelaus, ab Atreo parente. Horatius de Aga. Arsit Atrides medio in triumpho Virgine rapta. De Menelao Virg. lib. 11. Atrides Protei Menelaus aduſq; columnas Exsulat.

CYCLOPES.

CYclopes ministri fuerunt Vulcani in Sicilia, quos poetæ Monoculos dicunt, Neptuni filios ex Amphitrite. dicuntur Ioui fulmina conficere apud Liparam, quæ est vna ex Aeoliis insulis. fabricam ferrariam primum in Creta repererunt. omnium præcipui fuerunt Brontes, Steropes, Pyragmon. de quibus Virg. lib. 8. Aen. Ferrum exercebant uasto Cyclopes in antro, Brontesq;, Steropesq; & nudus membra Pyragmon. Ouid. lib. 4. Fastorum. Claudianus de 111. consulatu Honorij, & Statius lib. 4. Sil. Hos autem occidisse fertur Apollo, propter fulmina Ioui fabricata, quibus perierat filius Aesculapius. hinc extrusus deorum conturbernio exsulauit in Thessalia, ubi Admeti regis fuit armentarius.

CVRETES.

CVretes, seu Corybantes ministri fuerunt Cybeles, quibus ferrariam fabricam nonnulli referunt accepta. horum nomina citat Erasmus ex Græcis carminibus, quæ Latina fecit: Illic habitabant Montigenæ Phryges Idæi, gens arte celebris, Celmis Damnameneusq; ingens, Acmonq; superbus Montanæ docti cultores Adra-

stææ: à quibus ars Vulcania primis esse reperta dicitur, & nigrum nemoroso in monte repertum, In uarios usus monstratum cudere ferrum, Impositumq; igni, miro splendescere cultu. Propter hoc inuentum (quod illis adscribitur) æra & ferra uocantur Corybantia. Virg. lib. 3. Aen. Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaq; æra. Tertullianus: Iuppiter Cretam suam Romanis fascibus concuti sineret, obstitus illud antrum Idæum & æra Corybantia. Horum præcipuus fuit Celmis, à quo ferrum solidissimum cudebatur. hinc natum adagium, Celmis in ferro. de his, qui præter modum suis fidunt uiribus, tanquam inexpugnabiles, aut qui in sua arte magnopere excellunt. cuiusmodi sunt hæc, Roscius in scena, Antæus in arena, Hercules in claua.

ATHLETÆ PVGILES, ET PALÆSTRITÆ.

AThletæ dicuntur pugiles & luctatores, aliter Pancratiastæ, à Pancratio ludo gymnico, de quo Propertius: Et patitur duro uulnera Pancratio. Gellius ait unum ex liberis Diagoræ Rhodij fuisse Pancratiastem. Athletarum nomine dicebantur, qui manibus pedibusq; quasi omni ope, omnibusq; (ut dicitur) unguiculis connixi certabant. uocantur etiam Palæstritæ à palæstra luctatione, de qua Virg. lib. 6. Aen. Pars in gramineis exercent membra palæstris. Palestrici item dicuntur, qui motus gestusq; formant, ut in palæstra brachia recta sint, nec indoctæ rusticæ ue manus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculiq; ab alia corporis parte dissideant. hæc ars Chironomia dicitur, quam ueteres ingenuis liberis necessariã putauerunt, uideturq; nonnihil ad histrioniam spectare, & oratoriam. hanc qui non didicerunt, Apalestri uocantur, quòd motu flexuq; corporis ac omni habitu nullam omnino uenustatem, leporemq; præ se ferant. In Gymnicis artificibus sunt etiam Pictæ, id est pugiles, & Dromeis, id est cursores, quales à Virg. ponuntur lib. 5. ubi ad patris Anchisæ tumulum exequialis celebrat ludos. Sunt & alia permulta Athletarum genera, ut Discopoli, qui discum in sublime iaculantur, qui frequens erat antiquis ludus. Haltici, qui

cursus pernicitate contendunt, qualis Virgilianus ille pedibus longè melior Lycus. De antiqua puerorum institutione Plautus. Ante solem (inquit) exorientem nisi in palæstram veneras gymnasij, profectò haud mediocres pœnas penderes. Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, saliendo sese exercebant magis, quàm scorto. Sed hæc fuerant Græcorum exercitia, quibus non vtebantur Romani. Gymnici Agones dicebantur, in quibus nudis exercebantur Athletæ, quos in Arcadia primus reperit Lycaó. hinc Gymnasia vocantur exercitij loca, quæ à corporibus ad animorũ exercitia postea traducta sunt. Athenis tria fuerũt Gymnasia, Lyceum, Academia, Cynosarges. fuit Lyceum Aristotelis schola, Academia Platonis. apud Cynosarges pueri exercebantur, qui nec à patre, nec à matre ciuitatis jus habebant. Porrò moris erat, vt luctaturi cæromate, id est oleo cærato perfunderentur: quos qui vngebant, vocabatur. Cæromatistæ. vnde Lucanus liquidam vocat palæstrã lib. 9. dicens: Arcados auctoris citharæ liquidæq; palæstræ. Vnctam Statius lib. 6. Theb. Ante alios erat vncta Pales. Eadem ratione madidam oleo palæstram vocat Calentius. Post vnctionem demum inspergebantur puluere, vt corpora cæromate & sudore lubrica mutuas luctantium prehensiones admitterent, hinc factus prouerbio locus, Citra pulueris tactum: vbi dicimus rem aliquam sine discrimine & labore partam. Puluis ille vocatur Aphe. Ceterum vbi Fabius lib. 1. Inst. ait bonum esse, vt futurus orator Palestricis det operam, non de his loquebatur, quibus pars vitæ in oleo cõsumebatur, sed de illa Chironomia, quæ est formãdorum gestuum ac motuum norma, quam ab Athletica palæstra multum distare constat. Palæstrę tamen appellatione rem athleticam omnem complectimur. Pugilatus (qui Græcè Pygmen dicitur (cæstibus fiebat, cuiusmodi fuit illa Daretis in Entellum concertatio apud Virgilium. Qui saltu certabant, plumbeis quibusdam pilis & massulis (Halteres Græci vocant) vtebantur, quibus vtraque manu se librabant. hoc adhuc nostri temporis faciunt Histriones funãbuli, quo ne corporis mole in hanc vel illam partem rapiantur, præpilatis perticis vacillationem impediunt. de his intelligi-

Iuuen. Et lassata manu ceciderunt brachia massa. Cursorum alij Stadiodromi vocabãtur, qui stadiũ percurrebant, & qui escebant in limite. Alij Diaulodromi, qui peracta meta eò demum reuertebantur, vnde cursum inierant. Dolichodromi dicebantur, qui sexies stadium curriculo obibant. Inter athleras etiam erant Acrochiristæ, qui summis inter se manibus depugnabant, nullo complexu hærentes. Qui quinque certabant generibus Lucta, Pugilatu, Saltu, Cursu, & Pancratio, Pentathli vocabantur. Xystici, qui per hiemen exercebantur in porticu. nam Xystos latam porticum significar. Sciamachi dicebantur, qui sub tectis vmbratilem pugnam fingebant, non veram, quæ fiebat in sole & puluere, qualis est Lanistarum pugna, qui digladiandi artem profitentur, quiq; numeros omnes impetendi, cedendi, inferendiq; & vitandi vulnera, atq; etiam vbi punctim, cæsimq; ferendum sit, discipulos docent: vt si quando in puluerem prodeũdum sit, & vulnificum certamen, tutentur se melius, & inimicos inuadant cautius. Panis, quo vtebantur Athletæ, dicebatur Colyphium. Nunc ad eorum nomina veniendum est, qui vel vnico palęstræ genere, aut multis claris extiterunt.

Ouidius lib. 5. Metam. facit Broteam & Ammonem pugiles cæstibus claros, vbi ait: Hinc gemini fratres Broteasque, & cæstibus Ammon Inuicti, vinci si possent cæstibus enses.

Ex dũbus Tyndaridis alter fuit equitatu clarus, alter pugilatu. Ouid. lib. 8. Tyndaridæ gemini præstantes cæstibus alter, Alter equo. Idem alibi: Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.

Fuit Amycus, Bebryciorum rex, filius Neptuni, cæstibus clarus, quibus aduenas in siluis interficiebat. hunc occidit Pollux. Sidonius: Sparta Terapnæa pugilem cũ Gymnade pinguem Stratum Bebryciis Amycum suspexit arenis. Valerius Flaccus lib. 4. Argon.

Cæstibus ergo valuerunt Amycus à Polluce interfectus, Butes Amyci filius, & Eryx, quem Hercules dedit morti.

Buses Amyci filius, & Eryx Butæ, illustres fuerunt pugiles. Butem Dares interfecit, Erix magister fuit Entelli,

cuius cæstus Entellus ipse in Dareta certaturus protulit. fertur etiam Eryx in Herculem certasse, victusq; succubuisse. de vtroq; Virg. lib. 5. Victorem Buten immani corpore, qui se Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat, Perculit, & fulua moribundum extendit arena. Idem: Vbi nunc nobis deus ille magister Nequicquam memoratus Eryx?

Eutimus Pyctes fuit patria Locrensis, qui saxum mirę magnitudinis ad Locrensium portas humeris vexit, vt iam diximus.

Nestor (vt est apud Homerum) quum adhuc iuuenis esset, vicit pugnis Clytomedea, Lucta Ancæum, Iphiclum pedum velocitate, Phylea & Polydorum iaculatione.

Agesidamus Locrensis fuit Olympionica, quem ab inimico propè vinctum, quum vnxisset Ilas socius, acriorq; conflictum rediens euasit victor. in cuius laudem Pyndarus scripsit hymnum.

Fuit & Aegesias Syracusanus, Sostrati filius, nobilis Olympionica.

Archias Hyblæus fuit præco, qui tres ordine uicit Olympiadas, & Pythica, statua cum epigrammate ob uirtutem illam decoratus. Iul. Pollux apud Volater.

Asbilus Olympionices fuit Crotoniata, ter in Olympia continua serie victor, quem perpetua uirginitate fuisse præditum ferunt.

Autolycus nobilis fuit Pancratiastes, cui statua posita est in Prytaneo: id erat locus Athenis in arce dignissimus, vbi iudices de negotiis reipub. petractabant.

Cleomedes athleta Astypalensis genere. de cuius robore iam diximus in cap. de Viris prodigioso robore.

Cleomachus fuit pugil Magnesius, de quo nihil reperitur, præterquam quòd in cuiusdam cinædi, & ancillæ amorem incidens, corruptissimis euaserit moribus.

Clitomachum Palæstritam non tam commendant uites, quàm pudicitia: quòd etiam coeuntes canes sine horrore nó posset aspicere, aut in conuiuiis aliquid impudicum permittere. Aelianus apud Volater.

Corœbus, patria Elienſis, primus cursu uicit in prima Olympiade.

Democratem athletam, facto in palæstra circulo, dimouere nemo poterat.

Ferunt Demarchum Parrhasium Olympionicam gustatis pueri (qui immolabatur) extis in lupum fuisse commutatum. decimo demum pòst anno pristinæ formæ restitutum.

Diagoras Rhodius, uictor in Olympia, quum eodem die tres filios uictores coronari uidisset, exspirauit gaudio. Gellius.

Epitherses Metrodori filius, uicit in quattuor certaminibus.

Ićto Tarentino palæstritæ tanta fuit gloriæ libido, ut toto uitæ tempore castus uixerit, ne uenereo concubitu corpus enerualet, fieretq; propterea mutilior ad certamen.

Ergoteli athletæ Cretensi Pindarus hymnum consecrauit ob eximias uires. cursu uicit in Olympia.

Hypenus Athleta primus diaulo uicit.

Marullus fuit athleta, qui relicta postmodum palæstra, ludum Romæ aperuit, fuitq; Latini sermonis exactor diligentissimus. Volat.

De Milone crotoniata, prodigiosisque eius uiribus & stolida temeritate iam diximus.

Nicedorus Mantineus Pyctes ab adolescentia totum se palæstræ deuouit, ubi maximam promeruit laudem. factus senior, cœpit philosophari, legibusq; & institutis cõsulere.

Polydamas Pancratiastes leonem occidit inermis, taurũ apprehenso pede retinuit, insiluit in equos aurigis deiectis, agitatos miro impetu detinuit currus, saxo ad extremum in cauerna oppressus est, dum eius ruinæ sese satisfacere posse confideret.

Theagenes patria Thasius CX L. coronas è certaminibus retulit victor.

Androgeus Minois regis Cretæ filius, quum omnes palæstra superaret, ab Athenienſibus & Megarenſibus, hanc ei gloriam inuidentibus, interfectus est. cuius mortem Minos patercultus est bello. Tort.

Antæus gigas Libycus, & egregius luctator, ausus est cum Hercule in certamen descendere: cui quum Terrã mater uires tactu augeret, constrictis in aere membris & fau-

cibus, ab ipso Hercule iugulatus est. hanc eorum luctam describit Politianus in hoc modo:

Incaluere animis dura certare palæstra,
Neptuni quondam filius, atque Iouis.
Non certamen erant operoso exære lebetes;
Sed qui uel uitam, uel ferat interitum.
Occidit Antæus. Ioue natum uiuere fas est,
Estque magistra Pales Græcia, non Libya.

Pythodemus luctator fuit egregius, cuius statuam fecit Dynomedes. Plinius.

Daretem Virgilius finxit fuisse nescio quem iactanticulum, suisq; uiribus immodicè fidentem, qui in ludis illis (quos ad Anchisæ tumulum celebrabat Æneas) quum sibi nimium blandiretur, ut unumquenque magnifico sermone lacesseret, ad extremum coegerit Entellum, quamuis capularem, & propè uiribus effœtum, cestus arripere. quo magna nominis infamia superatus, propè semianimis in castra suorum relatus sit. unde natum adagium Hieronymo positum, Dares Entellum prouocat.

Corycus luctator, quum neminem reperiret priorem, aut parem, cuiusq; uiribus succumberet, etiam adagio sequenti fecit locum, Luctari cum Coryco. de his, qui aliquid supra uires moliuntur.

Patrobius libertus Neronis, tanto palestræ studio rapiebatur, ut arenam à Nilo usque iuberet sibi asferri in theatrum, qua spargeretur. Plin. cap. 12. lib. 35.

De Aegle, Hyla, Phegeo, & Lyco Ausonius ad hunc modum scribit: Doctus Hylas cæstu, Phegeus castus arte palæstræ, Clarus Olympiacis est Lycus in stadiis, &c.

Aegles Olympionica dum in sacro certamine sortitio inter ipsos & aduersarios non bona fide fieret, repentè (quum prius esset mutus) in eum, qui id faciebat, sese uidere quid faceret, magnum inclamauit. orisq; uinculo solutus, recte postea semper locutus est. Gell.

Fuit Glaucus Carystius Pyctes coronatus xxv. Olympiade, quem Pythia ter uicisse ferunt, Isthmia decies. is in agro colendo vomerem (qui ab aratro casu excciderat) manu loco mallei in suum locum restituit. ductus postea à patre

in olympiam, quum ab aduersariis conficeretur plagis, & iam succumbens deficeret, clamauit prosiliens pater, Percute qua aratrum. Quo ille stimulo concitatus, irruensque violentius, velut imperu capto, aduersarium vicit, statuaq; meruit. Cælius cap. 28. lib. 6.

Fuit Eurymadas Pyctes Cyrenæus patria, qui aduersariis plagarum vi & frequentia dentes sæpenumero excutiebat.

Ferunt Heraclidem fuisse pugilem, infiniti propè cibi potusque capacem. non reperiebatur illi par in potando. alios ad ientaculum inuitabat, alios, ad prandium, ad cenam alios, postremos ad comessationem. recedentibus primis iungebantur secundi, omnibusq; sufficiebat solus. Cælius lib. 16. cap. 16.

Lachus Epidamnius fuit Pyctes, quem Cleomedes Astipalensis ictu pugni interfecit, ac demum interfecti lateribus apertius intestina exeruit.

Ischomachus Crotoniates victor fuit in stadio; quo tempore M. Valerius, & P. Postumius Tubertus cõsules Romæ creati sunt.

Topsius luctator fuit egregius, Dionis Alexãdrini frater.

Bathus athleta uicit in Pythiis ludis. idem bouem integrũ uno die deuorauit, quod de Milone Crotoniata dicitur.

Starchaterum Saxo Grammaticus prodit athletam fuisse, qui nulli mortalium suo tempore viribus & uirtute cesserit. de cuius præclaris facinoribus multa commemorat.

Hama apud Saxones Gymnicis palmis clarissimus habitus est, adeo vt magno militaris pompæ tripudio ductus sit ad conflictum; & Starcatherò inter Danos fortissimo, sed capulari opposatus. quum ergo in conflictum ambo descendissent, astarentque hinc & inde numerosi spectatores, vt suæ partis victori gratularentur; Starcatherus primo quidem in fuleu propter inualidas uires pænè resupinatus est: uerùm ubi pudore resumpsit uires, & se sibi restituit, medium Hamæ corpus dissecuit. Saxo lib. 6.

Phalius fuit Athleta fortissimus, in cuius honorem Alexander Macedo multas exuuias dono Crotoniatis misit.

Cylon fuit Olympionices Athenensis affectatæ tyrannidis compertus.

Callias Athenienſis tyranni Piſiſtrati inimicus, in equorum curſu palmam obtinuit, in quadrigario fuit ſecundus, in Pythiis primas meruit.

Pyrechmen luctator fuit Aetolus, qui Degmenum Epeũ ſingulari certamine uicit. Herod. lib. 6.

Auenicon fuit pancratiaſtes ex Antedone urbe.

Phrynon dux fuit Athenienſium, pancratiaſtes clariſſimus, quem Pyttacus Mityleneus ſingulari contendens certamine, reſte ſub clypeo latente, inuoluit, atque hoc modo ſuperauit.

Glycon nomen eſt luctatoris fortiſſimi apud Hor. in epiſtolis ſcribẽtem: Et qua deſperes inuicti membra Glyconis Nodoſa corpus noli prohibere chiragra.

In honorem defuncti Archemori (qui filius fuit Lycurgi regis Thracum) anni Agones inſtituti ſunt. Statius lib. 6 Theb. quoſdam enumerat ex his, qui ibidem certauerunt, quorum hæc ſunt nomina, Hippomedon iactu diſci præſtitit, Phlegias, Alcidamas Lacon, Capaneus Aetolus, Agylleus, Tydeus, & alij nonnulli.

GLADIATORES.

GLadiatorum genera ſunt Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoplomachi, Thraces. horum magiſtri dicuntur Laniſtæ: hi gladiaturam domi exercebant, inſtituebantq; tyrones, quos vendebant muneratiis. erant Munerarii ſpectaculorum exhibitores, qui ludos gladiatorios populo exhibebant, à Græcis dicuntur Agonotheræ. Martialis: Suſpectam uelut emptor, aut Laniſta. Retiarii pugnabant in Mirmillonem, uocabulo à rete deducto, quod ſub ſcuto ferebant, ut inuoluerent inimicum. Mirmillones nomen habuerũt à Mirmillonio genere armaturæ Galliæ, quo utebantur. Retiarii tunica utebantur & fuſcina, Iuuenalis, Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi. Suet. Retiarii, inquit, tunicati quinque numero gregatim ſine cantes ſine certamine ullo, totidem ſecutoribus ſuccubuerant: quum occidi iuberentur, unus reſumpta fuſcina, omnes interemit. Secutor galeam ferebat, & clypeum falcẽ ſupinam, Retiarius galerum tantùm. de hoc Iuuenalis Satyra 8. Nec galea frontem abſcondit, mouet ecce tridentem. Co

Inter gladiatores præcipui habentur Bithus & Bacchius, qui pares fuerunt arte, & pares audacia. hinc natum adagiũ, Bithus contra Bacchium, quum duo æqualiter improbi contenderunt inter ſeſe. Horatius: Vt non compoſiti melius cum Bitho Bacchius. Nam quum multos interfeciſſent, tandem congreſſi mutuis uulneribus ſe confoderunt.

Erſenius & Pacidianus gladiatores itidem fuerũt nobiliſſimi. à quibus natum adagium præcedenti ſimile, Erſenius cum Pacidiano. Cic. de perfecto Oratore: A me autẽ (quò maximis minima conferam) Gladiatorum par nobiliſſimum inducitur. Aeſchines tanquam Erſenius, non ſpurcus homo, ſed doctus & acer. cum Pacidiano hic componitur, optimus longè poſt homines natos.

Spartacus gladiator fuit, Thrax genere, magnis viribus præſtans. qui vnà cum Chryſo & Oenomao, effracto Lentuli ludo gladiatorio, Capua erupit cum LXX. gladiatoribus. qui omnes collecto exſulum & fugitiuorum non paruo exercitu bellum ingens concitarunt, adeò vt mitti Craſſum oportuerit, qui perditos eorum conatus reprimeret. Horat. Aemula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer.

Turbo faciens genitiuum Turbonis, nomen eſt gladiatoris apud Horat. lib. 2. Serm. Corpore maiorum rides Turbonis in armis.

Martianus nomen eſt Gladiatoris apud Plutarchum in Galbâ.

Idem ait Spiculum fuiſſe gladiatorem, quem Romani Neronis ſtatuis ſubiectum in foro perdiderint.

Horat. facit Veianium gladiatorem in principio epiſtolarum, vbi ait: Veianius armis Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro, Ne populum extrema toties exoret arena.

Gracchus nomen eſt Retiarij apud Iuuen. Saty. 8. ſcribentem: Nec clypeo Gracchum pugnantem aut falce ſupina: Damnat enim tales habitus, & damnat & odit.

HISTRIONES, ET ACTORES.

HIſtriones vocantur ludiones & geſticulatores, qui oculos ſpectatorum ſuis oblectant ludis. theatricorum enim artificum alij vocantur Gymnici, alij Sce

nici. De Hymnicis nonnihil dictum est in Athletis. Scenici uocantur, qui scenicos agonas exercent, aliter Dionysiaci, uelut patri Libero dicati. In his sunt Comœdi, & Tragœdi, id est, fabularum actores. item Mimi, Pantomimi, Archimimi, Ethologi, Ethopœi, qui omnes significant alienæ personæ simulatores, & hypocritas, Latinè uocantur Histriones, uel ab Histria, ex qua primùm uenerunt, uel quòd Hister uocabulo Tuscho significet ludionē. Mimi dicuntur imitatores, qui dicta, facta, moresq; hominum & naturas imitantur. quamuis etiam Mimi dicantur poemata sine reuerentia lasciuiam imitantia, ut apud Ouidium, Scribere si fas est imitantes turpia Mimos. Pantomimi omnium personarum imitatores & effictores. Suetonius in Calig. Nestorem Pantomimum etiam inter spectacula osculabatur. Bibaculus scriptor egregius ob eximiam imitationem Pantomimus uocabatur. Si Venus leporem in horoscopo respexerit, faciet Pantomimos, & Mimologos, inquit Iulius Maternus. Archimimi sunt histrionum principes. Ethologi sunt effictores morum & affectuum cuiuscunque personę. Cic. lib. 2. de Oratore: Mimorum est enim Ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscenita, quibus uerbis Cicero nimiam & uelut Mimicam in oratore cuiuspat imitationem. Sunt & Ethopœi histriones, qui mores imitantur eius personæ, quam sustinent. unde Ethopœia morum alienorum imitatio, quæ aliter uocatur Mimesis, inter Scenicos quoque ponuntur Thymelici, Saltatores, Chyronomi. Thymelici sunt Citharœdi, Citharistæ, Lyristæ, Tibicines, Thymelici actiones suas in Orchestra peragebant: Comici, & Tragici in scæna. Thymelici autem dicuntur uel à Thymele muliere, quæ prima saltationem docuit, uel quòd apud Grecos hihrionicam significet. Martialis lib. 1. Chironomi sunt gesticulatores, & Chironomia, saltatio gesticulatrix. Iuuenalis Saty. 6. Chironomōn Lædam molli saltante Batyllo. ubi Læda nomen est saltationis, Batyllus histrionis. Idem Saty. 5. Saltantem spectas Chironomonta uolanti Cultello. Saltationis species antiquitus fuerunt Pyrrhica, quæ & Euopolia à quibusdam dicitur, id est à pacata. hinc Pyrrhicarij, Pyrrhicistæ dicun-

tur saltatores armati. Tranq. in Cæsare Dictatore: Furius Leptinus stirpe prætoria, & A. Calpenus senator quondam actorēq; causarū Pyrrhicā saltauerunt. Nomen autē sumpsit à Pyrrho inuentore. Cordax saltatio est obscena & comica. Tertium genus saltationis Sicinnis appellatur, quæ satyrica esse dicitur. Plin. lib. 1. Saltationem armatam Curetes docuere, Pyrrhicem Pyrrhus. ubi armatam à Pyrrhica distinguit, quas tamen easdem esse sentit doctissimus Budæus, à quo bonam horum fragmentorum partē emendicaui. Est & alia saltatio, quæ Eumelia dicitur, id est pacata. Produnt historiæ Romanorum histriones pulsos Italia à Nerone, quum propter eos uariæ factiones ortæ essent, & adeò uehementes, ut ad compescendam fautorum contentionem milites theatro assidere iuberentur. Vnde & Tranquillus: Pantomimorum, inquit, factiones simul cum ipsis relegatæ. Restituti sunt demum per Neruam, sed iterum postea sublati à Traiano.

Paris histrio, libertus fuit Domiciæ, Neronis amitæ, qui solitus erat luxus Neronis intendere tempore cenæ, eiusq; animum demulcere. auctore Cor. Tacito. de hoc intelligit Iuuena. Esurit, intactam Paridi nisi uendit Agauen, &c. Tranquillus ait eum à Nerone occisum, quasi grauem aduersarium. Idem scribit Domicianum repudiasse uxorem, Paridis histrionis amore perditam.

Genesius Arelatensis patria, mimus fuit apud Domicianum, qui Christianos turpissimis gestibus irridebat. tandem & ipse sub imperatore passus est.

Roscius Gallus comœdus fuit ut omnium peritissimus, ita & notissimus, qui gestus & pronunciationis exercitatione eò uenit præstantiæ, ut si quempiam in arte sua pernā. Persona primus usus est in scena, quòd obliquis esset oculis, turpiq; aspectu. scripsit librum, quo histrioniam fectum uelimus dicere, eum uocemus uelut Roscium in sceeorum impudentiam, qui agunt in scena gestum spectante comparauit eloquentiæ. Cicero grauissima oratione popu lum obiurgauit, quòd agente Roscio tumultum mouisset. Idem lib. 2. de Oratore: Quam soleo, inquit, sæpe mirari Roscio, quis enim se commouere potest, cuius uitia ille

non aduertat? Porrò autem fuit Roscius L. Syllæ adeò carus, ut anulo aureo ab eodem dictatore donatus sit tanta præterea tum gratia, tum gloria, ut mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus acceperit. Macrobius lib. 5. cap. 7. Horat. de eo scribit: -clament periisse pudorem Cuncti pænè patres, ea quum reprendere coner, Quæ grauis Æsopus, quæ doctus Roscius egit.

Æsopus fuit tragœdus amicus Cic. qui ex histrionia tantas opes sibi comparauit, ut patinam haberet DC. sestertiis taxatam, filiumq; reliquerit adeò diuitem & prodigum, vt vniones aceto liquefactos cenis apponeret. Plin. ait patrem posuisse in patina aues cantu aliquo aut humano sermone vocales millibus sex singulas coemptas, nulla alia inductum suauitate, nisi ut in his imitationem hominis mandaret, dignus prorsus filio, à quo deuoratas diximus margaritas.

Dion Cassius prodit, Neruam Cocceium gladiatoribus theatricis Mimisq; & saltatoribus maximè oblectatum, è quibus unum præ ceteris (cui nomen erat Pylades) dilexerit. fuit hic Pylades histrionica clarus. Hylam discipulum ullis ad æqualitatis contentionem eruditione prouexit, de utroque abundè meminit Macrobius lib. 2. Saturn. Augustus Cæsar, auctore Tranquillo, Hydam Pantomimum in atrio domus suæ nemine excluso flagellis uerberauit, prætore licentiam Histrionis culpante. Pyladem quoque urbe atque Italia summouit, quòd spectatorem (à quo exibilabatur) demonstrasset digito, conspicuumq; fecisset.

Stephanio etiam nomen est histrionis, quem Suetonius Logatarium uocat, quòd primus togatus saltauerit fabulas, dicente Plinio: Minus miror Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit. Hunc Augustus per bina theatra virgis cæsum relegauit, quòd circuntonsam in puerili habitum matronam ei ministrasse comperisset.

Rubrius apud Plinium histrio dicitur, cui L. Plancus cognomen imposuit.

Astydamas fuit histrio Morsimi filius, cui statua in theatro ponenda decreta erat, quòd in agendo Parthenæum ita se gnauiter ac scitè gessisset, itaq; titulum conscripsit, quo

suas ipse laudes complectebatur. unde natum adagium, Laudas teipsum Astydamæ in modum.

Nicostratus fuit comœdiarum actor talis apud Græcos, qualis apud Rom. fuisse traditur Roscius. propter cuius artis peritiam reliquit locum sequenti prouerbio, Ego faciã omnia more Nicostrati.

Cytheris fuit Mima, cum qua M. Antonius post Pharsali cam pugnam vectus est curru, quem generosi spiritus leones trahebant. Plin. lib. 8.

Idem scribit M. Ofilium fuisse histrionem & comœdum, qui quum populo admodum placuisset natali die suo, conuiuiumq; haberet, edita cena calidam potionem in pultario poposcerit, simulq; personam eius diei acceptam intuens, coronaè capite suo in eam transtulerit, taliq; habitu rigens nullo sentiente exspirauerit.

Saculio nomen est histrionis apud Plutarchum, quẽ Brutus in bello contra Antonium captiuum cepit.

Fuit & Satyrus apud Græcos histrio, qui Demosthenis lingua præpediti, ac propterea ingrati populo, sic formauit uocem, vt non prior Demosthenes, sed alter uideretur. Plutar.

Thymele mulier prima saltationem docuit. hinc Thymelici dicuntur saltatores mimi. Martialis: Qua Thymelen spectas; derisoremq; Latinum. Iuuenalis: Attendit Thimele, Thymele tunc rustica dicit.

Polus histrio fuit fama celebri in terra Græcia, qui gestus & vocis claritudine & venustate ceteris antestabat. epit tragœdias poetarum; Athenis etiam Electram Sophoclis poetæ vrnam cum Orestis ossibus gestantem. quem actum scitè adeò & doctè absoluit, vt imagines rerum verbis exprimens, spectatores ad fletũ & lacrymas concitauerit.

Fuit Callipides gesticularius & tragœdiarum histrio inter Græcos clarus: qua in re plurimũ se mirabatur. itaque vbi Agesilao regi occurrisset, arrogantius eum salutauit, subinde illi se ostentans, arbitratus fore vt comiter à rege excipieretur. verùm quum seriis rex intenderet, nec animaduerteret ad Callipedem, Non admodum (inquit) nosse me videris o rex. Tum subridens Agesilaus: An non es (inquit)

Callipedes ille dicelictas? id est, nimus Spartanorum voca bulo. Quibus verbis ludioni tumorem rep dit, fuit autem Callipedes adeò gestuosus, vt Simia gesticulosiorem Græci eum dixerint. quam ob rem pronunciatio illa tam elegans & arguta reddebat hominem tardiorem.

Fuit Theocrines primùm tragœdiarum actor, deinde calumniator & sycophanta. vnde & Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, Aeschinem tragicum Theocrinem vocat. Erasmus in Chil.

Cydiscus nomen est tragœdi apud Plin. lib. 35. cap. 10.

Fauo fuit Archimimus, qui in funere Vespasiani Imperatoris personam eius tulit, virisq; (vt moris erat) facta & dicta imitatus est. interrogatis itaq; ab eo procuratoribus ex equiarum, quanti constaret funus? vt audiuit, sestertium centies, exclamauit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim proiicerent. quibus verbis tacabat Imperatoris auaritiam, qui indignaretur tantam impensam in funere sibi factam fuisse.

Spinter fuit histrio, à cuius nomine vocatus est Lentulus Spinter, quod eius similitudinem referret maximè.

Castor & Docilis histrionum sunt nomina apud Horat. in epist. scribentem: Ambigitur quid enim Castor sciat aut Docilis plus.

LVDI, ET SPECTACVLA DIVERSA.

Actia ludi fuerunt quinquênales, instituti apud Actium Epiri promontorium ab Augusto, post Antonium & Cleopatram superatos, in honorem Apollinis Actiaci.

Bubetiæ ludi fuerunt à bobus appellati, quoniam à veteribus gratia boum instituti sunt. vocantur etiam Boalia.

Pythia vocabantur ludi Apollinares, instituti in honorem Apollinis post interfectum Pythona serpétem. Horat. Qui Pythia cantat Tibicen, didicit prius, extimuitq; magistrum. Sabellicus.

Cor. Tacitus scribit Neronem instituisse ludos Iuuenalium vocabulo, in quibus nobilitas vlla, non ætas, aut actii honores erant impedimento, quò minus Græci Latinique histriones artem exercerent vsq; ad gestus modosq; parum virriles. quin & feminæ illustres deformia meditabâtur. fieri quoq; iussit conuenticula, & cauponas, vbi posita erant irritamẽta luxus, vnde corruptis moribus accessit libidinum colluuies post natos homines longè maxima.

Olympia ludos in honorẽ Iouis constituit Hercules apud Elidem & Pisam, Græciæ oppida, vbi Gymnicum certamẽ fiebat quincto quoque anno. in his, qui dimicabat, vocabatur Olympionices. hic Hercules stadium fecit tãtò ceteris maius, quantò mensura pedis eius ceteris præpollebat.

Nemæa fiebant in honorem Archemori Lycurgi regis Thracum filij, quem ab Hypsiphile nutrice in herba relictum serpens interfecerat.

Aeacea fiebant de Aeaco apud Aeginam.

Marathonea ob taurum à Theseo interfectum, vbi Thiala argentea dabatur præmium. Thebis etiam fiebant Heraclea. Oenomaus primus apud Elidẽ ludorum spectaculum, equorumq; cursum edidit. apud Romanos Romulus in Sabinarũ raptu. Vnde Ouid. Primus sollicitos fecisti Romule ludos. Ad certamina Gymnica non admittebantur feminæ. Vnde Statius: Exclusæq; expectant præmia matres. In ludis illis certabatur quinq; generibus disco, hasta, saltu, iaculatione, luctatione. Qui in omnibus vincebat, vocabatur Pẽtathlus.

Dionysia fiebant in honorem Bacchi, vbi maxima bibendi licentia permittebatur. his intererant populus, & Athletæ passim coronati. omnium certaminum præcipua quatuor fuerunt genera, Olympia, Pythia, Nemæa, Isthmia: quorum præmia erant Oleaster, laurus, apium, pinus. fiebantq; in honorem Pelopis, Apollinis, Archemori, & Palemonis. aliqui ad Iouem & Neptunum Olympia & Isthmia referunt. vnde Statius lib. 1. Thebarum: Non aliter quàm Pisæo sua lustra tonanti Quum redeunt.

Ludi Circenses, qui fiebant in circo, vbi loca erant, & subsellia equitibus patribusq; designata. primus circũ designauit Tarquinius Priscus. spectaculum faciebant equi, pugilesq;, ex Etruria maximè acciti. de his Tranquillus in Cæsare, Circensibus, inquit, spatio circi ab vtraque parte producto in gyrum. Eurippo addito, quadrigas, bigas, & equos

desultorios agitauerũt nobilissimi iuuenes. Troiam lusit tur
ma duplex maiorum & minorum puerorum. Troia autem
erat equestre simulacrum, seu vmbratica equitum pugna, in
qua equi in orbe se inuicem petebant. huius ludi originem
Virgilius. lib. 5. describit.

Venationes erant spectacula, in quibus positæ in theatro
feræ, vt tygres, elephanti, & leones gladiatoribus congre
diebantur vsq; ad mortem & casum alterutrius partis. Sue
tonius: Venationes editæ per dies quinque, ac nouissimè
pugna diuisa in duas acies, quingenis peditibus, elephantis
vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commissis. In vena
tionibus, & gladiatoriis soli conducti, aut damnati & am-
bitiosi ad ostentationem suarum. virium adhibebantur, quo
niam maximum vitæ discrimen imminebat.

Ludi Seculares in honorem Apollinis, & Dianæ instituti,
fiebant centesimo quoq; anno, præcone per compita claman
te: Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neq; vi-
surus est. Hos instituisse fertur Val. Publicola propter exa-
ctos reges. celebrauit Philippus imp. anno post vrbem con
ditam millesimo. in quibus fuerunt Elephanti x x x. Alces
x. Tygres x. Leones mansueti x l. Leopardi mansueti x x x.
Hyenæ x. Gladiatorum fiscalium paria mille. Hippotamus
quoque, Rhinoceros, Archoleõtes, Camelopardi, Onagri,
& Equi feri.

Taurij ludi fiebant in honorem deorum inferorum.

Plebeij instituti sunt exactis regibus pro libertate plebis,
quos postea L. Sylla instituit.

Gladiatorij instituti sunt ad exercendam armis iuuentutẽ,
vt iuuenes ipsi (si quando res postularet) assuescerent non
expauescere congressum hostilem.

Ludi Scenici dicuntur à scena, in qua celebrabantur à
theatricis actoribus. instituti sunt ob pestilentiam, accitis
ex Etruria ludionibus ad tibicinis modos saltantibus. Ludi
scenici fiebãt in theatris, venationes & gladiatorij in Amphi
theatris. ludicros & scenicos actores, Censoria damnauit
nota, ut improbos mente & nihili homines.

Spectacula varij generis edita sunt à diuersis principibus.
Cæsar exhibuit munus Gladiatorium; ludos etiam regiona-

tim vrbe tota & per omnium linguarum histriones; item
Circenses Athletas; Naumachiam in foro depugnauit. Fu
rius Leptinus stirpe prætoria, & Q. Calpenus senator quon
dam actorq; causarum Pyrrhicam saltauerunt. Venationes
edidit per dies quinque, sublatis metis, quò latius dimica-
retur. Athletæ cucurrerunt per triduum. Defossus est in mõ
te Cœlio lacus ad nauale prœlium, in quo biremes, ac tri-
remes Tyriæ, & Aegyptiæ classis magno pugnantium nume
ro conflixerunt. ad quæ spectacula tantum confluxit homi-
num, ut præ turba elisi, & exanimati sint plũrimi, & in his
duo senatores.

De spectaculis Augusti sic scribit Tranquillus: Specta-
culorum assiduitate & magnificentia omnes anteceſſit. fe-
cit nonnunquam vicatim; athletas quoq; extructis in cam-
po sedilibus ligneis, nauale prœlium, circa Tiberim; ad
scenicas quoq; & gladiatorias operas, equitibus Romanis
quandoq; usus est; milites secreuit à populo; multis è plebe
ordinem assignauit, prætextatis cuneum suum & proximum
pædagogis; feminis gladiatores spectare solũm ex superio-
re loco concessit; uirginibus Vestalibus locum in theatro
separatum contra Prætoris tribunal dedit; uoluit primum
subsellium ordinem uacuum senatoribus relinqui; athle-
tarum spectaculo muliebrem semouit sexum; athletis pri-
uilegia confirmauit; histrionum licentiam compescuit; in
Circo aurigas, cursoresq;, & confectores ferarum produxit;
Troiæ ludum edidit frequẽtissimè puerorum delectu; ex-
hibuit Rhinocerotem apud septa, Tygrim in Scena, Angue
quinquaginta cubitorum pro comitio; nulli Græco certa-
mini interfuit, quo non pro merito certantium quemq; ho
norauerit; spectauit studiosissimè pugiles, maximè Latinos,
nec legitimos atq; ordinarios solũm, sed & cateruarinos op
pidanos, inter angustias vicorum pugnantes temerè, ac si-
ne arte.

Caligula imper. munera edidit gladiatoria, quibus inse-
ruit cateruas Afrorum, Campanorumq; pugilum ex vtraque
legione electissimorum; nec spectaculis semper ipse præse-
dit, sed interdum magistratibus aut amici præsidendi munus
iniunxit. Scenicos ludos varij generis fecit, quosdam no-

cturnos, accensis tota vrbe luminibus. Panaria cum obsonio viritim dedit. edidit & Circenses plurimos à mane vsq; ad vesperam interiecta modò Africanarum venatione, modò Troiæ decursione. Minio & Chrysocolla constrauit circum Hasticos ludos egit Syracusis, in Gallia Lugduni Mescellos, ideſt multiiugis ludicris variisq; ludionibus refertos. item certamen Græcæ Latinæq; facundiæ, in quo victoribus victi præmia contulerunt; & eorundem laudes cõponere coacti sunt. Qui autem maximè displicuissent, scripta sua spongia lingua vel delere iubebantur, nisi ferulis oburgari, aut in propinquo flumine mergi maluissent. Idem Imp. Mirmillonem rudibus secum dimicantem, & sponte prostratum confodit ferrea sica, & more victorum cum palma discurrit.

Cæsar Claudius fecit Seculares ludos, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruatos, Circo maximo marmoreis carceribus auratisq; metis exculto, propria senatoribus constituit loca promiscuè spectatore solitis, & super quadrigarum certamina, Troiæ lusum exhibuit. exhibuit & Thessalos equites, qui tauros per spatia Circi agebant, insiliebantq; defessos, & ad terram cornibus detrahebant. item Pantheras, quas conficiebat equitum prætorianorum turma ducibus tribunis.

Nero edidit Iuuenales, Circenses, & Scenicos ludos, item Gladiatorium munus. Iuuenalibus senes quoque cõsulares, anusq; matronas recepit ad lusum. Circensibus loca equitii secreta ceteris tribuit. exhibuit & Camelorum quadrigas. Ludos pro æternitate imperij susceptos appellari maximos voluit, in quibus plerique ex vtroque ordine & sexu partes ludicras sustinuerunt. Nouissimus eques Rom. per Catadromum decurrit insidens elephanto, Fabulam Afranij togatam, Incendium nomine (quo Troiæ ruina continebatur) introduxit, concessitq; scenicis, vt ardentis domus supellectilem diriperent, ac sibi haberent. Sparsit & missilia omnium rerum, id est, varij funeris munera, quæ erant occupantium singula quotidie millia auium cuiusque generis. exhibuit etiam ad ferrum quadringentos senatores sexcentosq; equites Rom. ad conficiendas feras in arena; item, naumachiam

aqua ex mari proximo inducta. in qua innabant belluæ; itẽ, Pyrrhicas saltationes per ephebos, quibus peracta opera, diplomata & priuilegia ciuitatis Romanæ singulis obtulit. fecit etiam, vt Taurus Pasiphaen in ligneo iuuencæ simulacro abditam iniret, quod multi spectantium crediderunt. instituit & quinquennale certamen more Græco triplex, Musicum, Gymnicum, Equestre.

Domicianus spectacula edidit magnifica & sumptuosa in amphitheatro, & circo, vbi præter bigarum & quadrigarũ cursus duplex etiam commisit prœlium equestre, ac pedestre; & in amphitheatro nauale quoq; venationes, & gladiatores exhibuit, noctibus etiam ad lychnos; pugnas præterea non virorum modò, sed & feminarum; toto gladiatorij spectaculi tempore, habuit ante pedes suos puerulum coccinctum, portentoso paruoq; capite, cum quo plurimum fabulabat. edidit nauales pugnas effosso circa Tiberim lacu, quas inter maximos imbres spectauit; fecit & ludos Seculares; instituit quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex, Musicũ, Equestre, & Gymnicum; fecit certamen Græci, Latiniq; sermonis; celebrauit & in Albano mõte quotannis quinquatria Mineruæ.

Hadrianus imp. fabularum recitationem omnis generis in theatro ad scenam & Orchestram dedit; histriones aulicos publicauit; in Circo multas feras & sæpe centum leones interfecit.

Antonius Pius munera edidit, in quibus Elephanti, Crocutæ, Rhinocerotes, Crocodili, Hippotami, & omnia ex omni terrarum orbe animalia, etiam Tygres fuere. in munere publico tam magnanimus fuit, vt centum leones una missione simul exhiberet sagittis interfectos.

Gordianus imp. 12. populo R. spectacula per singulos XII. dies dedit, ita vt gladiatorum nonnunquam quingenta paria, & nunquam minus centum quinquaginta feras Libycas vno die, quandoque mille ediderit. erat ei silua, in qua habuit cernos ducentos, Britannos equos feros XXX. Oues feras albas mille, decem aureas capreas, quas inauratas fecerat; Struthiones Mauros miniatos CCC. Onagros XXX. Apros CL. Ibices CC. Damas CC. quæ omnia populo

diripienda concessit, die muneris, quod sextum edebat.

Philippus Arabs imp. sæculares ludos & munera edidit Circensia. in quibus dati sunt Elephanti xxx. Tigres x. Leones mansueti lx. Hyenæ x. Gladiatorum fiscalium paria mille. Rhinoceros unus, Archoleontes x. Camelopardali x. Equi feri xl. Leopardi mansueti xxx.

Heliogabalus quaternos canes ad currum iunxit, eoque modo uectatus est. idem iunctis quaternis ceruis in publicum processit. sed & leones coniunxit, se Cybelem appellans. iunxit & Tygres, se Liberum patrem uocans. iunxit etiam quaternas mulieres, nudusq; à nudis uectus est.

Firmus imp. uectus est ingentibus Struthionibus, adeò ut magis uolare, quàm gestari uideretur.

Sunt & singularium ludorũ nomina, ut Astragalus, Sphæristerium, Latrunculi, Alea, Par impar, & alii id genus.

Astragalus latinè Talus ludus, ex ossiculorum pedis coniunctura, quibus Apollonius in Argonauticis puerum Cupidinem ludentem ponit. Volaterranus ait Germanos & Transpadanos hunc adhuc ludum obseruare. Homerus scripsit Elpenora lapsus scalarum exanimatum esse, quum fregisset Astragalon, id est, iuguli coniuncturam.

Ludus pilæ repertus est ab Anagalli puella Cercyræa, uel à Pytho quodam secundum Plinium, aut Lydis secundum Herodotum. uocatur aliter Sphæristerium. Tranquillus in Flauio Vespasiano: Valetudine prospera usus est, quamuis ad tuendam eam nihil amplius, quàm fauces ceteraq; membra sibiniet ad numerum in Sphæristerio defricaret. Pila primùm lusit Phacia iuuentus. de hoc ludo Homerus in Odyssea locutus est, cuius uersus latinos fecit Volaterranus:

Ille pilam dextra missurus ad astra reflectit
Terga retro, rursusq; ad magnum proninus ictum
Consurgens terrâ pronus ad imam.

Est & Ludus Latronum, seu Latrunculorũ, de quo Martialis: Insidiosorum si ludis bella latronum, Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit. Seneca: Latrunculis ludimus. Volaterranus ait Magiolinum Florentinum fuisse in eo ludo adeò exercitatum, ut memoriter per alium luderet, minimè respiciens, aduersario tamen diligenter aduertente.

Aleam Palamedes reperit in castris Græcorũ contra Troianos, dum esset in otio. Lusoria tabula uocatur Phimum, seu Aleatorium. Aleæ tessera duodecim habet puncta. Martialis: Hic tibi bisseno numeratur tessera puncto, Calculus hic gemino discolor hoste perit. Aleatorium etiam quandoque pro aleæ ludo sumitur. Sidonius: Atque illic Aleatorium lassis consumpto Sphæristerio satiat. Qui alea ludũt, vocantur Aleatores, & Aleones. Catullus: Nisi impudicus & vorax & aleo. Suetonius scribit, Domicianum imperatorem (quoties otium esset) alea se oblectasse. Alea Romanis legibus erat uetita. Horatius: Seu mauis vetita legibus alea. Hinc Cic. Lenticulum collusorem Antonij de alea cõdemnatum fuisse scribit. Quum autem Alea dicatur omnis ludus in varietate fortunæ consistens, factum est, vt pro periculo periculiq; dubitatione accipiatur. Lucanus: Placet alea fati Alterutrum mersura caput. Liuius: In dubiam imperii seruitiiq; aleam imus. Cæsar dubitans an traiecturus esset copias vltra Rubiconem aduersus Pompeium, tandem, relicta cunctatione, Eatur (inquit) quò deorum ostenta & inimicorum iniquitas vocat, iacta est alea. Petronius Arbiter tradit Cæsarem dixisse: Iudice fortuna cadat alea. Aleam iacere ille dicitur, qui se periculis fortuneq; committit. Dicimus ludere aleam, & alea. Tranquillus in Augusto: Aliquando vt vincat, ludit assiduè aleam.

Turricula seu Fritillus, id est quod apud Græcos Pyrgus dicitur. erat enim uasculum in modum turriculæ, quo inclusæ tesseræ iactabantur ad tollendam ludentis fraudem. Martialis: Quærit composita manus improba mittere talos, Si per me misit, nil nisi vota facit. Fritillus autem dicitur tabula lusoria, quo tesseræ coniectæ agitatæque mittuntur in alueolum. Iuuenalis Saty. 14. Paruoq; eadem mouet arma fritillo. Martialis lib. 13. Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus.

Ludere par impar, moris fuit antiquitus, quod illo carmine Horatiano constat: Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Ludere nucibus, nostri temporis pueruli ab antiquis dicerunt. nam & maiores hoc usos fuisse ludo, docet illud

Persianum: Et nucibus facimus quæcunque relictis; Quum sapimus patruos. Nuces autem relinquere, est omissis stultis, & nugis puerilibus ad grauiora, magisq; seria conuerti. Hinc etiam ortæ illæ dicendi figuræ, Nunquam à nucibus recedere, Redire ad nuces, Nuces abiicere, Nuces intermittere, Nucibus indulgere, Nuces repetere.

Chartarum, Sortium, ac Diuinationis ludi à perditis hominibus inuenti sunt. qui quamuis nostro quoque sæculo damnentur adeò, vt piaculum videatur, illis tamen adhuc luditur.

Sortiri digitis ludus fuit Italorum, maximè pastorum, vt repentè porrectis digitis vterque numerum diuinet: Mantuanus Eclog. 1. Sortiri digitis res iniucunda voluptas, Magnus prius tantidum mens erat insciа morbi. Simile est illud: Micare digitis. Cic. lib. de Diuinatione: Quid est enim sors? Idem propemodum, quod micare, quod talo iacere, quod tesseras. M. Varro: Micandum erit cum Græco, vtrum ego illius numerum, an ille meum sequatur. Nemesianus: Digitos iactare micantes. Vnde natum adagium, Dignus quocum in tenebris mices, id est, cui securè credas, & iniuraco fidem habeas. Is enim quocum in tenebris micamus, potest nos fallere, si velit.

Porrò autem veterum monumentis proditur summos viros, & multa laude præsignes, lusu non abstinuisse. nã Herculem illum portentorum domitorem, Iouis & Alcmenæ filium, ferunt cum pueulis sepius collusisse, eoq; modo eas rasanimi remisisse. Ab Alcibiade quandoq; deprehensus est Socrates cum Lampocle infantulo colludens. Agesilaus cum filio arundinem interdum equitabat, qui puerilis mos est, alludente Horatio: Ludere par impar, equitare in arundine longa. Tarentinus Archytas cum pueris de famulicio lusos agitabat, hisq; oblectabatur plurimùm, dum agitaret conuiuia. Volaterranus ait Cosmum Medicem iam senem, & patriæ ptincipem, nepotibus paruis collusisse, & ex his cuidam aduenam in medio foro aptasse.

GYMNASIA.

Gymnasium propriè dicebatur locus, in quo nudi palæstritæ oleo perunctì concertabant. Nunc pro quocunque exercitij loco solet accipi. Vnde & Gymnasiarches præceptor. Gymnasiarcha gymnasij magister.

Craneum gymnasium erat apud Corinthum.

Est & Cillarauium gymnasij nomen apud Plut. in Cleomene.

Lyceum, Academia, Prytaneum, Canopum, Pœcile, Tempe, gymnasia Athenis fuere. Nam & Canopum agnoscit Philostratus in Herodis Attici vita. Pœcile verò porticus varia à Latinis appellatur. Nobilitata etiam præter picturam Marathonicæ pugnę Zenonis Stoici conuentu. unde à porticu Stoici dicti. Lyceũ Aristotelis, Academia Platonis scholæ fuerũt. Versus Ciceronis: Inq; Academia vmbrifera, nitidoq; Lyceo Fuderunt claras fœcundi pectoris artes. De Prytaneo, Cicero lib. 1. de Oratore: Et, vt ei victus quotidianus in Prytaneo publicè preberetur.

STADIA DIVERSA.

Stadiũ XII. nostros efficit passus. Hoc est pedes DCXXV. Hoc Censorinus Italicum vocat. Olympicum pedibus DC. constat. Pythicum circiter mille. Vitruuius stadiatas domorum porticus appellat prælongas, & magnificas

TELORVM BELLICORVM, ET gladiorum nomina.

Telorum vocabula Gellius lib. II. cap. 25. multa pertinet ad hunc modum: Hasta, Pilum, Phalarica, semiphalarica, soliferrea, gesa, lancea, Rumigestri, sarces, tragulæ, frameæ, Mesanculæ, Cateiæ, Rompheæ, Scorpius, Scibones, Silices, veruta, enses, sicæ, macheræ, spathæ, lingula, pugiones, Clunacula.

Lingulam veteres dixerunt gladiolum oblongum in speciem linguæ factum. Cuius meminit Neuius apud eundem Gellium: Sine mihi gerere morem, videar lingula. Domitius in Martialem ait, lingulam etiam capi pro instrumento, quod ad similitudinem linguæ conflatum vsui esse potest ad

aromata tractãda, vt in illo versiculo Martial. Gracilesq; lingulæ, cæreiq; chartæq;.

Romphea genus est teli Thraciæ nationis. Val. Flaccus lib. 6. Argon. Aequaq; nec ferro breuior, nec Romphea ligno. Mantuanus mediam produxit dicens: Quam gerit aduersus feriat Romphea cohortes.

Spara minimi generis sunt iacula, à spargendo dicta. sunt autem rustica tela in modum pedis recurua. Virg. lib. 10. Agrestisq; manus armat Sparus. Nam vtrumque dicimus in masculeo & neutro genere. Sallust. Ceteriq; vt quosque cuiusque armauerat sparis, aut lanceis: alij præacutas sudes portabant. Lucil. Tum spara, tum murices portantur tragulaporro.

Manobarbulus genus est teli, similis plumbeæ pilæ, quo vtebantur milites, qui manobarbuli dicebantur.

Materis telum est oblongum, breuius tamen lancea. Sisenna: Gallia materibus, Sueui lanceis configunt.

Runa teli genus latam habentis cuspidem.

Sibina, seu Sibinis, telum est venabulo simile, Illyriis, peculiare. Ennius: Illyriis restant sicis, sibinisq; fodentes.

Veruina telum est simile veru. Sidonius: Cui nostrer fermo erit pro veruina.

Machæra Græcè, gladium, seu cultrum Latinè significat. Apuleius: Comminabatur sese concisurum eum machæra frustratim. Plautus: Si tibi est machæra, & nobis est urbina domi. Quod adagium dici solet, quum malum malo opponitur. Vrbina enim etiam genus est teli.

Sarissa dicitur hasta prælonga, Macedonum genti peculiaris. unde & Alexandri stiparores Sarissophoros vocat Curtius. Liuius: Prælongas hastas Macedones Sarissas vocant. Luc. lib. 8. Primi Pellæas arcu fregere Sarissas. Ouid. libro 12. Qui clypeo, gladioque, Macedoniaque Sarissa Conspicuus.

Harpe incurnus est Mercurii gladius, quo usum ferunt Perseum. Lucanus: Et subitus præpes Cyllenida sustulit Harpen: Harpen alterius monitri iam cæde rubentem. Pontanus lib. 4. de Stellis: Quæ Martem clypeo, galeaq; adamantideq; Harpe instruxit.

Acynacis gladius est Parthorum genti peculiaris. Horat. lib. 1. Car. Vino & lucernis Medus Acynacis immane quantum discrepat. Q. Curtius lib. 5. Strictoq; acynace interse ecturus uidebatur, ni propè Bessus Bactrianique deprecarentur.

Idem Curtius ait Copidas esse gladios leuiter curuatos, Falcibus similes, quibus appetebant belluarum manus.

Framea gladius est Marti peculiaris. Iuuenalis: Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis. Martianus Capella: Gradiui frameam non ausus poscere falcem. Cor. Tacitus, ubi de populis Germaniæ loquitur, frameas pro hastis uidetur accipere, dicens: Rari gladiis, aut maioribus lanceis utuntur. Hastas, uel ipsorum uocabulo Frameas gerunt angusto, & breui ferro, sed ita acri, & ad vsum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel eminus pugnent. Et equestres quidem scuto, Frameaq; contentus est, pedites & missilia spargunt.

Æganea species est leuioris iaculi, auctore apud Cælium Eustathio.

Est & Ancyle iaculum quoddam, quo qui utuntur, uocantur Ancylistæ, quamuis etiam Ancyle significet ansam iaculi.

Sigymnum iaculi genus est. Cæl. ex Lyophrone.

Geus, siue Geum, dicitur telum omnino ferreum.

Dolones tela sunt bellica, à lædendo dicta, auctore Donato. Nam dolos Græcè lesio dicitur. Sylius lib. 3. Nec teneti dextras in pugnã armata Dolone. Tranquillus in Claudio Cæsare: Reperti & equestris ordinis duo in publico cũ Dolone, ac venatorio cultro præstolantes.

Spatha genus est gladii. Iulius Capitolious de Maximino imp. Fecit & Spathas argenteas, fecit etiam aureas, & omnino quidquid pulchritudinem eius posset iuuare.

Culter, seu Cultrum (utrunque enim dicimus) propriè dicebatur gladius victimariorum, quo scindebantur victimæ. Hinc Cultrarij dicebantur uictimicidæ. Propertius: Quum fallenda meo pollice cultra forent. Eius propè generis sunt Clunaculum, & Secespita.

Clunaculum, dicitur à scindendis victimarum clunibus.

Secespita, à secando, gladius erat ferreus & oblongulus, manubrio eburneo rotundo, quo Flamines, Flaminicæ, & Pontifices vtebantur ad sacrificia. Tranquillus in Cæsare Tiberio: Nam & inter Pontifices sacrificanti simul pro secespita plumbeum cultrum subiiciendum curauit.

Sica, gladius est occultus, & inuasorius, qui inclusus ligno formam habet baculi. Hoc qui vtuntur, Sicarij vocantur. Horatius: Si quis erat dignus describi, quòd malus aut fur, Quòd mœchus foret, aut Sicarius. Martialis libro 11. Inuasit medicus Sica Phreneticus Eucli.

Cateia, gladius est falcatus, Germanis olim frequens. Sylius: Panda manus est armata Cateia. Ponto libro 5. de Stellis: Armaque, Pilaque, Cateias.

Nouacula culter est rasorius, Cuius artifices dicuntur Nouacularij. Mart. da ferramẽtis tonsorij: Tõdentis hæc arma tibi sunt apta capillis, Vnguibus hæc lõgis utilis illa genis.

Parazonium, gladij genus, quod accingi solet zonæ.

Paltum, teli genus est, seu minoris iaculi, quòd in itinere torquetur.

Pugio, genus teli seu gladii breuiusculi, à pugnando dicitur, vel quòd punctim feriat, vel quòd punctim teneatur. Hinc diminutium Pugiunculus. Cic. Hispaniensem pugiunculum Cn. Pisonem appellabat.

Hasta dicitur, quòd stans vel à stante ferri soleat. Vnde & hastile deductum. moris erat antiquitus hastæ subiicere res, quæ exponebantur venales per auctionem. hinc Hasta rium, dicebatur auctionaria illa uenditio. Tranquillus in Augusto: Ipsum, bonaq; eius subiecit hastæ. Hastici ludi qui hasta conficiuntur. Idem auctor in Caligula: Edidit & peregrè spectacula in Sicilia Syracusis hasticos ludos. Hasta pura, dicitur, nullo ferro præpilata. Virgil. Ille ipides pura iuuenis qui nititur hasta. Suetonius in Claudio: Posdem spadonem Britannico triumpho inter militares uiros hasta pura donauit. Hastis puris enim milites ob fortitudinem donabantur. Hinc scribit Plinius, Sicinium Dentatum donatum fuisse hastis puris duodeuiginti.

Triphorum, dicitur telum longitudine trium cubitorum quod Catapulta mittitur. Ennius: Aut permaneret paries

percussus triphoro.

Sagitta iaculum, quod arcu mittitur. hinc Sagittare uerbum, id est, iaculari. Hieron. Vt sagittent in occultis immaculatum. Sagittarius, qui sagittas intorquet. Tranquillus in Flauio Vespasiano: Syriacum præmasit exercitum. Hinc xl. millia sagittariorum. Sagittarios equestres Græci Hippotoxatas vocant. Omnium optimi sagittarii sunt Parthi, qui fugientes & auersi iaculantur, & lædunt perinde ac aduersi. Lucanus: Ocyor & missa Parthi post terga sagitta. Fiunt etiam composita Sagittifer, & Sagittipotens. Cicero in Arati Phænomenone: Mense sagittipotens solis quum sustinet orbem. Ruffus Festus: Membra sagittigero cedunt postremo reuecto.

Iaculum, quidquid iaci potest. hinc Iaculari verbum. Iuuenalis Satyra 1. Et quantas iaculetur Monycus ornos. Dicimus etiam Iaculo & Eiaculo.

Tragula à traiiciendo, uel quòd infixa scuto trahatur. Metaphoricè pro dolo capitur. Plautus: Tragulam in te iniicere adorant.

Pilum dici potest quinque pedum hastile. Sulpicius ait, Pila Romanorum esse missilia trium pedum, utrinque præfixa ferro trigono vnciarum nouem. Lucanus: -infestisq; obuia signis Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Falces, Harpagones, Fundæ, Fustibalæ, Plumbatæ, Onagri, Scorpiones, numeranter à Vegetio inter tela naualia. Fundis qui utuntur, vocantur Funditores.

Catapulta, dicitur velox Iaculum, vel sagitta. Plautus: Atque ita te neruo torquebo, ut Catapultæ solent.

Aclides, Seruius ait tela esse adeò antiqua, vt nec usquã comemorentur in bello. Legitur tamen, quod sint clauæ cubito & semis factæ, eminentibus hinc inde acuminibus, quæ ita in hostem iaciuntur religatæ loro uel lino, ut peractis vulneribus possint ad dominos redire. Putatur tamen esse teli genus, quod per flagellum in immensum iaci potest. Virg. lib. 7. Æn. -teretes sunt aclides illis Tela, &c.

Veruum est telum breue & angustum. auctore Nonio. Sallustius 3. Hist. Auxiliumq; manebant in modum Veruti militaris.

Gesa Gallorum sunt tela. Virg. lib. 8. Æn. Duo quisque Alpina coruscant Gesa manu.

Venabulum venantium hasta lato præpilata ferro. Ouid. in epi. Phedræ: Siue tenes lato venabula cornea ferro.

Ansatæ sunt iaculamenta cum Ansis.

Sequenti iaculorum nomina enumerantur à Crinito, ubi de telorum generibus meminit: Spari, Cateiæ, Frameæ, Caiæ, Rumigesti, Mesanculæ, Sibini, Gesa, Veruta, Aclides, Romphea, Lanceæ, Pila, Sarissæ, Scibones, Tragulæ, Telones, Hastæ, Sudes, Phalaricæ, Issi, Faces, Semiphalaricę, Cæstra, Soliferrea, Scorpij.

TELA PROPRIA GENTIVM.

Framea Germanorum: Romphea, Thracum: Lanceæ, Hispaniorum. Vnde Varro apud Gellium ait, Lanceam non Latinum, sed Hispanorum esse uerbum. Pila Romanorum, Issi, Boiorum: Sarissæ Macedonum: Sibini Illyricorum.

TELA, ET SCEPTRA DEORVM.

HArpe gladius est Falcatus Mercurij. Vnde & Ouidius Harpen uocat Cyllenidem lib. 5. Met.

Frameam poetę vocant Martis hastam.

Simulacro Apollinis apponebatur arcus, sagittę, Clypeus & Lyra. Claudianus: Mars clypeo melior, Phœbus præstantior arcu.

Sceptrum & Fulmen Ioui tribuuntur. Vnde & poetæ Iouem appellant fulminatorem, fulminigerum, fulguratorem, tonitrualem, sæptrigerum. Quinctianus in Orpheo: Astant cælicolæ intenti, quæ fulminiger rex Præcipiat. Bap. Pius: Iunxit Agenoridæ sceptrifer ipse tonans.

Claua fuit Herculis telum. Ouid. in epist. Dejaniræ: Instruxitq; manum claua domitrice ferarum. Idem li. 15. Vana gerens clauigeri quæ fecerat Herculis arcus.

Fuscina telum fuit trisulcum, insigne Neptuni, vt apud Priapeiam: Neptuni Fuscina telum. Martia. lib. 1. Fuscina dente minax nexu fuit anchora curuo. Dicitur & Tridens, quòd uelut tres habens dentes. Neptunus apud Virg. lib. 1. Æn. Et Lucanus 4. Ouid. 8.

IOui Fulmen, Herculi clauam, Homero versum subtrahere: tria hæc olim credita sunt impossibilia. auctore Macrobio lib. 5. Saturnaliorum. Quod etsi fieri posset, alium tamen nullum deceret, uel fulmen præter Iouem iacere, uel certare præter Herculē robore, uel canere, quod cecinit Homerus.

MACHINÆ QVÆDAM BELLICÆ, & tormenta.

BOmbardam Galli vocant machinam à bombo & ardeo, vt autumat noster Nicolaus Beraldus: ex crabile prorsus inuentum, quo nihil fulmini magis simile, luce, impetu, & odore teterrimo. Cuius inuentori (vt inquit ille) robur & æs triplex circa pectus erat, illum parentis crediderim sui ceruicem, & penetralia sparsisse noxturno cuore Hospitis, &c.

Graphicam tormenti huius descriptionem, vide apud eundem Beraldum in Rusticum Politiani, ex versibus Ioannis Mariæ Catanei. Ricardus Bartholinus Bombardam vocat turrifragam, nouo sed tamen conuenienti epitheto. Volaterranus ait Bombardam primam à Germanis dono Venetis data, quum hi apud Clodiam fossam Genuenses obsiderent.

Vegetius ait Testudinem machinam fuisse bellicam, de materia ac tabulatis contextā, quæ ne exureretur incēdio, coriis, vel ciliciis centonibusq; vestiebatur. Hæc intrinsecus accipiebat trabem adunco præfixam ferro, quod Falx uocatur, ab eo quòd incurua est, vt de muro lapides extra hat. Idem ait caput eius uestiri ferro, appellariq; Arietem, quòd frontem habeat durissimam, quæ subruat muros, & arietum more retro cedat, vt cum impetu uehementius feriat. Habet autem testudo machina similitudinem cum testudine uera: nam sicut hæc modò reducit, modò profert capur, sic illa interim reducit trabem, & quandoq; exerit. Vide Ammianum Marcellinum quoq; De Ariete Virg. labat ariete crebro Ianua, & emoti procumbunt cardine postes. Ouid. lib. 11. Meta. Nec leuius pulsata sonat, quàm fereus olim Quum laceras aries ballistaue concutit arces.

Hinc Arietare uerbum, id est cum impetu percutere. Virg. Arietat in portas, & duros obice postes. De Ariete Pamphilus: Rumpo fores, murosquatio, demolior arces: Cornua ferrata sub trabe dura gero.

Vineæ (quas aliter Cattos uocant) fiebant hoc modo. De lignis leuioribus machina colligabatur, lata pedibus octo, alta pedibus septem, longa x v i. huius tectum munitione duplici tabulatis cratibusq; contexebatur: latera sepiebantur uimine, ne saxorum telorumq; impetu penetrarentur: extrinsecus autem ne immisso concremaretur incendio crudis ac recentibus coriis ac centonibus operiebatur: multis in ordinem iunctis se supponunt milites, qui tuti penetrant ad excauanda murorum fundamenta. De Vinea Propert. lib. 4. Dumq; aries murum cornu pulsabat aheno, Vineaq; inductum longa tegebat opus.

Plutei contexebantur ad similitudinem cassidis à uimine: ciliciis protegebantur, coriis, ternisq: rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus opponebantur: admonebantur in quancunq; partem, more carpenti, & applicabantur muris: horum munitione protecti obsessores, sagittis, fundis & missilibus obsessos, de propugnaculis ciuitatis exturbabant, ut scalis ascendendi facilior pateret occasio.

Musculi dicuntur minores machinæ, quibus protecti obsessores vrbis fossatum (uerbum est Vegetij) comportatis lignis & lapidibus complent, & solidant, ut turres ambulatoriæ sine impedimento admoueantur, & applicentur muris. Minores sunt uineis, & pluteis firmiores. Vocantur autem à similitudine musculorum piscium. Nam quæ admodum illi quum minores sint, tamen Balænis auxilium adminiculumq; exhibent, ita quoq; hæ machinæ subsidio sunt ambulatoriis turribus ad parandam viam, præmunitaq; itinera.

Turres ambulatoriæ, sunt machinamenta trabibus tabulatisque compacta, crudis coriis, & centonibus communita, ne hostili crementur incendio. fiebant interdum tanta proceritate, ut muros, & lapideas turres altitudine superarent. voluebantur multis rotis arte mechanica suppositis, quū muris admouebantur, præsens erat ciuitatibus periculum. Nā

sursum uersum habebant scalas, quibus irrumpebatur in urbem. Deorsum uersum arietes, quorum impetu diuelleban tur muri. In earum fastigio collocabantur sagittarij, qui obsessos contis, & saxis missilibus protrudebant, eoq; modo capiebant ciuitatem sine mora. Obsessis enim nulla spes erat auxilij, quum supra se aspicerent altiorem hostium murum.

Sambuca, fiebat ad similitudinem citharæ. Nam ut in citharā sunt chordæ, ita in trabe, quæ turri admouebatur, erant funes, qui pontem de superiori parte trocleis laxabant ut descenderent ad murum, exibantq; statim bellatores, & per eam transeuntes mœnia urbis inuadebant.

Exostra, pons erat turris ambulatoriæ, per quem obsessores in muros obsessarum vrbium transmeabant.

Obsessi ab obsessorum machinis tutabantur se ballistis, arbalistis, onagris, scorpionibus, fustiballis, & sagittariis fundis.

Telenon, machina fiebat hoc modo: Trabs vna in terrā prealtè defigebatur, in cuius vertice connectebatur altera longior, dimensa medietate eo libramento, vt depresso vno capite, erigeretur alterum. in vno quoque capite cratibus & tabulatis contexebatur machina, in qua pauci collocabantur milites. depresso itaque per funes altero trabis capite, altero uerò (in quo erant) eleuato, imponebantur in murum.

Scorpiones, machinæ sunt, quæ Vegetij tēpore dicebantur Manuballistę. ideò autem nomen hoc traxerunt, quòd parvis, subtilibusq; spiculis inferrent mortem. Alter Scorpio vocatur Onager, quòd asini feri quum à venantibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittūt ut perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant. Saxis autem per Onagrum contortis, non solùm equi elidebantur & homines, sed etiam hostium machinamenta frangebantur.

Cochleæ, dicebantur rotundæ machinæ, in quibus per circuitum obsessores conscendebant in muros inimicorum.

Ballista, bellicum erat tormentum ex ferro, aut taxo, aut osse, quo magni lapides emittebantur, ut ait Sulpicius.

Ouidius lib. 1. de Trist. Quàm graue ballistæ mœnia pulsat onus. Cic. lib. 2. Quæst. Tuscul. Vt enim ballistæ lapidum, ita reliqua tormenta telorum. Ballista formabatur ea magnitudine, vt lapides c xx. pondo eiacularetur. Ballista maior saxa contorquet. hæc à Phœnicibus reperta est. de hac Sylius lib. 1. Phocais effundit vastos ballista molares. Ballista minor hastam iacit, & parua spicula. De hoc videtur intellexisse Lucanus lib. 3. dicens: Nec enim solis exsul sa lacertis Lancea, sed tenso ballistæ turbine rapta.

Phalarica, genus erat teli, quod ex phalis, id est, turribus ligneis intorquebatur. Erat autem præfixa validò ferro in modum hastæ intra tubum: cuius hasta sulphure, resina, bitumine, & stuppis conuoluebatur, infuso oleo, quod incendiarium vocabant, & è ballista emittebatur.

Inter nostri temporis machinas habentur Colubrina, & Serpentina, quòd oblongæ fiant, habeantq; effigiem prope Serpentis & Colubri. Pamphilus Saxo: Vis, sonitus, rabies, motus, furor, impetus, ardor Sunt mecum, Mars hęc ferreus arma timet.

Arcuballistæ, & Carroballistæ, dicebantur minores machinæ, quæ curriculis ferebantur.

Malleoli erant quædam missilia, quæ arcu iaciebantur, materiam habentia ad comburendum. Liuius: Aliqui venerunt ferentes stuppam, picem, & malleolos.

Inter machinas etiam numerantur Trifaces, Cataphractæ, Plumbatæ, Tribali.

Falces, & Harpagæ armorum genera sunt apta murorum oppugnationi. Sisenna apud Nonium: Falces iniectas comminuunt, Puteos propius collocatis Harpagis deiciunt, mittunt è turribus.

ARMORVM VARIA GENERA, & bellorum instrumenta.

GAlea dicitur cassis, seu ferreum instrumentum: à galero, quo veteres vsi sunt. Ouid. in epist. Et galeam pressa sustinuisse coma. Et ornata cristis & pondere maiorem solet incutere terrorem. Vnde Virgil. lib. 8. Æneid. Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem. Idem significat Cassis: dicimus etiam Cassida. Prop. Aurea qui postquam nudauit cassida frontem.

Ancyle dicitur breue scutum Nonio. Hoc ex vtroque latere recisum erat, vt nullus videretur angulus, & summũ infimumq; latus eius medio pateret. Ferunt ancylia principante Numa Pompilio cælitus fuisse demissa. Ouid. lib. 5. Fast. Ecce ancyle vocant, quod ab omni parte recisum est, Quæq; oculis spectes angulus omnis abest.

Parma fuit breue scutum, peditibus peculiare. Vir. lib. 11. Ense leuis nudo, Parmaque inglorius alba. Dicimus & Parmula. Horat. Tecum Philippos & celerem fugam Sẽ si relicta non benè parmula.

Pelta dicitur Clypeus Amazonum, in modum Lunæ recuruus, Virg. Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis. Stat. lib. 5. Sil. Hinc peltiferæ dicuntur Amazones. Ouid. Qui modò peltiferas tudit Mœotidas, &c.

Cætra scutum est loreum, quo vtuntur Afri & Hispani. Luca. lib. 7. Illic pugnaces commouit Iberia Cætras. Virgil. Læuas Cætra tegit. Cętrati dicuntur qui vtuntur huiusmodi scutis.

Ocreæ dicuntur crurum munimenta. Apuleius: Ille galea caput, ille crura Ocreis inuoluit. hinc Ocreati, ocreis ornati. Plinius: Ad reliquos vsus laborioſè euehitur ocrea tis cruribus. Vegetius: Pedites scutati præter cataphractas, & galeas etiam ferreas, Ocreas in dextris cruribus cogerẽtur accipere. Virg. lib. 7. Æn. Aut ocreas leues lento ducunt argento.

Thorax dicitur ferreum pectoris munimentum, & quidquid à collo ad coxendicem protenditur in anteriori corporis parte. Thoracati, thorace induti. Plin. Parrhasius pinxit Nauarchum, thoracatum. Fiebant olim thoraces crati bus coštarum ferreis, unde & nexiles vocantur Statio, & multiplices. lib. 12. Multiplicem tenues iterant thoraca cæteruæ.

Phaleræ ornamenta sunt equorum, qui inde vocantur phalerati. Virg. lib. 5. Æn. Primus equum phaleris insignẽ victor habeto.

Ephippia sunt strangula, quibus equi integuntur, vel sellæ, eis ad insidendum positæ. Cato: Fuit mihi equus sine ephippio. Equi ephippiarij dicuntur, quibus imponuntur sellæ, ne graui incessu uulnerent sessorẽ. ephippiati equi, suis phaleris ornati. Horatius adagium fecit: Optat ephippia bos, piger optat arare caballus. ubi quis vult ea curare, quorum est ignarus.

Capistrum, & Frænum, vincula sunt capitis equorum, Martialis: Paret purpureis aper capistris.

Stapedes, maniculæ sunt ferreæ, quibus pedes sustinẽt equitantes.

Pharetra, repositorium sagittarum, quanquam & pro sagittis interim capiatur. Ouid. lib. 1. Met.

Lorica dicitur ferreum corporis munimentum, quale apponebatur antiquis regum, & imperatorum statuis. Dicitur autem Lorica, velut connexa loris. Squalebat ferri lamminis, vt crustis cochlearum. Vitruuius: Non patietur lorica testacea lædi latera. Modestus: Centuriones nimium bellicosas loricas transuersis cassidum cristis (vt à suis facilius noscerentur) habebant. Martial. Inuia Sarmaticis domini lorica sagittis. hinc Loricare est armare, seu loricam induere. Plin. de Ichneumone in Aspidem certaturo: Mox (inquit) vbi pluribus eodem modo se coriis loricauit, indimicationem pergit.

Vmbo dicitur pars clypei eminentior. Capitur & pro toto clypeo. Virg lib. 10. -sed sustinet æreus vmbo. Statius lib. 18. Euboicum duris rumpunt vmbonibus agmen.

NOMINA DIVERSA AD militiam spectantia.

EXercitus dicitur magnus militum numerus, ab exercitatione. cui præest qui legiones cum suis auxiliis comministrat. eiusq; officium consistit non solùm in danda, sed etiam obseruanda disciplina. Is vocabatur à Romanis Tribunus militaris, cui iubebantur parere milites. eius intererat milites in castris continere, ad exercitationes producere, claues portare, vigilias interdum circuire. annonæ & commeatibus consulere, compescere tu-

multus militares, delicta secundum auctoritatem castigare, audire commilitonum querimonias, & multa id genus alia. Dicebatur autem Tribunus à tribu, quoniam Romulus primus milites ex tribu legit. Tribunorum militarium alij dicebantur Ruffuli, qui creabantur in exercitu: Alij Comitiati, qui designabantur in comitiis. Dicti sunt & Rutuli, quòd Rutilius Ruffus legem, de his creandis ab exercitu, quandoque tulerit. Equestris ordinis nomen sæpe mutatũ est, nam qui ad equitatum trahebantur, primùm Flexumines, & Trossuli dicti sunt, quum oppidum in Tuscis eo nomine soli sine peditatu cepissent.

Miles suberat Centurioni: Centurio, Tribuno: Tribunus, Legato: Legatus, Consuli: Consul, Dictatori: Centurio centum peditibus præerat. Is erat, quem nunc primipilum dicimus. Myrias continebat decem millia. Hinc Myriarches, qui decem millibus præest.

Legio à delectu militum dicta est, auctore Nonio. Romanorum legiones habebant singulæ sena millia, & interdum amplius, vbi res postulabat. Differebant autem ab auxiliatoribus. Nam Auxiliatores conducebantur ad prælium ex diuersis locis, nec disciplina inter se, nec notitia, nec affectione consentientes, aliisque institutis vtentes, & dissimili armorum vsu. Iungebanturque legionibus adminiculi, non principalis subsidij loco. Legio autem propriis cohortibus constabat, habebatq; grauis armaturæ principes Hastarios, Triarios, & Antesignanos. Item leuis armaturæ Ferentarios, Sagittarios, Funditores, Ballistarios, vt proprios: vnoque animo, & pari consensu castra munientes. Erat in legionibus tanta armorum exercitatio, & fiducia, vt nusquam legantur plures fuisse legiones, quàm duę. Qui legionum matriculis inseri volebant, hoc est, numerari inter legionarios, solebant iurare. idque Sacramẽtum dicebatur. Iurabant autem Per Deos & imperatoris maiestatem, se fidem seruaturos inuiolatam, æternumq; famulatum suo principi exhibituros, militiam nunquam desertu-ros, nec recusaturos mortem pro rep. Habebat Legio decem Cohortes, quarum prima habebat pedes M C V. equites lo-ricatos C X X X I I. Secunda pedites D L V. equites lori-

catos LXVI. Tertia pedites DLV. equites itidem LXVI. Quarta pedites DC. equites LXVI. Quincta totidem. Hæ autem primæ ordinabantur in prima acie, tanquam magis strenuæ. Sexta pedites DLV. equites LXVI. Septima pedites DLV. equites LXVI. Octaua, Nona, & Decima singulæ totidem. His decem cohortibus perficiebatur legio, quæ habebat peditum sex millia, equites DCCXXXII. A numero & ordine legionum milites dicebantur Primani, Secundani, Decumani, primæ, & secundæ, aut decimæ legionis.

Cohors diuidebatur in quinquaginta manipulos, Manipulus in vigintiquinq; milites. Manipulum autem Varro ait esse minimam exercitus manum, quæ vnum sequitur signum. de quo verbo Ouidius: Illa quidem fœno (sed erat reuerentia fœno, Quantum nunc aquilas cernis habere tuas) Pertica suspensos portabat longa manipulos, Vnde Maniplaris nomina miles habet. Lucanus libro I. Conuocat armatos extemplo ad signa manipulos. Hinc Maniplares milites, dicti à manipulo fœni, quod sequebantur

Centuria dicebatur centenarius militum numerus, cui qui præerat vocabatur Centurio.

Constabat Turma ex triginta duobus equitib. Varro turmam ait dictam esse mutata e, in v, quasi ternam, quòd terdeni milites ex tribus tribubus, Lucerum, Rhamnensium, & Tatientium fiebant.

Phalanx dictio est Macedonica, quadratam aciem, & cuneum militarem propriè significans, quando pes pedi, clypeus clypeo, vir viro in acie conserebatur: quemos erat Macedonum peculiaris. Curtius: Macedones, inquit, phalangem vocant peditum stabile agmen, quum vir viro, & armis arma conserta sunt. Capitur tamen pro quouis exercitu. Virgilius lib. 6. At Danaum proceres, Agamemnoniæque phalanges. Quoniam autem vocabulum est Macedonicum phalanx, proprio epitheto vocatur Sarissigera, à Sarissis Macedonum hastis.

Porrò autem Hastati dicuntur, qui pugnant hastis: Pilani, qui pilis,

Ordinarij dicuntur, qui in prœlio præsunt, & primos ordines ducunt.

Augustales dicebantur, qui ab Augusto ordinariis iuncti fuerant.

Aquiliferi, qui portabant aquilam Romanorum insigne. Lucan. Pares aquilas, & pila minantia pilis.

Imaginarij, vel Imaginiferi, qui imperatorum portabant imagines.

Signiferi, qui signa portant.

Tesserarij, qui tesseram per contubernia militum nunciant. Tessera autem vocatur præceptum ducis, quo ad belli um, aut aliquod aliud opus mouetur exercitus.

Campigeni dicuntur antesignani, ideò quòd eorum opera, atque uirtute exercitii genus crescit in campo.

Metatores, qui præcedentes locum deligunt castris.

Beneficiarij, qui tribunorum beneficio promouentur.

Librarij, qui in libros rationes referunt ad milites pertinentes.

Tubicines, Cornicines, Buccinatores, qui tuba, æreo cornu, vel buccina committere soleant prœlium, vt Liticines, qui lituo canunt. Marcellinus: Post exactum iam diem occinente liticine, reuocatus inuictissimus miles, prope supercilia Rheni tendebat. Dicuntur etiam Aenatores. Suetonius in Cæsare Dictatore: Inter eos (inquit) & æenatores rapta ab vno tuba prosiluit ad flumen. Marcellinus: Quum superesset exiguum noctis æratorum clangore ductore vrbem, vt mox casuram, terribili corona cinxerunt. Buccinatores, auctore Vegetio, ornamentum erant totius legionis in ingressu conflictus, & eius reditu. hinc per metaphoram Buccinator pro laudato re solet accipi.

Mensores, qui in castris demetiuntur loca, in quibus tentoria milites figant, vel hospitia in ciuitatibus præstent.

Torquati simplares, & Torquati duplares, quibus torquis aureus solidus virtutis fuit præmium, quem qui meruisset, præter laudem interdum duplas consequebatur annonas, duplares, duas.

Candidati milites dicuntur, qui priuilegiis muniuntur. reliqui vocantur municipes, quòd propter munera facere militiam cogantur.

Antesignani dicebantur milites, qui erant ante signa, quos tanquam duces reliqui sequebantur. Apul. Antesignani nostri partem (qua manus humerum subit) ictu per articulum medium temperato prorsus abscidimus.

Vexillarij, & Vexilligeri, qui vexillum gerũt. Idem Apul. Tunc Itaq; (inquit) sublimis ille vexillarius noster Lamathus. T. Liuius, Ordo, inquit, sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium vnum habebat. Idem auctor est sub vno vexillo fuisse homines CLXXX. Vexillationes antiqui nominauerunt alas equitum. Eadem ratione.

Aquiliferi dicebantur, qui aquilas, Romanorum signa, ferebant. Sueton. in Cæsare: inclinatam (inquit) aciem forlus sæpe restituit, obsistens fugientibus, retinensque singulos, & contortis faucibus conuertens in hostem, & quidem adeò plerunque trepidos, vt aquilifero moranti cuspide sit comminatus.

Draconarij, qui dracones ferebant in vexillis, vt aquilas. Claudianus: Stant bellatrices aquilæ, sæuiq; dracones. Primum signum (inquit Vegetius) legionis est aquila, quam aquilifer portat. dracones etiã per singulas cohortes à Draconariis feruntur ad prœlium.

Primipilus, seu Primipilaris, dicebatur Centurio, qui IIII. centurias, id est CCCC. milites regebat in acie primaq; erat; caput legionis. Tranquillus in Tiberio: quum (inquit) Pollentina plebs funus eiusdem primipilaris nõ prius ex foro misisset. Idem in Caligula: Testamenta primipilarium (qui ab initio principatus, neque illum, neque se heredem reliquissent) vt ingrata rescidit.

Manipli, seu Maniplares dicebantur signiferi, qui imperante Romulo, quum Romani & Latini sub vno centurione, bellum aggressuri essent, Maniplo herbæ hastæ alligato pro signo vtebantur. Ouidius: Vnde Maniplaris nomina miles habet.

Nauarchus dicebatur nauis princeps, qui in bello nauali remigibus & militibus exercendis quotidianam curam, & iugem exhibebat industriam.

Bellatores qui ad decertandum instruuntur, armisque ad uersarium inuadunt.

Imbelles in exercitu dicũtur, qui sequuntur copias ad alium, quam conflictus vsum: vt medici, tabernarij, & serui.

Velites dicuntur leuissimæ armaturæ milites. Hi loricam non induebant, nec ocrea muniebantur. non clypeum aut scutum graue ferebant, sed telis tantùm vtebãtur, & sagittis. Ouid. in Ibin. à Velitibus fit Velitari verbum, id est leuiter contendere, & Velitatio, leuis contentio. à leui armatura Velites aliter dicebantur Expediti.

Peltati inter leuis armaturæ milites numerabantur, à Pelta breui paruoq; scuto, quo vtebãtur, cum cõtis Sarissa paulò breuioribus.

Catafracti dicũtur, qui non solùm sua corpora, sed etiam equos lorica vndiq; muniunt. hos Marcellinus Catafractarios vocat, vbi ait: Et ne qua interueniret mora, adhibitis Catafractariis solis & ballistariis parum ad tuendum rectorem idoneis, præcurso eodem itinere ad arma Succorum peruenit. est etiam Catafracta militaris lorica siue thorax. de Catafractis Marcellinus: Sparsiq; (inquit) catafracti equites (quos Clibanarios dictitant) personatim thoracum nitili ligaminibus, & lumbis ferro cinctis. Idem: Inter quas (inquit) catafractarij erant sagittarij, formidabile genus armorum.

Hastati dicuntur qui manus conserunt, & cominus hasta decertant; vnde & Tranquillus in Caligula, Hasticos vocat ludos, qui hasta consiciebantur.

Scutati, Cætrati, & clypeati, qui scuto & clypeo se præmuniunt. nam Cætra scutum est breue & loreum, quo (vt iam diximus) vtebantur Afri & Hispani. Sylius: -barbarica plaudentem carmina cætra. Frequens est apud Liuium Cætratorum mentio. Scutatos Marcellinus & Scutarios vocat. Nec Scutarios (inquit) adesse didicerat. Item Suetonius in Augusto: Affuit & clientibus sicut Scutario euocato quondam suo.

Scutigerulus à Plauto dicitur armiger, qui gerit scutum domini in bello. de clypeatis Marcellinus: Et incedebat

hinc inde ordo geminus armatorum clypeatus & cristatus.

Ferentarij equites dicuntur, qui eminus solent dimicare, quorum alij iaculis, alij arcu vtuntur. Ferentarij etiam dicebantur ab auxilio ferendo, erátq; leuis armaturæ milites, ex cursu leues, armis grauibus non impediti, ense tantùm & telis instructi. Sallustius. Postquàm eò ventum est, vnde à Ferentarij prælium committi posset.

Architenentes, & Sagittarij, qui arcu vtuntur, & sagittas intorquent, vocantur etiam Sagittiferi.

Vbi pugnabatur Elephantis, qui vni tantùm præerat, vocabatur Zoarchus ab animalis præfectura, Qui tribus Therarchus, Qui quattuor Epitherarchus, Qui octo Ilarcha, Generali vocabulo Elephantorum. præfectus dicitur Elephantarcha. auctor Aelianus.

Chiliarchi dicebantur, qui mille militibus præerant. Chilias enim dicitur millenarius numerus.

Tyrones dicuntur noui milites, fortes tamen & robusti ad perferendos labores militiæ; quorum prima exercitatio vocatur Tyrocinium velut rudimentum, vnde & Tyrunculi dicuntur etiam qui sunt rudes in re aliqua. Tranq. in Cæs. Tyrones neq; in ludo, neq; per lanistas, sed in domibus per equites R. ac etiam per senatores peritos armorum erudiebat. Hieronymus in femineo genere Tyrunculas puellas uocat. Tyrocinium etiam præter illud militare rudimentum, dicebatur ab eruditis, quum adolescentuli togam sumebant, & ponebant barbam, eloquentiamq; in foro auspicabantur. Nam tunc etiam dicebantur Tyrones. Seneca in decla. Ille in foro primùm dicturus, tyro dictus est.

Classiarij dicebantur buccinatores, qui cornu ducebant exercitum, quicq; Classicum canebant imperatore præsente. Classiarij etiam dicuntur remiges, & frequentius milites in classibus. Cor. Tacitus: Anicetum centurione classiore comitatum. Tranquillus in Cæsare Tiberio: Vnde Damnatos post longa & exquisita tormenta præcipitari coram se in mare iubebat, excipiente Classiariorum manu.

Rorarij, testimonio Varronis, dicebantur, qui primi omnium in conflictum prodibant, erantq; leuis armaturæ, velites: Nec dimicabant acriter, sed leui quadam contentione

tione prælium tantabant, quemadmodum ros prius inchoat, quàm pluuia.

Exauctorati milites dicebantur, qui obligatione militari stipendio soluti erant habuerantq; missionem. hoc autem uerbum quandoq; in malam partem capitur, ut apud Lampridium, qui scribit Alexandrum tumultuantes legiones exauctorauisse. nam orta quondam seditione militari, non timuit conscendere tribunal, & oratione seueriſſima tumultuantes increpare, quamuis omnes armati circunsisterent. postremò illis adhuc frementibus quum inclamasset, Discedite, arma deponite; omnes depositis armis sagulisq; militaribus ad diuersoria recesserunt. tunc unam legionem totam exauctorauit, quam mox loco suo restituit. Simile est dictum Tranquilli de Cæsare dictatore scribentis, Nonam legionem apud Placentiam quanquàm adhuc in armis Pompeius esset, totam cum ignominia missam fecit.

Gregarii milites dicebantur uulgares, non electi. Tranquillus in Augusto: Nam quum spectaculo ludorum gregarium militem mxiiii. ordinibus sedentem excitari per apparitorum iussisset.

Triarii milites erant omnium fortissimi, qui in postrema legionum parte collocabantur, in his autem sita erat tota spes, & vltimum perfugium. erant omni armorum genere instructi. genu posito subsidebant, ut si primam aciem uinci contigisset, ab his integrato prælio uictoria repararetur. de his Modestus ad hunc modum scribit: Hi ut requieti & integri inuaderent hostes, post ultimas acies sedere consueuerunt; & si quid in primis ordinibus accidisset, de eorũ uirib. reparationis spes tota pendebat. Hinc formatum adagium, Res ad triarios rediit: ubi propè desperatur uictoria, resq; eò periculi redacta est, ut extremo conatu, summisq; uiribus sit enitendum; quibus si nihil proficiatur, iam nullus relictus est effugii & salutis locus.

Elephri dicebantur equites leuiter armati, qui discursu faciles erant, iaciebantq; missilia seu sagittas.

Accensi dicebãtur, qui ministerio ac seruitio publicè adiiciebantur legionibus, quum fas non esset milites, (qui pecuniis publicis alebantur) cuiquam seruire, dicebanturq; Ac

censi uelut accedentes.

Dimachæ dicuntur, qui duplici pugnæ genere decertant, equo scilicet, & ut pedites, ubi regio non est apta equitatui. Hos primò ferunt institutos ab Alexandro, qui etiam triginta puerorum millia ad militarem disciplinam curauit instruenda.

Finguntur etiã quandoq; huiusmodi nomina à nominibus telorum, ut Lancearii, Doriphori, id est speculatores. Dori enim Græcè, lanceam significat Latinè. Tranquillus in Nerone: Et quum affatim desæuisset, ut conficeretur à Doryphoro liberto.

Machærophori à ferendis Machæris gladiis. Cicero: Machærophoris centum sequentibus miros risus nobis excidere.

Ensiferi, à ferendis ensibus.

Sarissophori à Sarissis, quas Macedonum hastas esse diximus.

Spathiferi à spathis.

Mucronigeri, Cultriferi. Cultelliferi, Teligeri, Teligeruli, Iaculiferi, Iaculatores, Spiculiferi, Spiculatores, Hastigeri, Hastiliferi, Vrbiniferi, eadem forma dicuntur.

Tortores quandoque dicuntur, qui lapides tormentis iaciunt. Vnde & tortores ballistarum vocat Ammianus.

Scorpionarii, qui scorpionibus, seu machinis iaculantur. Eiusdem notæ sunt Ballistarii, Arcuballistarii, Colubrinarii.

Funditores, Fundibularii, qui funda lapides intorquent. Sallustius: Ipse cum expeditis cohortibus adhuc funditorũ & sagittariorum delecta manu.

Pyrobolarii, qui ignitas glandes tormentis eiaculantur.

Clauigeri à ferendo Claua, Græcè vocantur Corynophori.

Sunt & quædam principatuum & præfecturarum nomina, vt Imperator, Rex, Dominus, qui in malam partem olim accipiebatur pro tyranno. Virg. Vẽdidit hic auro patriam, dominumq; potentem, Imposuit.

Megistanes dicuntur proceres & primates. Cornel. Ta-

citus: Et Megistanes Armenios, (qui primi à nobis defecerant) pepulit sedibus.

Monarcha, seu Monarches vnicus omnium princeps, & Monarchia principatus ipse.

Hecatontarchus centũ hominum vel ciuitatum princeps.

Dynastes dominus regni: Dinastia potentatus. Cic. ad Atticum: Erit nebulo iste cum istis Dynastis in gratia.

Nauarchus princeps nauis.

Strategus dicitur præfectus militaris, & Stratagea præfectura ipsa. Vnde & legimus Thraciã fuisse diuisam in Strategeas 50. Ita enim vocant præfecturas.

Archipolis princeps ciuitatis.

Demarchus tribunus plebis, Demarchia tribunatus.

Agoranomus apud Plautum vocatur ædilis, vbi ait in Captiuis: Hunc fecerunt sibi Aetoli Agoranomum.

Eparchus dicitur prouinciæ præses. Eparchia prouincia.

Ethnearches princeps gentis. Ethnearchia principatus.

Genearcha generis princeps. Genesis est generatio.

Irenarches, seu Irenarcha, qui præficitur in ciuitate ad auferandas discordias, pacandosq; tumultus ciuiles.

Philarchus amator imperii, Latinè dici potest imperij candidatus.

Cosmoarchus mundi princeps.

Democraticus, qui fouet principatum populi. Democratia, populi principatus.

Ephorus dicitur præfectus, & superinspector. Ephori magistratus erant tales apud Lacedæmonios, quales apud Romanos Tribuni plebis.

Diexarchus iustus princeps.

Decarchus, qui decem præest militibus.

Terrarcha, qui quartam regni partem obtinet.

Dubenus apud antiquos capiebatur pro domino. Pacuui: Tum Dubenus seruos ligatos pessimè verberat.

Trierarchus præfectus triremis. Cic. Actione 3. in Verrem: Qua de re Charidemum Chium, testimonium priore actione dicere audistis, quum esset Trierarchus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SAGITTARII, ET IACVLATORES peritissimi.

INter sagittarios principem locum obtinet Apollo, quē ideò poetæ Sagittiferum, & Sagittipotentem dicunt, unde Claudianus: Mars clypeo melior, Phœbus præstātior arcu. Horat. li. 1. Car. Nec te metuende certa Phœbe sagitta. Valerius Flaccus: Arcupotens aduerte precor nunc deniq; Apollo.

Hippocoon, Mnesteus, Eurytion sagittarii fuerunt, qui teste Virgilio, contenderunt de palma, & vnà iaculati sunt in ludis illis exequialibus, quos Aeneas ad tumulum patris Anchisæ celebrauit, quum relicta Africa in Italiam nauigaturus rediit per Siciliam.

Idem Virg. lib. 9. ait Chorineum Italum, fuisse peritum iaculatorem, Asylam verò Troianum, arcu & sagittis nobilem.

Acastus venator fuit sagittis clarus, qui cum Meleagro ad occidendum aprum (qui Calydona vastabat) profectus est. Ouid. lib. 8. Metam. Leucippusq; ferox, iaculoq; insignis Acastus.

Fuit Paris adeò sagittandi peritus, vt Achillem solo pede vulnerabilem telo traiecerit. Virg. lib. 6. Aeneid. Dardanq; qui Paridis direxti tela. Ouidius in Epistol. Paridem sic loquentem inducit, Ne ve putes, non me nisi cōminus esse timendū, Figitur in iusso nostra sagitta loco. Stat. lib. 3. Sil.

De Lycota Ouid. li. 12. Iaculatoremq; Lycotam Sternit, Mopsium Cretensem ab arte sagittandi commendat Sylius Italicus lib. 1.

Ilerdes fuit iaculator quispiam, qui tam certis iaculabatur ictibus, vt etiam volucres in medio aere percuteret. Sylius: Iam socius volucresq; vagas deprendere nube Assuetus iaculis idem & bellator Ilerdes, Cui ludus nullam cursu non tollere damam.

Alcō Cretensis fuit sagittarius, cuius filium quum rapuisset Draco, tanta arte sagittam direxit, vt illæso filio, Draconem ipsum confecerit. Val. Flac. lib. 1. Argon. vacuam lapsus ab arbore, paruum Ter quater ardenti tergo circunuenit anguis. Stat procul intendens dubium pater anxius arcum. Sidonius: Vetuisses Castora frænos, Pollucem cæstus, Alconem spicula nosse. Ang. Politianus in Epigram. Vidit vt implicitum puero pater anxius anguem, &c.

Saxo Grammaticus scribit Enarum fuisse sagittarium magno corporis artisq; robore præditum, qui tanto rigore arcum intendebat, vt excussum ab eo iaculum nulla rerum duritia sisteret, quominus citato motu, vniuersum penetraret obstaculum.

Deucalion Hyperæsij filius ex Hypso nympha, fuit etiam peritus sagittarius. Valer. Flaccus lib. 1. Argon. Deucalion certus iaculis.

Aethalides præco fuit insignis, qui propter eloquentiam Mercurij filius creditus est. Hunc etiam telis claruisse testis est Valerius Flaccus lib. 1.

Catenes miles fuit, qui ictibus adeò certis destinata feriebat, vt aues quoque ab ipsis nubibus exciperet. auctor Q. Curt. lib. 6. de gestis Alexandri.

Fuit Domicianus Imp. doctus adeò sagittarum, vt inter dilectos viri procul posiri digitos tela transmitteret. auctor Sex. Aurel. Tranquillus ait centenas varij generis feras, in Albano secessu, sagittis plerumq; confossas multis videntibus. Ex industria ita quarundam capita nonnunquam figebat, vt duobus ictibus, quasi cornua effingeret. nonnunquā in pueri procul stantis præbentisq; pro scopo dispansam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorum innocuè euaderent.

Toco miles fuit quispiam auctore Saxone doctus adeò sagittator, vt sermone inter conuiuas temulentius habito, iactauerit tanto iaculandi vsu se præditum, vt exiguum quod libet pomum, baculo procul & longissimè remoto superpositum prima spiculi directione feriret.

Pontanus Asparem quendam Garamanta à præstantia torquendorum missilium his verbis commendat: Hinc Aspar Garamas, quo non præstantior alter Aut torquere manu iaculum, aut dare vulnera funda.

Docuit Hercules, quanta sagittandi arte clareret, dum Centaurum Nessum, quamuis remotum, & ceruam æripidem certo traiecit ictu, Harpyasq; volucres in medio confecit

aere, dicente Seneca: Petiit ab ipsis nubibus Stymphalidas.

Eurytus rex Oechaliæ pater Ioles Herculem sagittādi artem docuit.

Commodus Imperator Faustinæ & Marci principis filius centum ictibus in arena totidem feras strauit, tam validis viribus, vt multas vno conficeret ictu. Adeò certa fuit illi manus, vt quidquid oculo destinasset, iaculo & sagitta contingeret. Herodianus lib. 1. & Sabellicus in Exemplis.

Nihil erat tam paruum tamq; exiguum, quod plumbeis æneis tormenti pila non concuteret Andreas Agidarius, si illud oculo consequi posset.

Getæ, Scythæ, Ithuræi, Persæ seu Parthi, Sarmatæ, Cretenses, Arimaspi & omnes prope Orientales arcu & iaculis claruerunt.

De Getis, Scythiæ populis, Ouid. lib. 5. de Trist. Sarmaticæ maior, Geticæq; frequentia gentis, Per medias ito equis itq; reditq; vias. In quibus est nemo, qui non Coryton & arcum, Telaq; viperea lurida felle gerat. Et lib. 1. & 3. de Ponto. & in Ibin.

De Scythis Septentrionalibus populis Claudianus: De spoliis Scythicos arcus, aut rapta Gelonis Cingula. Plinius lib. 4. Vt sit planè arcus Scythici forma.

Ithyra, seu Ithura, vrbs est in Tauro monte Parthiam versus, cuius habitatores Ithuræi arcu & sagittis claruerunt, quod quemadmodum in ceteris arguitur poetarum epithetis, quum arcum vocant Ithuræum, sagittas Parthicas, neruos Geticos, pharetras Sarmaticas, & ita in ceteris. Sabellicus in Oraculo: -quæ turba pharetris Certat Ithuræas sumptis imitarier artes.

Parthi, seu Persæ Orientales populi, sagittis adeò claruerunt, vt fugientes à tergo iacularentur, auersiq; sequentes hostes læderent, perinde ac aduersi, vt iam diximus. Lucanus: Ocyor & missa Parthi post terga sagitta. Caecilius: Sine in Hilcanos, Arabasq; molles, Seu Sacas, sagittiferosq; Parthos. Ouidius lib. 1. de Remedio: Vince Cupidineas pariter, Parthasq; sagittas. Io. Fran. Mirandula: In molli pharetratæ Persidos vrbe.

A Sarmatis Scythiæ populis doctissimis iaculorum, arcus vocatur Sarmaticus. Ouid. lib. 1. de Ponto: Moris an oblitus patrij contendere discam Sarmaticos arcus.

Cretenses omnes hac etiam arte clarissimi extiterũt. Virgil. in Cyri: Attica Cretæa sternebat rura sagitta.

Inter insulæ Cretæ populos, præcipui sagittarij fuerunt Dictæi, Gnosiaci, Gortyniaci, Cydonij, à Dicte, Gnoso, Gortyna, & Cydone vrbibus dicti. De Dictæis Sylius lib. 13. -Dictæa per auras Tranat, & in medium perlabitur vrbis arũdo: Statius lib. 4. Theba. -Dictæaq; tela Ipsam & Amyclæas humeris aptasse pharetras.

De Gnoso & Gortyna vrbibus Cretæ Lucanus: Gnososq; agitare pharetras Docta, nec Eois peior Gortyna sagittis.

A Cydone, Cretæ oppido, tela Cydonia dicuntur, quòd eius loci incolæ periti fuerint sagittarij. Virgilius: Ire libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula, tanquam hæc sit nostri medicina doloris. Statius lib. 7. Thebaid. -Cydonias anteibant Gesa sagittas. Claudia. Quæ vires iaculis, vel quum Gortynia tendis Spicula, quàm felix arcu, certiq; petitor Vulneris, & certum mentiri nescius ictum, Scis quo more Cydõ, qua dirigat arte sagittas Armenius, refugo quæ sit fiducia Partho.

De orientalibus populis Val. Flac. lib. 5. Quos neq; Iber neq; tuta suis Aurora sagittis Sustinet. Per auroram intelligit Orientales. Sylius lib. 12. Eois quamquam certet Gortyna sagittis. Statius lib. 3. Sil. Et Eoas iaculo damnare sagittas.

Lycia regio minoris Asiæ, populos habuit peritos iaculandi. Vnde Virgilius Lycias vocat sagittas, lib. 8.

Erithræ quoq; siue Erithra, Asiæ ciuitas, arte sagittandi claruit. Sidonius: Fortè sagittiferas Eua populatis Erithras. Crinitus ait Scotos (qui vicini sunt Britannis) in dirigendis sagittis acres esse & egregios.

Paulus Diaconus ait Gotthorum gentem nullo armorum genere magis, quàm arcubus vti consuesse.

Arimaspi populi iuxta Riphæos in torquendis sagittis (quarum sunt peritissimi) alterum inflectunt oculum, vt altero melius cernant. Hinc & nomen traxerunt. nam & Arii Scythicè vnum, & Maspos, oculum significat.

In Balearibus (quæ sunt insulæ maris Hispani) primum repertus est vsus fundæ, & adeò celebratus, vt matres filios suos aliis auibus vesci non paterentur, nisi quas funda fuissent adepti. Virg. lib. 1. Geor. Stuppea torquentur Balearis verbera fundæ. Stat. lib. 1. Roboraq; & grauidas fundæ Balearis habenas.

VENATORES.

HElymus & Panopes Acestæ regis Siciliæ comites, venatores fuerunt, teste Virg. lib. 5. Æneï. Tum duo Trinacrij iuuenes, Helymus, Panopesq; Assueti siluis, comites senioris Acestæ.

Fuit & Lausus Mezentij filius, ferarum debellator maximus. Virg. lib. 7. Æneid. Lausus equum domitor, debellatorq; ferarum.

Idem vocat Amycum ferarum vastatorem lib. 9. vbi ait: -inde ferarum Vastatorem Amycum, quo non felicior alter Vngere tela manu ferrumq; armare veneno.

Idem lib. 11. Ornitum quendam inter venatores reponit, his verbis: -procul Ornitus armis Ignotis, & equo venator Iapige fertur.

Cephalus Athenienſis Procridis maritus, venator fuit, quem poetæ fabulantur ab Aurora adamatum. Ouid. in epi. Phædræ: Clarus erat Cephalus siluis, multæq; per herbam Conciderant illo percutiente feræ: Nec tamen Auroræ malè se præbebat amandum, Ibat ad hunc sapiens à sene diua viro. & lib. 1. Met. inducit Cephalum sic loquentem: Sum nemorum studioſus, ait, cædisq; ferinæ.

Eius quoq; vxor Procris venationi vacasse arguitur, testimonio eiusdem poetæ scribentis: Montibus errabat studiis operata Dianæ. De Cephalo Stroza pater: Venanti Cephalo curaminor ne fuit?

Atalanta mulier fuit Arcadica, quæ tumentes veteros feminarum, laboresque conceptuum perosa, virginitati, ac venationi se totam deuouit: adeò vt immanem aprum totiformidolosum Arcadiæ prima percusserit cum Meleagro. Ouid. libro 8. Venit Atalante Schœnei pulcherrima virgo, &c.

Abas Centaurus inter venatores reponitur verbis Ouid. lib. 12. scribentis: Et Pholus, & Melaneus, & Abas præcator aprorum.

Callisto, Lycaonis regis Arcadiæ filia, venatrix fuisse dicitur: quod docet Ouid. lib. 2. Fast.

Dianam poetæ fingunt perpetuo venandi studio duci: quod ideò fabulantur, vt doceant magnopere his cauendam esse desidiam, quibus curę est virginitas: Nam (vt inquit Seneca) amor iuuentæ gignitur luxu, Otio nutritur inter læta fortunæ bona. Et Ouid. Otia si tollas, periere Cupidinis artes. De Diana idem Ouid. lib. 2. Fast. Mille feras siluis Phœbe venata redibat.

Ferunt & Hippolytum Thesei filium sese in consectandis feris exercuisse, studio virginitatis, & otij vitandi causa. Phædra apud Ouid. Si Venerem tollas, rustica silua tua est. Et apud Senecam in tragœdiis.

Ouid. lib. 5. Fastorum ait, Cranen fuisse nympham lustrandis siluis deditam, hæc eius verba: Inde fata est nymphe, Cranen dixere priores, Nequicquam multis sæpe petita procis: Rura sequi, iaculisq; feras agitare solebat, Nodosaq; cana tendere valle plagas.

Adonis, Cynaræ ex Myrrha filius, dum venaretur, ab apro interfectus est. Ouid. lib. 1. de Arte: Cura deæ siluis aptus Adonis erat.

Carpophorus fuit Romanus quispiam, imperatori Domiciano carissimus propter venandi peritiam. nam imperator ipse eo studio delectabatur adeo, vt si quando esset otium, nihil curaret ardentius, quàm feras insequi. de Carpophoro Martialis li. 1. Summa tuæ Meleagre fuit quæ gloria famæ, Est quota Carpophori portio fusus aper?

Idem lib. 12. ad Priscum venatorem hoc modo scribit: Parcius vtaris moneo rapiente veredo Prisce, nec in lepores tam violentus eas. Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri Decidit excussus, nec rediturus equo.

Aconteum venatorem fuisse docet Statius lib. 7. Theb. -donec Flammatus Aconteus Strage virum, cui sueta feras prosternere uirtus. Sylius lib. 16.

De Mopso Cretensi venatore iam diximus in cap. de Sagittariis.

Orion venator (ut fabulantur poetæ) quum viribus fidens gloriaretur, nullam esse feram, quam non conficeret, diis insolens verbum vlciscentibus contigit, vt terra scorpionem pareret, à quo vulneratus occubuit. Pamphilus: Errauit, quoniam cecidit venator Orion. Idem: Valle secabatur iaculis venator Orion, Sæpe vagas ista retibus atque feras.

Nota est Acteonis fabula, qui Aristæi filius, indignatione Dianæ (quam inter venandum nudam repererat) mutatus in ceruum, & à suis canibus dilaniatus dicitur, vt scribit Ouid. lib. 3. Met.

Arethusa virgo fuit venatrix Dianæ comes. unde Virg. lib. 4. Geo. Et tandem positis velox Arethusa sagittis.

Annimone, Danai filia. & venatrix fuit, quæ dum in siluis iaculo se exerceret, Satyrum læsit, & postmodum à Neptuno ibidem compressa est.

Britona nympha, Martis filia, inter venatrices puellas, & Dianæ comites numeratur.

Crocum poetæ dicunt venatorem fuisse, Musarum precibus in astra relatum.

Hippe mulier Chironis Centauri filia, in Pelio Thessaliæ monte sese exercuit venando, ubi deorum commiseratione in equam mutata est, dum patris indignationem expauescceret. Alio nomine Thea dicitur.

Philoctetes quum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum, configebat tardus celeres, stans volantes, pennarumq; contextu corporis tegumenta faciebat. Cic. lib. 5. de Finibus.

Nicias fuit venator quispiam, qui dum venandi studio feras immissis canibus præceps insectaretur, in fornacem carbonariam decidit, vbi canibus circum gannientibus, & rapta veste conantibus dominum educere, crematus est. auctore Cælio.

Perdix venator fuit, qui infanda correptus libidine matri congressus, fecit, vt Perdicis libido in proverbium abiret. Cælius cap. 15. lib. 16.

Ferunt Melanionem quendam odio mulierum, & seruandæ castitatis desiderio consectandis feris se totum devouisse: nec vnquàm à solitaria illa, & umbratili vita reuocari potuisse.

Endymionа pastorem poetę dicunt quandoque in monte Lathmo vacasse consectandis feris. Val. Flac. libro 8. Argon. Lathmius æstiua resistet venator in vmbra, Dignus amore deæ.

Horatius lib. 1 epist. ait, Gargilium venatorem fuisse, qui spectante populo ceruos cum plagis & venabulis per medium forum iubebat transire, ac demum emptum aprum palam referre, vt cepisse aliquid videretur. Hæc eius verba: Venemur, vt olim Gargilius, qui mane plagas, venabula, seruos Differtum transire forum, populumque iubebat, Vnus vt è multis populo spectante referret Emptum Mulus aprum.

Ferunt Mithridatem venandi studio adeò intentum fuisse, vt septem annis neque vrbis, neq; ruris tecto vteretur.

Ceterùm Casses, Plagæ, Retia, Venabula, instrumenta sunt venatoria. Est & Podostrabe, venatorium instrumentum capiendis feris concinnum.

CANVM QVORVNDAM NOMINA.

Lyciſca nomen est canis apud Virg. in Buccol. dicentem: Excipere insidiis multum latrante Lyciſca. Paladius Soranus: Non lepus intrepidum timido fugat ore Lyciſcam.

Hylæ, itidem nomen est canis. Virg. in Buccol. Nescio quid certè est, & Hylax in lumine latrat.

Vmber. Virgil. lib. 12. ac viuidus Vmber Hæret hians. sed forsasse Vmber, vocabulum est appellatiuum, pro canę Vmbriæ. Val. Flac. lib. 6. Argon.

Lælaps canis est apud Ouid. lib. 7. Met. Poscor & ipse meum consensu Lælapa magno (Muneris hoc numen) iamdudum vincula pugnat Exuere ipse sibi.

Volantes. Stroza pater: Ille pedum cursu præstans animoque Volantes Occubuit trucibus pestis acerba feris.

Gargitius canis fuit, Cerberi Epirotici frater, qui Geryonis tricorporis seruabat armenta. Hunc Hercules vnà cum domino interfecit. Incolæ mortuo sepulcrum ere-

xerunt.

Alcibiades inusitata magnitudine canem emit L X X. minis, quem amputata cauda spectante populo ducebat vinctum, vt garrulorum & importunæ loquacitatis hominum linguas ea in re occuparet, ne quid deterius in eius nomen obloquerentur. Plut. testis.

Biorno quidam inter Danos spectatæ virtutis adolescens, canem habuit horrendæ acerbitatis, & formidolosæ, quæ sola plerunq; bissenos uiros oppressit, & Offoti gigantis interpascua tutata est armentum.

Pilaster. Pontanus in Lepidina: Quum canere inciperẽ, atrox hic dente Pilaster Latrat, ibi ipsa fuga sepem, insidiasque reliqui.

Vertagus canis est apud Martialem: Non sibi sed domino venatur Vertagus acer, Illæsum leporẽ qui tibi dente feret.

Scymnus etiam nomen est canis, fictũ à Baptista Pio scribente: Vertagus, aut Gallo nutritus Scymnus in aruo Præcipiti sequitur lustra ferina pede.

Graucis, nomen est catellæ, qua Arethusa absentis mariti desiderium solabatur. Proper. lib. 4. Graudicos & catulæ vox est mihi grata quærentis, &c.

Issa nomen est catellæ, quam Publius habuit in deliciis. Martialis: Issa est passere nequior Catulli: Issa est purior osculo columbæ: Issa est blandior omnibus puellis: Issa est charior Indicis lapillis: Issa est deliciæ catella Publi.

Apud historicos legitur Perses, fuisse catellus filiæ Æmilij Paulli.

Chiron, canis fuit Codri poetæ pauperrimi. Iuuenalis: Et recubans sub eodem marmore Chiron.

Mera, canis fuit Icarii patris Erigones, cuius ductu Erigone ipsa cadauer patris ab agrestibus interfecti reperit.

Durides, canis fuit Lysimachi, qui accenso domini rogo iniecit se flammæ. Plin. lib. 8.

Atalanta, Arcadica venatrix, canem habuit Auram nomine, quam quum interfecisset aper Calydonius, sepulcro ab indigenis ornata est.

Ouid. lib. 3. Met. Actæonis canes enumerat, his verbis: Dum dubitat, videre canes, primusque Melampus, inde

de ruunt alii rapida velocius aura, Pamphagus, & Dorceus, &c.

Alia quorundam nomina ponuntur apud Cæliũ ex Æchylo: ut Corax, Harpyia, Charon, Lycitas.

Hylax, Harpagalus, Lycisca, Tygrina, Melampus, Falco, Serpens, Ragonia, Ichthia, Helor, nomina sunt canum apud Mantuanum lib. 4.

Fuit Hippocentaurus canis Xenophontis.

Lethargus Hippammonis, qui etiam cum mortuo domino tumulatus est.

Lampurus, apud Theocritum in Daphnide & Menalca, nomen est canis: Apud Herod. Syagrus: apud Aristophanem Acalanthis.

Celebrantur etiam Catenarius, & Lucernarius, & canis Attali, qui tanto fuit oris rictu, vt oblatum cibum deglutiret.

Fuit & Aristogiton canis Cydimachi.

Agrus canis fuit Vlyssis, qui reuersum ab expeditione Troiana dominum post annos viginti fertur agnouisse.

Canis Pyrrhi Epirotarum regis, in rogum domini se coniecit.

De natura canum quoniam prolixè & abundè locuti sumus in Epithetis nostris, plura loqui nunc supersedimus.

Cetera nomina canum in præcedenti posita catalogo, legantur apud Xenophontem, in libro de venatione.

EQVORVM, ET EQVARVM celebrium nomina.

CYllarus equus fuit Castoris. Virgil. lib. 3. Georgic.

Talis Amiclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus, & quorum Graii meminere poetæ. Vbi Pollucem pro Castore equorum domitore posuit, poetica licentia: vt

Quas illa Philomela dapes, pro Progne. Item, Reuocato à sanguine Teucri, pro Dardani, inquit Seruius.

Mezentius pater Lausi equum suum, Rhebum nomine, his verbis alloquitur apud Virgil. lib. 10. Rhebe diu (res si qua diu mortalibus vlla est) Viximus, aut hodie victor spolia illa cruenta, Et caput Æneæ referes.

Aethon fuit equus Pallantis Euandri filii, quem Virgilius lib. 11. ait in exequiis domini sui collacrymasse.

Postbellator equus positis insignibus Aethon
It lacrymans, guttisq; humectat grandibus ora.

Equos Turni Virg. lib. 12. magnis laudibus commendat.

Pægasus, Neptuni & Medusæ filius, equus fuit alatus, quo Bellerophon expeditionem sumpsit contro Chimæram. Hic saxo in Helicone pedis vngula percusso fontem nomine Hippocrenē aperuisse dicitur. Ouidius. lib. 3. Fast. Suspice, Gorgonei colla videbis equi: Creditur hic cæsæ grauida cer uice Medusæ Sanguine respersis prosiluisse comis. Hinc subpra nubes, & subter sidera lapso Cælum pro terra, pro pede penna fuit. Idem lib. 4. Metam. & 4. de Ponto.

Arion fuit equus, quem Neptunus dedit Adrasto. Statius lib. 1. Sil. Hunc & Adrastæus visum extimuisset Arion. Per. lib 2. Qualis & Adrasti fuerit vocalis Arion, Tristis ad Archemori funera victor equus. Statius huius equi virtutē & alacritatem lib. 6. describit hoc modo: Ducitur ante omnes rutilæ manifestus Arion Igne iubę, &c.

Pholoe, Iris, Thoes, nomina sunt equarum Admeti apud Statium lib. 6. Theb. scribentem: Nominibusq; cient Pholoen, Admetus & Irim, Funalemq; Thoen.

Alia equorum nomina ab eodem ponuntur his verbis: -rapidum Danaeius augur Ascheton increpitat, meritumq; vocabula Cygnum Audit, & Herculeum Styrien Cromis, Euneon audit Igneus Aethion, tardumq; Cydona lacessit Hippodamus, Phariumq; Thoas rogat ire Podarcen.

De Tago Sylius lib. 1. Iam Tagus auratis agnoscebatur in armis.

De Gargano, Idem Sylius lib 4. Theb. Nos Gargane vocant superi ad maiora, vides ne Quantus erat Chrixus? Iam nunc tibi præmia pono.

Lampon, Panchates, Pelorus, Camphasus, nomina sunt equorum apud Sylium lib. 9. De Lampone scribit hoc modo: Euolat ante omnes, rapidoq; per aera cursu Callaicus Lampon fugit, atq; ingentia tranat Exultans spatia, & vectos post terga relinquit. De Panchate, -sed proximus ibat Astur Panchates, Patrium frons alba nitebat Insigne, &

patrio spes omnis concolor albo. De Peloro, Cyniphio rector radiabat fronte Peloro Camphasus, ipse asper, nec qui ceruicis amaret Applausæ blandos sonitus, clausumq; cruento Spumeus admorsu gauderet mandere ferrum. At docilis fræni, & melior parere Pelorus Nonunquam effusum sinuabat deuius axem.

Herpe, apud eundem nomen est equæ matris Pelori, vbi ait, Eductum genitrix effuderat Herpe Nobilis.

Idem de Cireo, -percussus uocibus altis Spectantum Cireus, fertur sublime per auras.

Lamus, Sicoris, Ilerdas, Theron, etiam nomina sunt equorum apud eundem lib. 36. vbi ait, Tum Lamus & Sicoris, proles bellacis Ilerdæ Et Theron potator aquæ sub nomine Lethes.

Equum Alexandri Bucephalum à capite bouis nominatū, & talentis XIII. emptum, testis est Cares apud Gellium: Vbi ornatus erat, armatusq; ad prœlium, nullum alium sessorem, præter dominum, admisit. Idem in bello Indico sagittis vndiq; perfossus, regem è mediis hostibus, licet exanguis, & moribundus, viuacissimo cursu retulit, atque vbi extra teli iactum portauit, domini iam superstitis securus, ibidem exspirauit. Quod beneficium Alexander pensauit oppido in honorem equi condito, vt docet Plin. lib. 6. & 8. ubi ait, Propter quæ, Rex defuncto eidem duxit exequias, urbemque tumulo circundedit nomine eius. Curtius ad hūc modum scribit: Excepti sunt quidam, inter quos equus regis, Bucephalum uocabant, quem Alexander non eodem (quo ceteras pecudes) animo æstimabat: Nam ille nec in dorso insidere suo patiebatur alium, & regem (quum uellet ascendere) sponte sua genua submittens, excipiebat, credebaturque sentire, quem ueheret.

De Harpyia & Pesago Politianus in Ambra. Quos Zephyro peperit geminos Harpyia Podarge, &c.

Claudianus in sextum Honorii consulatum, equos Rhæsi Thracum regis commendat sequentibus uersibus.

Graiaque rettulerat raptos ad castra gales,
Quorum (si qua fides augentibus omnia musis)
Impetus excessit Zephyros, candorque pruinas.

Aethon apud Homerum lib. 8. Iliados, nomen est unius equorum Hectoris.

Harpynna & Pylla equæ fuerunt Oenomai, quibus contendebat cursu in procos filiæ suæ Hippodamiæ. hos suis uersibus dignatus est Lycophron.

Plinius ait equam Hecratidis Thessali, quamuis prægnantem uicisse in Olympia.

Plutarchus in Artaxerxe scribit equum Cyro fuisse immitem, & effrænem, Pasacem nomine.

Cimon Athenienſis equabus suis (quibus ter Olympia uicerat) monumenta erexit.

Equus Tiberij Cæsaris uidebatur flammas ore euomere, indicio magnæ alacritatis. Cælius cap. 26. lib. 8.

Parthenia, & Eripha, equæ fuerunt Marmacis, unius ex procis Hippodamiæ, quas Oenomaus puellæ pater iugulauit, & postmodum sepeliri iussit.

Boristhenes equus fuit Hadriani Imperat. quo in uenando propter alacritatem plerunq; vtebantur. Dion Cassius ait, Imperatorem mortuo sepulcrum fecisse, columnamq; erexisse cum epigrammate inciso.

Iulius Cæsar, auctore Tranquillo, utebatur equo insigni, pedibus propè humanis, & in modum digitorum unguli scissis: quem maxima cura aluit, honorauitque statua, quod aruspices eo imperiū orbis terræ significari dixissent, tum etiam, quòd nullum alium sessorem reciperet.

Biorno quidam inter Danos clarissimus, equum habuit præstanti corpore, & tanta uelocitate præpetem, ut quem ceteri nequirent, indefessus obstrepentem uorticem solus superaret.

Artibius, Persarum dux, equum habuit, qui primo pugnæ congressu in hostes laniandos morsu assurgebat, calcibusq; & impulsu longè lateq; faciebat stragem. auctor Herodotus.

Gellius scribit, equum Cn. Seij de genere equorum Diomedis primogenitum, & à Corn. Dolabella centum millibus sestertiis emptum, fuisse inusitata magnitudine; sed eo tamen fato, ut quisquis eum haberet, is cum omni domo ac familia miserè periret. quod experti sunt Marc. Antonius, Corn. Dolabella, C. Cassius eius possessores.

Equus Nicomedis regis Bithyniæ, tanto fuit in dominum affectu, ut eo mortuo oblatum recusauerit cibum, & inediâ se confecerit.

Equus Antiochi, capto uel mortuo domino, Centaretum quendam è Galathis, alumni sui victorem, domitis frænis excussit, & in terram deiectum pedibus ad mortem proculcauit. Plinius lib. 8. cap. 42.

Equus à Dionysio Syracusarum tyranno relictus in salebra & luto, ubi se expediuit, domini, licet ingrati, uestigia tamen secutus est.

Nero equas habuit Hermaphroditas ex agro Treuerico, quas carpento suo subiuges ostendebat.

Equus Augusti sepulcrum à domino meruit.

Scythius primus fuit omnium equorum à Neptuno productus.

Hirpinus nomen est equi apud Martialem lib. 3. Epigram. ut Corithæ nomen equæ apud Iuuena. Satyr. 8. de Hirpino Mart. Hirpini ueteres qui bene nouit auos. De utroq; Iuuenalis: Sed uenale pecus Corithæ posteritas, & Hirpini, si rara iugo uictoria sedit.

Celebratur Maronis carmine equus Troianus, quē Græci diuina Palladis arte edificarunt, acernisq; trabibus contexuerunt, Epeo machinæ auctore. de hoc Propertius li. 3. & Lucretius lib. 1. Durateum, id est ligneum vocat, vbi ait: Nec clam Durateus Troianis Pergama partu Inflammasset equus nocturno Grauigenarum.

Equi Parthorum hippice herba pasti, famem sitimq; multos dies perferunt: ad quod alluſit Proper. lib. 4.

EQVI ACHILLIS.

De Balio & Xantho Politianus in Ambra. -balium Xāthumq; iugales Quos Zephyro peperit geminos Harpyia Podarge: Et te captiuo funalē Pedasē collo Igneus extimulat. Claudianus: Et flauum Xanthum sprefisset Achilles. Virgilius lib. 3. Georgic. Martis equi biiuges, & magni currus Achillis.

EQVI MARTIS.

HI duo numerantur à Seruio inter equos Achillis: poetæ tamen Pauorem & Terrorem Martis equos faciunt. vnde Statius: Fræna ministrat equus Pauor armiger.

EQVI SOLIS.

DE his nominibus Ouid. libro 2. Met. scribit: Interea volucres Pyrois, Eous, & Aethō solis equi, quartusq; Phlegon hinnitibus auras Flammiferis implēt, pedibusq; repagula pulsant. Pyrois, Pyroentis flectitur, vt Simois. Val. Flac. lib. 5. Argon Et formidantem patrios Pyroenta dolores. Sunt qui dicant Xanthum inter equos Solis numerari, propter dictum Martialis: Quid cupidum Titana tenes? iam Xanthus & Aethon Fræna volunt. Thomas Radinus: Equi quattuor: qui aurei licēt forent, colore tamen quisq; proprio noscebatur: Pyrois rubens, Eous candicans, Aethon coruscans, Phlegon nigricās, hinnitibus flāmiferis, claris naribus auras implebant, erraticis cursibus vagabantur incerti. Sabellicus: Hic equidem ambiguè vergit, quà lucidus Aethon.

EQVI PLVTONIS.

DE quattuor primis nominibus, Claudianus lib. 1. de Raptu sic meminit.

Orneus crudele micans, Ethonisq; sagitta
Ocyor, & Stygij sublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditisq; nota signatus Alastor.
Stabant ante fores iuncti, sæuumq; fremebant,
Crastina venturæ spectantes gaudia prædæ.

AVRIGÆ, ET EQVORVM domitores.

AVtomedon fuit Achillis auriga. Vir. lib. 12. Aen.
Vnà ingens Periphas, & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon. Ouid. lib. 5. de Trist. Num quid Achillæos inter fera prælia fidi Deseruit leuitas Automedontis equos? Idem lib. 1. & 2. de Arte.

Phaeton, Solis filius, dum currum patris, regendum susce-

pisset: equis ignotum aurigam excutientibus, cecidit in Padum, cælo passim conflagrante. hinc equi Phaetontis, pro equis Solis solent accipi. Virgilius lib. 5. Aen. Aurorā Phaetontis equi iam luce vehebant. Ouidius lib. 11. Met. Hic situs est Phaeton currus auriga paterni.

Idæus fuit auriga Priami. Virgilius lib. 7. Aeneidos: Idæumq; etiam currus, etiam arma tenentem.

Metiscus Turni. Idem lib. 12. Aurigam Turni media inter lora Metiscum Excutit. Ausonius: Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.

Naubolus Laij regis Thebarum. Statius: Naubolus Hippafides tuus ò mitissime Lai Hospes adhuc currus securaq; lora tenebat.

Cirnus Melampodis, Durius Pelori, Athlas Camphasi, Iberus Panchatis equorum fuerunt aurigæ. de Cirno Sylius lib. 16. Quò Cirneruis (nam Cirnus agebat) Verbera dimitte, & reuoca moderatus habenas. Iberus ad Panchatem apud eundem sic loquitur: Tene Astur certante feret quisquam æquore palmam Erepto: consurge, vola, perlabere campum. Durius ad Pelorum: Quò ruis, aut quisnam hic rabidi certaminis est mos?

Ferunt etiam Iolaum Herculis fuisse aurigam.

Arceptolemus, Enipeus, Cabrion Hectoris aurigę fuisse memorantur. Mortuo Arceptolemo, successit Cabrion eius frater.

Myrtilus auriga fuit Oenomai, cuius ruina mari Myrtoo nomen imposuit. Ouidius in Ibin: Proditor vt sæui periit auriga tyranni, Qui noua Myrtoæ nomina fecit aquæ.

Tortellius ait, Memnonem fuisse aurigā Idomenei, Mnesteum Diomedis, Midonem Pylemenis, ducis Paphlagonū.

Amphitus & Telchius Castoris, & Pollucis aurigæ fuerunt, testimonio Plinij lib. 6. scribentis: Sunt qui conditā eam ab Amphito & Telchio, Castoris & pollucis aurigis, putant. Ammianus: Vbi (inquit) inter ciuitates alias Phasis est nomine fluuij dictitata, & Dioscorias nunc vsque nota: cuius auctores Amphitus & Telchius Spartani traduntur, aurigæ Castoris & Pollucis. Alii dicunt castoris & Pollucis aurigas fuisse nominatos Rhecam, & Amphistratum.

Legitur in Trœzeniorum historia Sperum fuisse Pelopis Aurigam, quanquàm alij in Olympia fuisse Cyllam tradant.

In Illyria ciuitas fuit Harpyia, prope Enchelias, in quam Amphiarai auriga Baton absorpto domino se contulit. Cælius.

Cebares fuit equiso, cuius astu Darius regnum Persarum adeptus est. nam quum magi inter se pacto conuenissent, vt is, cuius equus primus hinniret, regno potiretur, Cebares manum vuluæ equinæ prius admotam naribus equi præbuit olfaciendam. quo odore irritatus equus primus dedit hinnitum. Herodotus.

Patiramphis fuit Xerxis auriga. Idem Herodotus: Postquem (inquit) ipse Xerxes vehebatur curru equorum Niseorum præcedente auriga, cui nomen erat Patyramphi, Othonis filio.

Poetæ Bellonam Martis aurigam faciunt, flagello armatã sanguineo, vt docet Statius.

Picus fuit equorum domitor, dicente Virg. lib. 7. -læuaq; Ancyle gerebat Picus equum domitor.

Idem de Mesapo lib. 7. Aeneid. At Mesapus equum domitor Neptunia proles.

Anniceris Cyræneus nobilis fuit equorum agitator, qui artem Platoni ostentaturus, ante Academiam currus iunxit, sæpeq; eũdem cursum iisdẽ vestigiis nihil delirãdo repetiit.

Erichthonius Athenienſis quadrigas primus iunxit. Pontanus libro tertio de Stellis: Qualis Erichthonius currus & quattuor ausus Iũgere equos, rapidisq; rotis insistere victor.

Astur Memnonis fuit auriga, à cuius nomine Astures populi Gallecis proximi dicti sunt.

Constat Felicem Rusſatum fuisse aurigam verbis Plinij libro septimo scribentis: Inuenitur in actis Felicis Russati aurigæ, iam igne illato in rogum eius, vnum è fauentibus iecisse sese.

Inter eos (qui equitatu claruerunt) Castor principem locum obtinuit. Politianus: Vixq; bonum frænis Castora frater amet.

CVrrus Bacchi, Lyncibus, & Tygribus. Propertius de Ariadna rapta à Baccho: Lyncibus in cælum vecta Ariadna tuis. Ouid. in Epist. Phædræ: Inque capistratis tygribus alta sedet. Idem li. 3. Meta. Quem circum tygris simulacraq; inania lyncum. Idem lib. 4. Met. & l. 1. de Arte. Virg. lib. 3. Geor. Quid lynces Bacchi variæ?

Currus Leucothoes deæ marinæ, Delphinis. Virg. in Cyri: Illa etiam magnum iunctis quæ piscibus æquor, Et glauco bipedum curru metitur equorum Leucothoe.

Currus Cybeles, leonibus. Virg. lib. 3. Et iuncti currũ dominæ subiere leones. Ouid. lib. 10. Dente premunt domito Cybeleia fræna leones. Catull. Vbi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus.

Currus Veneris, cygnis. Ouid. lib. 10. Metam. Iunctisq; per aera cygnis Carpit iter. Sil. lib. 7. Tum matris currus niueos agitabat olores. Statius lib. 1. Sil. Thalamiq; ingressa superbum Limen Amyclæos ad fræna citauit olores. Statius lib. 3. Dum petit & molles agitat Venus aurea cygnos. Hor. lib. 4. Car. ad Venerem: Tempestiuius in domo Pauli purpureis ales oloribus Commessabere maximi.

Currus Thetidis, Delphinis: quemadmodum & Leucothoes. Tibul. Vecta est frænato cærula pisce Thetis.

Currus Neptuni, equis. Virg. lib. 5. Iungit equos curru genitor, spumantiaq; addit Fræna feris, manibusque omnes effundit habenas. Silius lib. 3. Extremãq; petit Phœbea cubilia Thetyn Frænatis Neptunus equis.

Currus Dianæ, Ceruis. Claud. Dixit & extemplo frondosa fertur ab Alpe Trans pelagus, Cerui currum subiere iugales.

Currum Iunonis trahunt pauones. Currũ Lunæ, boues. Currum Nemesis, gryphes. Currum Solis, equi. Currum Saturni, sepentes. Currum Martis, equi. Currum Prothei, phocæ. Currum Oceani, balænæ. Currum Tritonis, pisces. de his omnibus Politianus in Ambra.

Bistoniis Mars instat equis. Tu iungis olores,
Phœbe Terapnæos. Getica Mars fulgurat hasta.

Contendis tu Phœbe fides, arcusq; retendis.
Lyncas agit Bromius, Pauos Saturnia pictos,
Tardos Luna boues, annosas Delia ceruas,
Gryphes Hyperboreos Nemesis, Cytherea columbas.
Fert pedibus pinnas puer Arcas, crine galerum.

Item Ioan. Franciscus Mirandula:

—Paphios non iungit olores
Cypria, terribilem non concinit ægida Pallas,
Non volucres sequitur ceruos pharetrata Diana,
Nectere odorisequos loris assueta Lacenas.
Non iunctis fertur Iuno super æthera Pauis,
Dum Samon, aut tecta inuisit Carthaginis altæ,
Cynthia nec bobus carum Endymiona fatigat.

NAVIGIORVM DIVERSA GENERA.

MYoparo genus erat nauigij, quo vtebantur pyratæ, auctore Nonio. Cicero lib. 3. de Rep. Nam quum quæreretur ex eo, quo scelere impulsus mare haberet infestum vno Myoparone, Eodem (inquit) quo ru orbem terræ. Sallust. lib. 4. Mariq; placido à duobus pregdonum Myoparonibus circumuenta.

Erant & Parones, genera quædam nauium. Varro: Iamque duos Parones habebant instructos. Budæus ait Paronē hodie vocari Brigantinum.

Acatium nauis erat actuaria. Iulius Pollux ait fuisse velum in naui maximum, sicut minimum Dolonem.

Anchiromachus nauigium est aptum ferendis anchoris, ceterisq; nauticis instrumentis.

Baris erat cymba, qua Ægyptij suorum cadauera ad tumulum comportabant. Propert. lib. 3. Romanamq; tubam crepitanti pellere sistro, Baridos & contis rostra Liburna sequi. Herod. lib. 2.

Catascopium dicitur nauis exploratoria, vt Catascopus circunspector, quod etymo dictionis cognoscitur. Cæsar in commentariis: Litteris celeriter in Siciliam conscriptis, per Catascopium missis.

Celox dicitur breue nauigium, à celeritate. Apuleius: Qui celocem regere nequit, onerariā petit. Plautus in Au-

lul. Quò hanc celocem conferam? Varro. Nautæ remiuagam mouent celocem.

Corbita nauis est tarda, & grandis. Plaut. in Pœn. Tardiores quàm Corbitæ sunt in tranquillo mari. Dicuntur autem Corbitæ, quòd in earum malo corbes pro signo suspenderentur.

Cydarum Calepinus ait esse nauiculæ genus: sed quale, vt in plerisque, tacet.

De Cymba Virg. lib. 6. Æn. -gemuit sub pondere Cymba Sutilis. Ouid. lib. 1. Met. Occupat hic collem, cymba sedet alter adunca.

Cyrcerus, nauis est prægrandis Asiana. Plautus apud Nonium: Quum percontor portitores, ecquæ nauis venerit ex Asia? negant venisse. Conspicatus sum interim Cyrcerum, quo me maiorem non vidisse censeo. Idem: Ædificat nauim Circerum, & merces emit.

Faselus, est nauigium Campanum, eodem Nonio teste. Sallust. lib. 3. hist. Et fortè in nauigando cohors vna, grandi faselo vecta, à ceteris deerrauit.

Gesēorta nauis est, quam nonnulli Prosumiam vocant.

Halius dicitur breuis scapha.

Horiam Nonius ait nauim esse piscatoriam. Plautus in Rudente: Mea opera laboratur & Rete & horia. Diminutiuum est Horiola. Idem: Malo hunc alligari ad horiam, vt semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.

Lembus dicitur nauicula breuis, & velocissima. Plautus Dum hæc aguntur, Lembo aduehitur tuus pater paucillo. Virg. Lembum si fortè remisit, Atq; illum in præceps prono rapit alueus amni. Plin. lib. 7. ait Cyrenenses fuisse repertores Lembi.

Linter dicitur nauicula cauatis arboribus facta. Hac vtebantur quondam Germani Danubium habitantes. Nonius ait Lintres naues esse fluminares. Ouid. ad Liuiam: Quem semel vmbrifera nauita Lintre tulit. Sidonius: In pugnam Pyrata coit, pars Lintre cauata.

Monoxylon dicitur nauis ex integro ligno, & non conciso in trabes. Monon enim vnum, & xylon lignum dicitur.

Pontones dicuntur, quibus pontium loco utimur in traii

ciendis fluuiis. Apuleius: Et si vado non poterunt, pontonibus transibunt.

Prosumia genus est nauigij speculatorii. Cæcilius apud Nonium: De nocte ad portum sum profectus prosuma. Idē: Qui pro gubernatore se gerens prope vertit prosumiam.

Scapha, nauicula est in ligno cauata. Hor. lib. 3. Carm. Tum me biremis præsidio scaphę Tutum. Vegetius: Scaphas quoque de singulis trabibus excauatas cum longissimis funibus, interdum etiam ferreis catenis legio portat. Nonius ait, Scaphas nauiculas esse, quę maiores naues consequuntur.

Schedia nauigium est rude & impolitum, & trabibus inter se connexis factum, cuiusmodi sunt rates.

Sorrillum, nauigium est Istricum, quod lino & sparto conseritur & condensatur.

Stlata, nauis est lata, quales fortè sunt, quibus equi, & currus trāsuehuntur. Antiqui stlatum, & stlites pro latum, & lites dicebant.

Trieris nauis est magna, quam remiges tribus vtrinque remorum ordinibus impellunt. Latinè Triremis dicitur, & trium ordinum nauis, quemadmodum Quadriremes & Quinqueremes apud antiquos legimus, & apud Græcos Eteres, Enneres, & Deceres, quæ naues septenum, nouenum, denumq; ordinum significant. Biremem primum fecere Damastenes, auctore Plinio: Triremem, Ammocles Corinthius: Quadriremem, Carthaginienses: Quinqueremē instituit Nesichthon Salaminius: Sex ordinum, Xenagoras Syracusanus: Decemremem, Nesigiton. Instituit Alexander Magnus ad duodecim ordines. Ptolemæus Sother ad xv. Demetrius Antigonis ad xxx. Ptolemæus Philadelphus ad x l. Ptolemæus Philopator ad l.

Plutarchus in vita Pericles ait, Damenam esse quandam nauim rotundam & concauam, & in ventris similitudinem formatam, ut mare percurrere, ac celeriter conuerti possit. atque hoc illi inditum nomen, quòd in Samo primùm reperta sit, & à Polycrate tyranno ibidem ædificata.

Hippago, seu Hippagium, nauis est lata & expansa, qua equi & currus transmittuntur.

Liburni dicebant bellicæ naues, & velocissimæ, à Liburnia Dalmatiæ parte, cuius exemplo fabricantur, vel quòd Liburni populi olim nauibus citissimis Ionium mare insularū, prædarentur. hinc naues leuitate præstantes Liburnicas dixerunt. Horatius in Epodo: Ibis Liburnis inter alta nauium Amice propugnacula. Dicimus & Liburnica. Suetonius in Augusto: Vtrobique parte Liburnicarum demersa. Dicuntur etiam Liburnę. Luc. Ordine contentæ gemino creuisse Liburnæ.

Embolum genus est nauigij velocissimi. alij ponunt pro rostro æreo, quod ex prora nauium eminet.

Lenunculus, dicitur nauis piscatoria. Sallust. apud Nonium: Primo inducit forte per noctē in Lenūculo piscātis.

Onerariæ naues dicuntur negotiatoriæ, & propter onera tardæ.

Actuariæ verò dicuntur agiles, & præstantes celeritate. Sallustius: His actuariæ naues circiter triginta, Onerariæ decem erant.

Nauium appellationes apud Gellium libro 11. cap. 25. sunt Gauli, Corbitæ, Caudicæ, Hippagines, Cercuri, Celoces, Oxiæ, Remieculi, Actuariæ, Prosumiæ, Geseortiæ, Orioles, Cattæ, Scapha, Pontones, Nustuciæ, Metæ, Phaselli, Parones, Myoparones, Lintres, Caupulica, Mareplacidæ, Cydarum, Ratariæ, Catascopium.

Porrò autem nauem primi excogitarunt Tiphys, & Argonauta: vel Tyrij, vt mauult Tibullus scribens: Prima ratem ventis credere docta Tyros. Danaus nauem primus in Græciam ex Ægypto aduexit. nam prius ratibus nauigabatur in mari Rubro ab Erithra repertis. Antiquitus fiebant ex corio circunsutæ in Oceano Britannico. in Nilo ex papyro, scirpo, & arundine. Longa naue primum Iasonem nauigasse, testis est Philostephanus. Egesias hoc tribuit Parthalo, Ctesias Samiræ, Stephanus Semiramidi, Archimachus Ægeoni, Bibliographi Noæ. Onerariam Hippus Tyrius inuenit, Lembum Cyrenenses, Cymbam Phœnices, Celocem Rhodij, Cercurum Cyprij, Siderum obseruationem in nauigando Phœnices, Remum Copæ, Latitudinem eius Plateæ, vela Icarus, Malum, & Antemnam Dædalus,

Tectas longas Thasii, Rostra Pisæus, Tyrrheni anchoram, Anacharsis Harpagones, Adminicula Tiphys, classe primus depugnauit Minos.

Naumachia vocatur pugna nautica: Naumachiarij, qui nauale prœlium committunt. Sueto. in Claudio: Sed quum proclamantibus Naumachariis, Aue imperator, morituri te salutant.

Nauis vocabulum est generale. Naualia, nauium stationes. Nauarchus, nauis princeps. Nauclerus, seu Nauclericus, ductor. Nauta & Nauita idem.

Carina dicitur concauitas nauis, & capitur pro tota naui. Virg. Frondentesq; ferunt remos, natat vncta carina. Carinare instar carinæ formare.

Puppis posterior nauis, prora anterior. Proreta, rector proræ.

Rates dicuntur rudes, & impolitæ trabes inter se connexæ. Ratis tamen capitur pro naui. Ouidius lib. 4. de Ponto: Et freta veliuolas non habitatura rates. Ratiarij, ratis ductores.

Classis capitur pro multitudine nauium, & quandoq; pro vnica naui. Virg. Et Lyciæ ductorem classis Orontem.

Remiges nautæ qui remos agunt. Remigare remos agere.

Helciarij qui maiores naues funibus trahunt canabinis aduersus vndas.

Rudentes dicuntur funes nautici. Lucanus lib. 8. Aut laqueum collo, tortosq; aptare rudentes.

Anchora ferrum est repandum, & vtrinque acutum, quo sistuntur naues, vnde adagium, Nauis tua fulta est duabus anchoris.

Antemnæ instrumenta sunt amnem antesecantia, vianq; nauibus facientia. Virgil. Cornua velatarum obuertimus antemnarum.

Vela dicuntur linea vel canabina tegmina, quæ dispansa malo nauis alligantur, vt ventos recipiant. Hinc mare veliuolum.

Carbasus linum est tenuissimum, quo vela nauium fiebant quondam: unde & Carbasa pro velis accipi solent.

Transtra tabulæ sunt, in quibus sedent remiges, vel per quas ad regimen nauis deambulant.

Celeuma dicitur clamor nauticus.

Naulum & Portorium merces nautarum & portitorum.

Vrinatores dicuntur natatores subaquatiles.

Vrinari, seu vrinare, sub aquis natare.

PROPRIA QVÆDAM NAVIVM nomina.

ARgo dicitur fuisse prima nauium, quæ Iason, Typhys, Castor, Pollux, & alij (quos inde Argonautas dicimus) profecti sunt Colchos, ad rapiendum vellus aureum. Sumpsit autem nomen ab Argo architecto. Vnde Val. Flac. libro 1. Ad carum Tritoniæ deuolat Argũ, Moliri hunc puppem iubet & demittere ferro Robora, Peliacas etiam comes exit ad vmbras. Vel ab Argiuis, qui in ea nauigarunt. Hanc nauim poetæ multis ornant epithetis. Vocant in primis fatidicam & loquaculam, quòd beneficio Mineruæ facta sit ex quercu Dodonæa, quam Sophocles tradidit fuisse non tantùm verbosam, at etiam futuri præsagam, vt in periculis Argonautas moneret. vnde Claud. -licet omnia vates In maius celebrata ferant, ipsamq; secandis Argois trabibus iactent sudasse Mineruam &c. Arbore præsaga tabulas animasse loquaces. Val. Flac. Prima deum magnis canimus freta peruia nautis, Fatidicamq; ratem. Vocatur præterea Pegasia, à Pegasa vrbe Thessaliæ, apud quam fuit ædificata. Item Pelias, à Pelio monte. Tritonis, quo niam beneficio Mineruæ & ingenio facta est. Magnesis seu Magnesias à Magnesia regione Macedoniæ proxima. Argoa, & Argina, ab Argiuis nautis. Hæc ex auctoribus confirmari possunt, vt Ouid. lib. 7. Metam. Val. Flac. 1. & 8. Statius l. 5. & Pontanus lib. 5. de Stellis, & Propert. lib. 1.

Pristis, Centaurus, Chimera, Scylla, nomina sunt nauiũ apud Virg. lib. 5. Aen. De Pristi & eius rectore Mnesteo sic inquit: Velocem Mnesteus agit acri remige Pristim. De Chimera, Ingentemq; Gyas ingenti mole Chimeram. De Centauro & Scylla: Sergestusq; (domus tenet à quo Sergia nomẽ) Centauro inuehitur magna, Scyllaq; Cloanthus Cærulea.

Apud eundem lib. 10. Tygris nomen est nauis, cuius rector fuit Massicus. hæc eius verba: Massicus ærata princeps secat æquora Tygri.

Est & Centaurus nomen alterius nauis, cuius rectorem vocat Cupauonem, vbi ait: Filius æquales comitatus classe cateruas, Ingentem remis Centaurum promouet.

Triton nauis fuit cuiusdam Aulestis. Idem. Hunc vehit immanis Triton.

Cælius ex testimonio interpretum Aristophanis ait, duas Athenis naues fuisse publico muneri destinatas, ex quibus Salaminia euocatos ad iudicium subueheret. Paralus verò ueheret Delphos ad rem diuinam.

ARGONAVTARVM NOMINA.

ARgonautæ (vt iam diximus) dicuntur heroes illi, qui in Argo naui Colchos profecti sunt ad rapiendū vellus aureum. sunt qui dicant fuisse duo & quinquaginta numero. alij quattuor addunt. sed parum refert de numero. Val. Flac. lib. 1. seriatim multos enumerat, de Zete & Calai Ouid. libro 6. Met. Vellera cum Minyis nitido radiantia villo Per mare non notum prima petiere carina. Proper. lib. 2. Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles, Hunc super & Zetis, hunc super & Calais. Omnium summi & principes fuerunt Tiphys & Iason. Vnde Ouid. lib. 1. de Arte: Tiphys in Aemonia puppe magister erat.

NAVTÆ NONNVLLI.

DE Tiphy licet iam satis dixerimus, adhuc tamen testimonia adiiciemus. Virg. Aecloga 4. Alter erit tū Tiphys & altera quæ vehat Argo Delectos heroas. Ouid. in Epi. Quid mihi cum Minyis, quid cum tritonide pinu: Quid tibi cum patria nauita Tiphy mea. Seneca in Medæa: Quæq; domitorem freti Tiphyn nouam formare docui sti ratem. Idem: Ausus Tiphys pandere vasto Carbasa Ponto, legesq; nouas scribere ventis.

Mnesteus, Sergestus, Cloantus nautæ fuerunt Aeneæ. Virg. lib. 4. Aeneid. Mnestea, Sergestumq; vocat, fortemq; Cloantum.

Fuit & Palinurus gubernator nauis Aeneæ Virg. li. 3. Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta.

Telonem Massilienſem Lucanus à nauigandi astrorumq; peritia laudat lib. 3. vbi ait: Dirigit huc puppim miseri quo que dextra Telonis, Qua nullam melius pelago turbante carinæ Audiuere manum, nec lux est notior vlli Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua Lunæ, Semper venturis componere carbasa ventis.

Idem commendat Phoceum quendam vrinatorem adeò natandi peritum, vt mergeret se, ac demum emergeret quū vellet. hæc eius verba: -pugna fuit vnus in illa Eximius Phoceus, animam seruare sub undis, Scrutariq; fretum, si quid merssisset arenis: Et nimis affixos vnci conuellere mor sus, &c.

Opheltes fuit nauta & circunuentor sceleſtissimus Sidonius: Qui vigor in pedibus frustra tibi notus Ophelte. Canopus auctore Plinio, fuit gubernator nauis Menelai, à quo hostium Nili Canopicum nomen sumpsit, vbi ictu Aspidis Mortuus est ille.

Fuit Saro quispiam nauta, qui moribus suis inelegantibus & inurbanis sequenti adagio locum fecit: Sarone magis nauticus.

Simonides apud Plutarchum testis est Amarsyadē Pherecle fuisse gubernatorem nauis Thesei in Cretam ad Minotaurum nauigantis. Philochorus ibi ait: Nausitheū & Phæacem rectores fuisse eius nauis.

Idem in Themistocle ait Ariomenem Xerxis fuisse nauarchum. eodem teste Petitius fuit gubernator nauis, in quam Pompeius post fugam conscendit.

Acessæus fuit ignauus quispiam nauta, qui vt nauigationem prorogaret, dicebat se Lunam magis oportunam exspectare. unde natum adagium: Acessæi Luna, in comperendinatores, qui semper causas comminiscuntur, quò negotium different. Erasmus in Chilia.

Mandro fuit quispiam nauicularius, qui aspirante fortuna eandem factus est imperator, vnde etiā factus adagio locus. Fuit & Mandroni siculna nauis. in eos, qui præter meritum ad opes euecti, pristinæ condicionis non meminerunt.

Erasmus.

Phrontis nauta fuit Menelai, filius Onetoris, cæsus à Phœbo.

Amyclas nauta fuit, ad quem tempore belli ciuilis accessit Cæsar, vt ab eo transueheretur in Italiam. Lucanus lib. 5. -molli consurgit Amiclas Quem dabat alga, toro.

Herodotus in Melpomene ait Colæum fuisse gubernatorem cuiusdam nauis Samiorum.

Phereclus fuit architectus, qui naues Paridis ad raptum Helenæ ituri fabricauit, vnde & nauis proprio epitheto Phereclæa dicitur.

Pelorus fuit gubernator nauium Hannibalis fugientis.

PORTITORES.

CAelius scribit Phaonem fuisse portitorem, eoque fouisse artificio Hic quum Venerem transuexisset, vnguentum ab ea fertur accepisse, quo delibutus factus est hominum pulcherrimus.

Phorcus Græcè Porthmeus, Latinè Portitor dictus est, quòd per mare deferret colonias, teste Beroso.

Charon dicitur portitor inferorum. Virg. lib. 6. Portitor ille Charon. Idem portitor has horrendus aquas & flumina seruat Terribili squalore Charon. Proper. lib. 3. Portorium, Porthmeum, Telonarium, Minerual, stips Charontica, Naulum dicitur portitorum merces. Seneca de Charonte: Hunc seruat amnem cultu & aspectu horridus, Pauidosq; manes squalidus gestat senex. Idem in Oedipo: Quinque capaci turbida cymba flumina seruat durus senior nauita Charon.

PISCATORES, ET VRINATORES.

DYctis fuit piscator quispiam, qui educauit Perseum, de quo Statius lib. 2. Sil. Fluctiuagus volucrem comebat Persea Dyctis.

De Herminio Silius lib. 5. Nec minus Herminium primis obtruncat in armis, Assuetum Thrasymene tuos prædantibus hamis Exhaurire lacus, patriæq; alimenta senectæ Decere suspenso per stagna latentia lino.

Herodotus ait Scylliam fuisse vrinatorem Sicyoniũ Themistoclis ætate, qui etiam in naufragio ad Peliũ facto multam pecuniam Persis seruauerit, plurimāq; sibi lucratus sit.

Nicolaus quidam Calapiscis cognominatus ex Apulia oriundus, à puero aquis assuetus, degebat inter marinas beluas multos dies continuos illæsus & profunda pælagi scrutabatur, futurasq; tempestates prædicebat.

Plinius ait Ichthyophagos populos, Troglodytis vicinos, natare ceu maris animalia.

PERICVLA MARINA.

CHarybdis periculum est marinum, in Sicilia, prope Tauromenitanum littus, quod crebris aquarum vorticibus infremere, assiduisq; fluctuum concursibus rapta absorbere dicitur. Ouid. lib. 4. de Ponto: Nec potes infestis conferre Charybdin Achæis, Ter licet epotet, ter vomet illa fretum.

Scylla, saxum est in mari Siculo, mare ipsum reddens importuosum & plenum periculi, quod assiduis aquarum concursibus latratum videtur emittere. Poetæ fabulantur Scyllam Phorci filiam mutatam in monstrum supernè uirgineũ, infernè verò piscem, & sex caninis capitibus latrans, quum se lauisset in fonte, quem Circe veneno infecerat. Ouid. lib. Met. -cinctaq; sæuis Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo. Plin. lib. 3. In eo freto est scopulus Scylla: Item Charybdis, mare vorticosum, ambo clara sæuitia. Cicero Actione 6. in Verrem, Nõ enim Charybdin tam infestam, neque Scyllam nautis, quàm istum in eodem freto fuisse arbitror.

Malea promontorium est Laconiæ scopulosum, quod per quinquaginta millia passuum in mare protensum periculosam reddit nauigationem, propter aduersos ventorum flatus. hinc natum prouerbium, Quum ad Maleam deflexeris, domesticos obliuiscere. Est autem penultima dictionis indifferens. Virgil. Ionioq; mari, Maleæq; sequacibus undis. Stat. lib. 4. Theb. Idem in Achil.

Caphareus mons est Euboiæ altissimus, Hellespontum uersus, impetuosus & formidolosus propter scopulorum

frequentiam, & crebros vndarum vortices. hic Nauplius, rex Euboiæ, mortem filii Palamedis, Vlyssis dolo interfecti, vltus est. nam quum Græci Troia redirent, Nauplius facem in vertice montis posuit, ut locus fidem potus faceret. quò quum venissent, multi naufragium fecerunt. Stat. in Achil. Quum reduces Danai, nocturnaque signa Caphareus Exeret.

Syrtes duo sunt loca in finibus Africæ Ægyptum uersus, vbi mare fertur esse vadosum & importuosum, propter aquas reciprocas. Seneca: Et amica nautis antè promittere uada Incerta Syrtis. Sil. lib. 17.

Et semper naufraga Syrtis.

Ouid. lib. 12. Elegiarum de quibusdam sic meminit.

Cum domina Libycas ausim prærumpere Syrtes,
Et dare non æquis uela ferenda Nothis.
Non quæ virgineo portenta sub inguine latrant,
Nec timeam uestros curua Malea sinus.
Nec quas submersis ratibus saturata Charybdis
Fundit, & effusas ore receptat aquas.

PISCINARII.

PIscinarii dicuntur, qui piscinas habent refertas piscibus, easq; magno studio curant. Ostrearum uiuaria, primus omnium Sergius Orata inuenit, optimumque saporem Lucrinis adiudicauit.

Licinius Murena reliquorum piscium uiuaria primus instituit.

Lucullus ad piscium receptacula montem excidit iuxta Neapolim, maiore impendio, quàm villam ædificauerat, admisso mari.

Varro scribit, M. Catonem Vticensem (quum heres testamento Luculli seu Lucilij esset relictus) pisces de piscina eius XLIX. millibus vendidisse.

Murænarum viuaria excogitauit C. Hirrius, qui cenis triumphalibus dictatoris Cæsaris sex millia murenarum mutua appendit, & dedit in pondus.

Vedius Pollio, quum piscinas magno studio coleret, solebat seruos suos occidere, eosq; piscibus vorandos præbere, vt hominum cruore pasti delicatiores essent. Curauit

Curauit & piscinas Hortensius Orator, Murenamque adeò dilexit, vt mortuam multos dies atratus fleuerit. Antonia Drusi Murenæ, quâ diligebat, inaures addidit. Cochleatū viuaria primus instituit Fuluius Hirpinus.

PISCES DIVERSI.

SCripserunt de Piscium natura Oppianus, Aristoteles, Plinius, & aliquot alij magnæ celebritatis viri, qui quoniam acutè adeò, & diligenter negotium hoc atti gerunt, vt nihil posteris reliquisse videantur, vacantis esset operæ, multa moliri velle post illos, quorum nec vmbram quidem possit quispiam pertingere. Propterea satis erit nobis quædam admodum pauca decerpere, quæ notiora & maiori emolumento futura videbuntur. Nam nihil in discussum relinquere velle, illud esset retexere telam Penelopes. Dicamus ergo de piscibus, quorum nomina apud auctiores frequentiora sunt. Piscis Græcè Ichthys dicitur, vnde Ichthyophagi populi Troglodytis vicini, qui vescuntur piscibus. Ichthyopolæ, piscium venditores, qui & Cetarii vocantur: Ichthyopolium forum piscarium. Capiuntur pisces hamis, nassis, tragulis, excipulis. qui piscantur hamo, vocantur Hamiotæ, vt faciebat Augustus animi laxandi gratia. Tranquillus scribit Neronem aureo rete piscari solitum.

Piscium alij teguntur corio & pilis, vt vituli, hippotami: alij corio tantùm, vt Delphini. Cortice, vt testudines: Silicum duritia, vt Ostreæ, conchæ: Crustis, vt locustæ: Crustis & spinis, vt Echini: Squamis, vt Carpio: Aspera cute, vt squatina, qua lignum & ebora poluntur: molli vt murenæ: alij nulla, vt Polypus. Quæ pilo vestiuntur, animal pariunt. Spirant pisces. Nam & pulmonem habent, aut aliqua pulmonis loco viscera. Annotata est enim in quibusdam æstiuo calore anhelatio, & in aliis oscitatio: Interim quoque dormiunt. Oua pariunt, quæ squamis integuntur. Coeunt plerunque in occursu, paruo contactu, mensibus Martio, Aprili, Maio: Autumno pauci, vt Salpa, & Sargus. Piscium alij sunt plani, vt Rhombi & soleæ: aliqui longi, vt Murenæ, conger. Placet Aristoteli nullas esse piscibus mâ

mas, nec meatum vllum genitalium perspicuum, sed excrementorum tantum locum. Partes quoque audiendi, odorandi, sentiendi nullas esse perspicuas præter oculos. Sunt qui gregatim errant more armentorum: volant aliqui, vt accipitres, hirundines, cæpiæ. Sentiunt hiemem procellosam, cuius horrore multi limo se prouoluunt, alij sub petris glomeratim conquiescunt, nonnulli ima petunt, quòd sentiant summa pelagi tempestatibus obnoxia. Redeunte verò serenitate prosiliunt, & libenter littus prospiciunt. Partu differunt inter se. Lupus bis anno parit, Mullus ter, ceteri semel, ac diuersis temporibus. Prægnantes gaudent aquis dulcibus. In Africa tamen feruntur viuere nonnulli in fermenti palude. Sunt qui colorem mutant. nam Menæ hieme candidæ fiunt, æstate nigriores. Mutat & Phycis reliquo tempore candida, vere varia. Amicitias inter se, & inimicitias exercent. Inimici sunt Delphinus & Balæna, Cæstres, & Lupus, Muræna & Congrus. Sunt & qui docilitatem nescio quam præ se ferunt. Nam in Lymira fonte Lyciæ ter fistulà euocati veniunt ad augurum, teste Plinio. Hierapoli Syriæ in lacu Veneris, ædituorum vocibus parentes vocati, exornati auro veniunt adulantes, scalpuntur, ora hiantia manibus inferendis præbent. In Stabiano Campaniæ ad Herculis petram Melanuri in mari panem abiectum rapiunt, iidemque ad nullum cibum (in quo hamus sit) accedunt.

Acipenser piscis est, qui squamis ad os versis contra aquã nando meat. Fuit olim in magna mensarum dignatione, & inuentu rarus, vt docet Cicero libello de Fato, apud quem dicitur Scipioni Numantio acipenserem esse paucorum hominum. Quod etiam docuit Plautus scribens, Qui mihi in mari Acipenser latuit, cuius latus in latebras dedam meas dentibus.

Alosa, piscis est de Clupearum genere, qui alio nomine Crysla dicitur. Alosæ dicuntur esse laudatissimæ in Tiberi.

Attilus piscis est inertia pinguescens. Frequens est in Pado, adeò vt ad mille quandoque libras capti sint, qui nisi iugis boum extrahi potuerunt.

Auratæ, pisces sunt omnium timidissimi, qui in maris reflexu sublittoralium arborum radicibus se occultant, ibique frondium agitatione exterriti, facile capiuntur, quadam velut deditione. Eorum viuaria primus instituit Sergius Aurata, inde nomen adeptus. Martialis: Non omnis laudem pretiumq; Aurata Meretur. Hic piscis nomen accepit ab auri colore. Commendantur Auratæ, quæ sunt ex Lucrino lacu. Coeunt attritu ventris, & oua concipiunt.

Anguillæ pisces sunt oblongi, volubiles, & serpentibus similes, qui piscium soli exanimes non fluitant. Dicuntur Anguillæ, quòd anguibus similes sint. Viuunt annis 3. durant sine aqua senis diebus. Generantur scopulorum attritu, sine coitu, sine ouo, nec est alia earum procreatio. Frequés habet lacus Benacus, auctore Plinio. Vescuntur limo & eduliis, siquis apponat, sed plurimæ dulci humore viuunt. Gaudent aqua semper affluente, & effluére, quæ nisi limpida fuerit, breui intereunt. Aestiuo tẽpore de lacu in piscinã transfacillimè. Reperiunt in Gange tã inusitata magnitudine, vt tricenos pedes impleant. Optimæ & præpingues capiuntur in Timauo lacu. Reperiuntur etiam in limosis locis prope Syracusas, tanta multitudine, vt piscari volentibus lata adsit præda. De Anguilla Iuuenalis Satyra 5. Vos anguilla manet longæ cognata colubræ. Aristoteles ait anguillam neque marem esse, neque feminam.

Alec piscis est, qui sola aqua nutritur. Martialis: Cui portat gaudens ancilla paropside rubra Alecem, sed quam protinus illa voret. Diminutiuum est Alecula. Colu. lib. 9. Datur Cammarus, & riualis Alecula, vel si quæ sunt incrementi parui fluuiorum animalia. Capitur etiam Alec pro salso liquamine. Martialis lib. 3. Capparin & putri cepas alece natantes.

Aries piscis est, qui grassatur vt latro, & grandium nauiũ in solo stantium occultus vmbra exspectat, si quem nandi vo luptas inuitet, raptamq; prædam abnatans mergit.

Aphyæ pisciculi sunt, qui ex aqua & pluuia procreantur. Aphya in ignem: Prouerbium est de rebus, quæ celeriter intereunt & absumuntur, vel quæ statim conficiuntur. Nã Aphya piscis admotus igni protinus decoquitur.

Astacus piscis est, qui si longius à mari exportatus dimit-

tatur, ad eundem irrepit locum, vbi captus fuerat.

Acus piscis est gracilis: iustum vteri tempus non exspectans, sed abrumpens vterum, & matrem interimens. Pariunt enim Aci confracto ventre, multitudine partus exigui pretij. Græcè dicuntur Bellones. De his Martialis lib. 10. Et satius tenues ducere credis Acos.

Anthia piscis est frequens apud Chelidonias insulas. celeriter capitur, paruo nauigio & concolori veste, eademq; ora per aliquot dies continuos piscator enauigat certo spatio, escamq; proiicit. Solus hic multos dies ad piscatores accedit incomitatus. postremò greges innumeros adducit, quos si inuolauerit Hamiota, parcit ductori. Præterea Anthiæ quum vnum hamo teneri viderint, spinis (quas in dorso serratas habent) lineam secare traduntur, ea quæ tenetur extendente, vt præcidi possit.

Aeluri pisces sunt, quorum oculi ad vices Lunæ aut ampliores fiunt aut minores.

Aulopa piscis est magnitudine ingentis Thynni, ceruice firmissima, oculis patentibus atq; amplis, dorso cæruleo, ventre albente, corpore linea aurei coloris discriminato, quæ a vertice ad caudam definit.

Barbo piscis est geminam habens barbam in labro inferiore. alio nomine vocatur Mulus. unde & Cicero in paradoxis Mulos vocat Barbatulos.

Bocas piscículus est vocem quandam mugitui similem reddens.

Balæna piscis est omnium maximus, qui partum lacte nutrit: spirat non branchiis, sed fistula quadam. in fronte gerit ora. fertur summa aqua, hebetatur sensibus ob corporis molem: propterea duce indiget, qui prælongus & albus, & capite procero, angusta cauda præit, extremaq; balænam contingit, & tanquam temone ad eam regendam vtitur. Sole ardente Balæna interdum exit ad littus, & prostrata dormit in arena. Reperiuntur Balænæ in mari Indico quaternûm iugerum, & Elephantis quintuplo maiores. Sunt & prægrandes in mari Britannico. Iuuen. Saty. x. Quantum delphinis Balæna Britannica maior. Balænis infestæ sunt Orcæ.

Carpia piscis est nobis frequens, & in Bænaco laudabilis.

Cephalus etiam nomen est piscis. Ambrosius: Ille sinus maris Cephalos alit, lupos ille, Ille saxatiles. Sordidi sunt cephali: sammo pelago quandoque vrinantes sese abluunt. oua eorum non attinguntur: vnde & numerosi sunt. quum adoleuerunt, corripiuntur à ceteris. Marini flumineis præstant.

Concha est de genere cancrorum. Conchæ & Ostrea dicuntur pisces testæ firmioris. & testæ ipsæ duriores vocantur Conchæ. Ouid. Ostreaque & conchis tuta fuere suis. Columella: Implicitus conchæ limax. Conchis optimis abundant Lucrinus, Bibaga indiæ insula, & mare rubrum.

Congrus seu Conger etiá genus est piscis, quem inter saxatiles ponit Plinius. Similis est anguillæ, duriore tamen carne, & sapore inferior: Grillum Nicander vocauit.

Cybium piscis est ita scissus, vt medium pateat æquè in omnes partes ad similitudinem tesserarum.

Coracini pisces sunt Nilo peculiares. Martialis: Principes Niliacis raperis Coracine macellis, Pelleæ prior est gloria nulla gulæ. Coracinus oculos frequenter mouet.

Citharœdus, piscis est, qui à cauda ad verticem lineas habet instar neruorum musici instrumenti distentas, unde nomen accepit: frequens in mari rubro.

Cetus piscis est maximus in Atlantico mari. Ambrosius: Virtute mitigauit mare, Disciplina Cetos strauit. Plinius lib. 32. scribit, Cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum latitudinis intrasse in flumen Arabiæ. sunt enim tantæ magnitudinis, vt si aquis supernatent, insulæ videantur. Dicimus etiam Cete, in neutro genere, & plurali numero. Statius lib. 1. Achil. Armigeri Tritones eunt, scopulosaque cete. Cetarij dicuntur maiorum piscium uenditores.

Cyprinus piscis est fluuialis palatum habens carnosum pro lingua.

Channa piscis est mollis carnis: Hyatulam Gaza couertit.

Cantharus piscis est zelotipus, qui pro consorte ad internicionem cum suo genere pugnat.

Cestreus piscis est, qui reliquis mutua deuoratione uictitantibus, solus ab aliorum carnibus abstinet, ideoq; non ca

pitur esca, sed in limum abdit sese, quo ibidem pascitur. Vbi verò in metu caput occuluit, arbitratur totum corpus esse tutum. Nonnulli ferunt hunc piscem deuorari à Congro, vt Congrum à Murœna. Theodorus Gaza Mugilem fecit Latinè.

Cancri pisces sunt multipedes, & præposterè gradientes, vt Calentius in Croaco graphicè describit: Illis denapedum uestigia, denáq; in arcus Crura recuruantur, laterumq; à margine ludunt Ambiguumq; iter est, &c.

Reperiuntur in Phœnicia littorales cancri tantæ uelocitatis, ut comprehendi nequeant.

Cordillæ pisciculi sunt, de quibus Martia. lib. 3. Ne nigrã cito raptus in culinam, Cordillas madida tegas papyro.

Canicula piscis est fœtus suos à partu natantes deuorãs, ut eos ab omni iniuria tueatur.

Coruus piscis marinus fuluus est, è stagno nigricans: alga uescitur, & bis parit in anno.

Callionymus piscis habet multum fellis in dextero latere, in sinistro uerò iecur.

Charace piscis pinnas habet vtrinque maximas, caudam auri fulgore purpureis dissectam lineis.

Cochleæ tam aquatiles, quàm terrestres exuunt se domicilio, binaque ceu cornua protendunt, contrahuntq;. oculis carent, ideò corniculis prætentant iter.

Clupea pisciculus est, qui venam quandam in Syluri saucibus mira cupidine appetens, Sylurum ipsum morsu exanimat.

Dactylus piscis est è genere concharum ab humanorum vnguium similitudine appellatus. Remoto in tenebris lumine, alio fulgore claret, lucet in ore mandentium, in manibus, in solo, & veste, decidentibus guttis: vt etiam natura illa videatur esse in succo, quem habet in corpore.

Delphini pisces sunt puerulorum amatores: Femina muliebris instar habet hubera, quibus copioso lacte mares pascit: Parui vnà gregatim natant: Parentes fœtus comitantur etiam adultos: Citò adolescunt: Decem annis ad summam proueniunt magnitudinem: Agunt vere coniugia: Pariunt catulos decimo mẽse, & æstiuo tempore: Viuunt annis xxx. In terram quandoq; erumpunt incerta de causa; & statim tellure tacta moriuntur. Linguam habent contra naturam aquatilium, mobilem, breuem, & latam, non differentem suillæ: Hominem amant, arte musica mulcentur: Pro voce gemitum edunt humano similes: Dorsum habent repandum, & rostrum simum, vnde & Simonis nomine gaudent. Obuiam nauigiis veniunt, alludunt etiam & quamuis plena prætereunt vela: Nullum est animal, quod celeritate non excellant: Paruos semper aliquis grandior natu comitatur, ut custos. Plin. ait, visos esse, qui defunctum portarẽt, ne laceraretur à belluis. Si quis eorum captus fuerit, ceteri adnatant, supplicantum specie captum reposcentes. Varia sunt apud Plinium exempla de eorum amore in pueros.

Draco marinus caput & oculos habet ad similitudinem terrestris, reliquum corpus, vt ceteri pisces: squamas habet præduras, aculeosq; solo tactu venenum relinquentes. Apprehensus dextra manu renititur: correptus verò læua obsequitur.

Echeneis pisciculus est, qui naues qualibet impetuoso vento concitatas, adhærens retinet. Plinius: Est (inquit) paruus admodum piscis, petris assuetus, Echeneis appellatus. Hoc carinis adhærente, naues tardius ire creduntur. Inde Latini Remoram vocant, & Remiliginem. Lucanus vt. Non puppim retinens Euro tendente rudentes, In mediis Echineis aquis, oculiq; draconum. Fertur hic piscis fluxum grauidarum vtero sistere, partusq; ad puerperium continere.

Elops piscis inter raras delicias quondam habitus est: alio nomine acipenser dicitur. Plinius commendat Elopem Rhodium. De Elope sic scribit Aelianus: Elopem quidam existimant esse, quem Homerus piscem sacrum appellauit, in uentu rarum, nec nisi in mari Pamphilo: captus trahitur magno acclamantum plausu.

Echini pisces habent pro pedibus spinas. Ingredi est his in orbem volui: propterea detritis sæpe aculeis inueniũtur. Ora habent in medio corpore in terram versa: Oua amara numero quina: Sequitiam maris præsagiunt, ac propterea cortreptis se muniunt lapillis, & calculum arripiunt, ne fluctiCc 4

bus excutiantur: Oua habent pleniluniis hieme. Frequentes sunt Echini apud Misenum promontorium. Horatius: Miseno oriuntur Echini. Captum Echinum si concerpseris in frusta, & in mare proieceris, paullò pòst partes conuenire ac reuiuiscere aiunt.

Exocœtus piscis est in siccum somni causa exiens. Hunc habet Arcadia.

Encraules pisces sunt minutissimi, albo colore, præda ceterorum, qui turmatim conglobatimq; adeò feruntur, ut scapha aut remis urgentibus dissociari nequeant.

Galeus piscis est, qui pastinacam piscem venenatum prosequitur. auctore Plinio.

Glanii pisces sunt, quorum frequentia Glanio Cumarum fluuio nomen imposuit.

Gobio piscis est præstantis saporis, & parui nutrimenti. Albus præstat nigro. Laudatissimis olim mensis adhibebatur. De hoc Iuuenalis Satyra xi. Nec cupias mullum, quum sit tibi Gobio tantùm. Dicimus & Gobius. Mart. In Veneris sint lauta licet conuiuia terris, Principium cenæ Gobius esse solet. Gobiones arena gaudent, gregatim degunt: unde & inter pisces gregales numerantur.

Glaucus piscis est, qui tanta in sobolem caritate teneri dicitur, ut paruos fœtus nunquam deserat, præstoq; adsit eis contra noxia. in periculis solidos deuorat, deinde reuomit. Aristotel. eum ponit in genere serratorum & carniuororũ.

Grues pisces frequentes sunt in Corinthio pelago, magnitudine pedum xv. os & ceruicem habent grui alti simile, & squamas instar pennarum eius. Sunt graciles & prolixæ, subsultimq; natant. Feminæ libidine accensæ maribus blandiuntur, eosq; salientes non patiuntur. Hinc genitura in aquas decidente ex mari uelut parente procreantur.

Garus piscis est, cuius fel recens & inueteratum unio auribus utilissimum est. auctore Plinio.

Gerres pisces sunt utilissimi, & salsi, ex genere locustarũ. Mart. lib. 3. Teq; iuuant Gerres, & pelle Melandria cana.

Hippocampus piscis est, cuius uentrem si quis ex aceto & melle hauserit, contra canis rabiosi morsum auxilium sentiet.

Hirci, pisces sunt in Cyrenaico, & Sardoo mari oberrantes cum Delphinis. Mares alba uitta frontem habent redimitam, Feminæ uerò sunt cristatæ, ut galli gallinacei. Ratissimi sunt, ut qui homines, nauigiaq; inuolent. Spiritu graui & uehementi, quo odore uelut instrumento ad ceterorum prædam utuntur. Vitulos marinos insectantur maximè, quos proflatu, perinde ac iaculo, expugnant.

Hygrophœnix, piscis est in mari rubro, magnitudine lacertorum, ore semper hianti, & oculis viridantibus, zonis distinctus binis, altera à branchiis ad caudam aurea, altera argentea medium corpus intercidente, maculis deinde intercrustantibus cæruleis.

Iulides, pisces sunt saxatiles, & morsu venenato.

Lampetra piscis est à lambendis petris nomen adeptus.

Loligo piscis est, qui extra aquam sese afferens volitat: caput habet inter pedes & ventrem, & cruorem nigrum instar atramenti. unde Horat. Hic nigræ succus loliginis.

Lutariæ dicuntur testudines, quæ in dulci aqua uiuunt. Has Græci Emidas uocant.

Lupus piscis marinus dictus est à voracitate, & quòd solus nateret. Lenis est & mollis, Cancros marinos insectatur maxime. Habet nescio quem lapidem in capite. Fluuialis potior est marino. Præstantissimi saporis capitur in Tiberi fluuio inter duos pontes. auctore Plinio. De hoc Martia. lib. 9. Appetitur posito vilis oliua lupo. Idem: Laneus Eugani lupus excipit ora Timaui, Æquoreo dulces cum sale pastus aquas. Hic piscis rete circundatus, arenas arat cauda, atque ita conditus euadit. Quum hæsit in hamo, tumultuoso discursu laxat uulnera, donec excidant insidiæ. Lupus & Mugil mutuo flagrant odio. Plinius ait, Luporum laudatissimos esse, qui appellantur Lanati, à candore mollitiaq; carnis.

Lucerna, piscis est, qui lingua ignea per os exerta serenis noctibus lucet. eodem Plinio teste.

Lagnis piscis est sobolis amantissimus. nam ubi femina enixa est, mas curat communes fœtus. tutaturq; ab insidiis atq; etiam hamum deuorat. Similis est propè Siluro. Frequens reperitur apud Mæandrum & Licum Asiæ, itemque

apud Strimonem Europæ fluuios.

Lepus marinus gignitur in limo vnà cum Aphyis, quibus cum aliquando capitur. in magno mari reperitur omnia similis terrestri, præter villos, quos aculeatos, & erectos habet. natat in summa aqua, uelocissimus est, ac propterea difficilis captu: nec vnquam ad nassas, aut hamos accedit. si quis eum attrigerit, aut manu, aut baculo (dum in morbo est) animi defectum incurret.

Leo piscis regitur concha, Carabo similis, præterquàm quòd gracilior est. eius brachia cancris similia sunt.

Locustæ pisces sunt Polypis inimici, & Murænis, qui obliquis cornibus procedunt in metu. Gignuntur in limo, sed diuerso: in cœnoso Ostrea, in arenoso Conchę. Incolæ Cassij montis contra terrestres Locustas Iouis auxilium implorant. Tessali, Illyrii, & Lemnii ab his etiam infestantur. Magnesii & Ephesii ordine militari in eas procedunt. In mari Indico locustæ aquatiles quaterna implent cubita. Sunt in India ternum pedum longitudinis, cruribus & femoribus ferrarum vsum præbentes quum inaruerint.

Luscius est denticulatus, de quo Ausonius: Luscius obscuras uulua cœnoq; lacunas Obsidet.

Labrax, piscis est lato oris rictu, qui escam totam vnà cum ære faucibus corripit, atque ob id facile accipitur. Præ grandes autem Labraces apud Miletum Asiæ ciuitatem esse dicuntur. unde adagium, Labrax Milesius: in auidum & voracem.

Mugil, piscis est capitosus, omnium (qui squamis integuntur) velocissimus, adeò ut transuersa nauigia interim supernatet. Ridetur eius natura, quòd abscondito in metu capite, totum se occultari putet. Coitus tempore, marem lineæ alligatum, & in mare proiectum, feminæ sequitur ad littus, & mares feminam partus tempore. Bellum habent Mugiles cum Lupis. Sciunt esse in esca hamum, insidiasq; non ignorant. Auiditas tamen tanta est, ut cauda verberando excutiant cibos.

Muræna piscis est longitudine anguillæ: parit quocunq; tempore eiusque oua citissimè crescunt. Vocantur à Latinis Flutæ, quòd in superficie aquarum fluant, & superatent. Quum in summis aquis apricantur, sole torrefactæ, amplius se curuare, aut aquis mergere nequeunt. Vnde Martialis: Quę natat in Siculo grandis Muræna profundo. Non valet exultam merge re sole cutem. Fuit olim Muræna intantis deliciis, ut nomen Liciniorum familiæ dederit, teste Varrone, & mortua defleta sit in piscina, & alia inaures ab Antonia Drusi meruit. Principatum obtinet in Sicilia, vbi præ pinguedine in summum pelagus erumpit. Habet etiam delicatam vrbs Hispaniæ Tartessus nomine, adeò vt inter cibos electiles numerata sit, auctore Gellio. Murænis in festissima est serularum natura, hamum deuorant, admouentque dentibus lineas, atque ita erodunt. Licinius Macer apud Plinium ait, eas feminei tantùm sexus esse, & concipere è serpentibus, & ob id sibilo a piscatoribus euocari. Animam habent in cauda, qua percussa exanimantur, verùm ictu capitis rarò. Laudantur inter saxatiles. Congros odio prosequuntur.

Murex, est piscis marinus, ex genere concharum, qui & Conchylium dicitur. Plinius. Conchylia & purpuras omnes ore atterit. Ex eius humore fit color purpureus unde & pro purpura solet accipi. Horatius. Te bis Afro murice tinctæ uestiunt lanæ. Frequens est hic piscis, & nobilis apud Tyrum, vbi usum purpuræ præbet. Virgil. lib. 4. Ænei. Tyrioq; ardebat murice lana. Muricum cinis cum oleo tumores tollit, & mammas cum melle efficaciter sanat. Latent circa canis ortum tricenis diebus. Congregantur verno tempore purpurarum instar, mutuoq; attritu lentorem cuiusdam ceræ saliuat. Pariunt vere. De murice Martialis: Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas Induis, & non est hoc satis, esca sumus. Horatius: Murice Baiano potior Lucrina Peloris.

Mustella piscis est murænæ similis, cui secundas in delicijs partes nonnulli tribuunt. Sunt qui hirundinem eam uocasse, à similitudine palustris hirundinis, quæ sanguinem fugit.

Mullus piscis ter anno parit. Maritimorum uoracissimus est. Alga vescitur & humano cadauere. Moriens apparet uersicolor cum multiplici squamarum rubentiū mutatione.

Binas libras maximus non excedit. geminâ habet barbam in labro inferiore. Hinc Barbatuli Mulli dicuntur à Cicero ne libro ad Atticum secundo, vbi ait, Nostri autem principes digito se cælũ putãt attingere, si mulli barbati in pisci nis sint, qui ad manum accedant. Volaterranus putat Mullum eum esse, quem hodie Barbum dicimus. De mullo Martialis lib. 2. Mullum dimidium lupumq; totum. Idem: Spirat in aduecto, sed iam piger æquore mullus Langueſcit: viuida mare, fortis erit. Feneſtella ait, Mullum accepisse nomen à colore molliorum calciamentorum. quum exspirat, versicolori squamarum mutatione nitescit. Asinius Celer rem pore Claudij Mullum octo millibus nummum emit. Mullos septentrionalis gignit Oceanus, & pars Occidẽtis proxima.

Myrus piscis est, seu serpens maximus, cui si eruatur oc lus, frontiq; hominis appendatur, ophthalmiam dicitur sa nare, pisci verò renasci. Ferunt præterea altero eum capi lumine, qui viuentem non dimiserit. Plinius & Gaza Ocu latam eum vocant. Volaterranus putat eundem esse cum Lampræta.

Meryx piscis est, qui ruminare dicitur.

Melanuri pisces sunt omnium timidissimi: nam tranquillo cælo & mari ima pelagi petunt, seq; e petris multa obductos alga condunt. per brumam verò quum ceteros viderint pisces vndis agitatos & ventis profundum petere, illi tuti confidentes superiora repetunt, iuxtaq; littus spuma tempestatis & procellarum operti feruntur ad ora piscatorum incogniti. Vescuntur obuiis quibuscunq;, ad hamum non accedunt, capiuntur sagena.

Mus araneus piscis est, qui visa orbita currus, statim vel pedicis impeditus capitur.

Mures marini exeũt in terram, oua pariunt, quæ obruũt terra, ac demum trigesima die refodiunt, & fœtus ad aquas ducunt.

Musculus, piscis est, qui iter Balænæ, oculis eius ponere superciliorum obtusis prænatans dirigit, oculorumq; vice fungitur. frequẽs est hic piscis in Stymphali Arcadiæ.

Merula piscis pluribus feminis sui generis congreditur, easq; in recessus petrarum abditas, tanquam in thalamis &

cum continet. zelotipus esse dicitur. puerperium & mas curat, assistendo, cibumq; fœtæ ministrando.

Margari pisces sunt rotunda specie. qui gregatim natãt, regem sectantes, more apum: quo capto, ceteri attoniti, capiuntur facillimè, in mari rubro, in locis prominentibus ac pertuosis: condunturq; in doliis salsamentariis, donec exsiccata carne durescant in lapidem aurei coloris. Reperiuntur in Indico, & Britannico Oceano. in terra non inueniuntur nisi fossiles, & adulterini.

Melandria piscis est cæsis quernis assulis simillima.

Miluago piscis est, quæ, quoties cernitur extra aquam volitans, tempestates mutari, Trebius Niger apud Plinium auctor est.

Myrinum Aristoteles ait esse murenæ marem, qui generat, sed tamen hoc differre, quòd murena varia & infirma sit, Myrinus vnicolor, & robustus, dentesq; extra os habeat.

Mytilus piscis est in arenosis sponte proueniens. nullius est saporis, sed crassitudini gingiuarum, sordidisq; vlceribus medetur. Martialis lib. 3. Sumitur inciso Mytilus ore mihi.

Minutal piscis est maximus, quem Apitius addito liquamine, oleo & vino condiebat. De hoc Martialis: Hinc exit varium coquo Minutal.

Narica piscis est minutulus, qui à nando nomen sumpsit. Plautus apud Festum: Naricam bonam atque Canitam.

Nautilus alius piscis, dictus quòd nauigantis effigiem habet, à quibusdam Pompilus dicitur.

Orphus piscis est oblongus, anguillæ similis.

Ostrea, seu Ostreæ pisces sunt operti concha, qui non vulgarem in cibis gratiam habent. Sergius Orata optimum fapotem Lucrinis adiudicauit, quæ etiam commendat Martialis: Ebria Baiano veni modo concha Lucrino. Horatius: Non me Lucrina iuuerit Conchylia. Omnium ostrearum, echyliorum & concharum corpora lunari potestate augeri & rursus minui, testis est Plinius.

Orca piscis est magnitudinis miræ, infestus balænis. Plinius scribit Orcæ rostratu depressum quandoque nauigium fuisse, & immersum in oculis suis, quam in Ostiensi portu

debellauerit Claudius Imperator.

Orcynus piscis est, qui mira sagacitate hamum videor sum trahit, ut sese illidat petris, & absoluat laqueo, aut laxato uulnere prosiliat.

Orchis piscis est rotundus, & sine squamis, totusq; capite constans, & omnium durissimus. auctore Plinio.

Oxyringus os habet prælongum in modum rostri, oculos fulgentes, alba supercilia, dorsum uiridans, pennas priores nigras, reliquas albas, caudam prælongam & viridem, quam aurea linea mediam discriminat. Colitur Ægyptiis vt Crocodilus.

Otia pisces aurem habent ventri coniunctam.

Pectunculus piscis est de genere mollium, extra aquam sese efferens sagittæ modo. Pectunculus Chius inter cibos electiles numeratur à Gellio. Laudatissimi pectines reperiuntur Mitylenis, teste Plinio, & Tarenti, dicente Horatio: Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum. Mobiles, sunt pectines, adeo ut plerunque retibus exiliant, & pænè putentur uolare.

Pelamides appellantur Thynni, quum annuum tempus excesserunt: morantur in luto. Iuuenal. Sat. 7. Quod vocis pretium, succus Petasunculus & vas Pelamidum. Horum piscium copiam habent Alyzones populi: reperiuntur & in angustiis Byzantii.

Peloris piscis est de genere concharum, dictus à Peloro promontorio, vbi scatet. Hor. Murice Baiano potior Lucrina Peloris. Pelorides Plin. teste emolliunt alium.

Physeter piscis est marinus inusitata magnitudine, de quo Rufus in Arati Phænomenone: Delphinos virides, & Physeteras anhelos. hoc Plinius inter belluas marinas reponit.

Phocæ pisces sunt, qui à mugitu boues marini dicuntur. Virg. lib. 4. Geor. Et turpes pascit sub gurgite phocas. Hic piscis corio & pilis tegitur. Parit in terra pecudum more, & coit instar canum, in somno mugit, unde & vituli meruit nomen. Spirat & dormit in terra.

Polypus piscis est de genere mollium, à pedum mulcidine nomen adeptus. fraudulentus est, & colorem mutat. Ita petris adhærens plurimos pisces, prædonem non agnoscentes, cassibus furtiuæ artis includit. Reddit enim colorem petrarum, in quibus delitet. tanta est in eo voracitas, vt nec à suo quidem genere abstineat. Carabum piscem exspauescit, adeò ut coniectus in reti vbi ille fuerit, quandoque captus statim exanimetur. Æstiuo tempore visi sunt Polypi exire in agros, maritimasq; arbores fructuum auiditate scandere. tanta est salacitate, ut effœto corpore nulla sit ei ant natandi, aut prædam assectandi facultas. Feminæ brevior est vita, & facilius capitur. Rapaces sunt eius pedes. unde natum prouerbium de hominibus furacibus, apud Plut. in Alin. Ego noui hos (inquit) Polypos: quidquid attigerunt, tenent. Item aliud: Polypi mentem habet, in horum morbus. Martialis lib. 12. Nasutum volo, nolo polyposum.

Pristis piscis est marinus angusti corporis & longissimi. Dicitur autem Pristis ab undarum sectione. Scindunt enim fluctus marum in modum propter tenuitatem. Pristin Græci sectionem vocant. Plinius scribit Pristes esse in mari Indico cc. cubitorum.

Pstitta piscis est, quem nonnulli passerem dicunt. Aristoteles: Torpedo occulit sese & pastinaca, & asellus, & rana, & pstitta, & squatina.

Pastinaca piscis est quandoq; natans, interdū etiam volitans. Rostrū habet præacutū & venenatū, & cui nullum fere sit remediū. Pastinacæ iecur decoctum in oleo pruritum & scabiē non hominū modò, sed & quadrupedū efficacissimè sedat. eiusdē radius adalligatus vmbilico faciles partus facit, pinnas non habet. latrocinatur ex occulto trāseuntes radio, quod telū est ei figens. Argumentum magnæ in hoc pisce solertiæ est, q̄ quum sit piscium tardissimus, Mugilē omnium velocissimū in ventre habere quādoq; reperiatur. Contra suum ictum remedio est, cinere suo ex aceto illito.

Phagrus nomen est, piscis anguillæ simile, & saxatilis.

Pauo, piscis est uarii coloris, rubentibus lineis, è genere serratorum & solitariorum.

Pholis piscis est de genere Rhomborum, qui mucore suo spumaq; cubile sibi substernit.

Phuca piſciculus, ſolus piſcium in alga nidificat.

Pediculus, piſcis eſt parasitus Delphini. Eius enim præ dam & eſcam ſectatur, quam libenter impertit. propterea pediculi pingues ſunt, & obeſi.

Porcum Græci Aſtrogoriſcum vocant. Quum capitur, more porcorum grunnit. Appion apud Plinium maximum piſcium eſſe tradit.

Pardalis piſcis eſt ſimilis terreſtri, colore & maculis.

Phyſalus piſcis eſt colore ſmaragdi, venenatus: qui ſi capiatur, more pilæ aut veſicæ intumeſcit.

Phari piſces ſunt, quos uenerantur, qui Syené incolunt.

Paguri piſces integuntur cruſta. more ſerpentum ſeniũ exuunt, renouata cruſta, Vocantur à Palladio Cancri marini.

Purpura (quam aliqui Porphyram vocant) conchyliorum uoraciſſima eſt. linguam habet prælongam, ſemperque vibrantem, per quam potitur præda, quam aſſectatur. Eius cruori maxima dignatio in tingendis lanis, præcipuè ſi lapidis ictu cædatur. Purpurarum quædam augentur in ſigni magnitudine, ut quæ ad Sigæum, & Lectum Iđæ promontoria gignuntur. Aliæ paruæ ſunt, ut in Euripo, & Caria, Marinæ magnæ ſunt & ſcabræ. Capiuntur tempore verno, quum fauos extruunt. Flos inde extrahitur ſpeciẽ mẽbranæ candicantis, qui contritus manũ inficit. Purpuræ viuunt annis ſeptenis. latent ſicut murices contra canis ortũ tricenis diebus. congregantur verno tempore, mutuoq; attritu lentorem cuiuſdam cere ſaliuant. ſuccum (quo tinguntur lanæ) euomunt cum vita. propterea piſcator vitare capere contendunt. Capiuntur paruulis rarisq; conchis, textu veluti naſſis in alto iactis. Ineſt his eſca, quam appetunt purpuræ, porrectiſq; linguis infeſtant. At illæ aculeo exſtimulatæ claudunt ſeſe, comprimuntq; mordentes, ita pendentes auiditate ſua purpuræ tolluntur.

Pompilus concha munitur, quam connexam turbato mari natando gerit, ne fluctibus oppleta teſta deprimatur. Triquillo reſupinat carinæ modo, acetabulis vtrinque premis vtens, & cartilaginem (quam in medio retinet) pro remis pandens. Si quando metus belluarum inuadentiũ ingruit, repleta concha ſub vndis ſeſe demittens, latitat. Rurſus vitato periculo reſilit. Profunda petit, ceu terram oderit. Ad natat nauibus cum aliis ſuæ ſpeciei, aſſultansq; circà conglobatur. Eadem eſt ferè nautili natura.

Pinna immobilis inhæret ſaxis, cuſtodemq; habet Pinnotherem, quo quum priuatur, ſtatim perit. Hic ei dapes ſuggerit, piſcesq; in prædam deducit. Plinius vbi de Cancris loquitur, Pinnotheres, inquit, vocatur minimus ex omni genere, ideoq; oportunus iniuriæ. Huic ſolertia inanibus oſtrearum teſtis ſe condere, & cum accreuerit, migrare in capaciores.

Perna piſcis eſt ex concharum genere, frequens circa Pontias inſulas. Stant autem Pernæ veluti ſuillo crure longo in arena defixæ, hianteſq;, qua limpitudo eſt pedale non minus ſpatio. Cibum venantur, dentes in circuitu margineum habent pectinatim ſpiſſatos. Intus pro ſpondylo grandis caro eſt. auctore Plinio lib. 32.

Platanistæ roſtrum habent & caudam Delphini. Reperiũtur in Gange Indiæ magnitudine xv. cubitorum.

Pulmones marini in pelago dierum hiemem portendunt. Montium item ſonitus, nemorumq; mugitus prædicunt. Eorum cineres adalligati profluuia purgant. Pulmonibus ſi confricetur lignum, ardere videtur, adeo vt faculam ita præluceat.

Paſſer planus eſt, nomen traxit à paſſere auicula. Optimus in cibis iudicatur. Paſſer & Rhombus ſitu tantum corporum differunt. Dexter reſupinatus eſt illis, Paſſeri læuus.

Rhombus piſcis eſt planus, in deliciis quondam habitus. Laudatiſſimus fuit Rauennæ. Martialis: Quamuis lata gerat patella rhombum, Rhombus latior eſt tamen patella. Commendatur etiam Hadriaticus. Iuue. Sat. 4. Eſt etiã Rhombus inſtrumentum incantatorum, quo fila torquebantur, vt apud Mart. lib. 9. Quæ nunc Theſſalico lunam deducere Rhombo.

Ranæ piſcis eſt notiſſimus, lato ventre, cæruleis variegatus maculis, Græcè Batrachos dicitur. Ranarum terreſtrium quædam in vepribus tantùm viuunt, dicunturq; Rubetæ, quibus in terra, & in humore vita eſt. Aquatiles coe

unt noctu extra aquam mare feminam inuitante. Hydrum maximè reformidant, quo accedente, clamores se glomerant & aduersus eunt turmatim. Earum coaxatio solito maior pluuiam portendit. in Seripho insula mutæ sunt. Hinc adagium, Rana Seriphia: in elingues. Theophrastus aquarū eius regionis frigiditati hoc tribuit. Ranæ insidiantur apibus aquantibus, nec earum ictus sentiunt. Prima lingua eis cohæret, intima absoluta à gutture, qua uocem mittunt. Rana, quæ ab argumento piscatrix dicitur, setas habet quasdam à ciliciis extantes ac prolixas, quarum adminiculis natura monstrante struit insidias, latitans in limosis, auiisq; locis. Frontem cum setis videndam loco escæ piscibus porrigit. Illi accurrentes, deceptiq; ac paullatim in arctum dedūcti ab ea rapiuntur. De eius usu in medicinis, vide Plin. Eodem ferè modo Raia pisciculos agit in prædam, Cartilaginē habet pro spina. auctore Plinio.

Sepia venenoso est morsu. Quum videt insidias parari sibi, effuso atramento (quod habet pro sanguine) sese abscondit. Persius: Nigra quod infusa vanescat sepia lympha. Sepiarum mares varij sunt, & nigriores, constantiæq; maioris. Percussæ tridente feminæ auxiliantur. At femina ictō mare fugit. Sepiæ atramento tanta vis est, vt in lucerna addito, Aethiopes videri, ablato priore lumine, tradat Anaxilaus apud Plinium.

Scarus piscium solus natando vescitur, & ruminat. Hunc piscem è Carpathio mari primus aduexit Optatus Helpertius, præfectus classis sub Claudio principe, & inter Ostiensem & Campaniæ oram disseminauit. Fuit quondam in honore mensarum. Aelianus hunc salacissimum piscem esse testatur, Venerisque gratia in prædam agi, femina eius generis per littus ducta. De Scaro Opianus inquit: Hic Scarus saxa frequētat, Quin mites inter pisces clamore tremendo Intonat, & solus pallentes ruminat herbas. Martialis lib. 5. Hic piscis incluſus nassis non fronte erumpit, nec infestis viminibus caput inserit, sed auersus caudæ ictibus crebris laxat fores, atque retrorsum ita erumpit: quem luctatum eius si fortè alius Scarus extrinsecus videat, apprehensa modicus cauda nixum iuuat erumpentis. Tranq. scribit Scarorum iecinora fuisse in patina Vitelij inter lautiores ciborū primitias. In hac (inquit) Scarorum iecinora, phasianorū & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarū lactes, è Carpathio vsque, fretoq; Hispaniæ per nauarchos ac triremes commiscuit. Quòd autem iecinora Scarorum & viscera iucundioris sint saporis, docet Martia. in Xeniis vbi ait: Hic scarus æquoreis qui venit obesus ab vndis Visceribus bonus est, cetera vile sapit. Quinctilianus ait, Scarum non capi in nostro mari. At eundem capi in Siculo, docet Petronius Arbiter, dicens: Ingeniosa gula est, Siculo Scarus æquore mersus. Ad mensam viuus perducitur. Habet etiam Scaros Carpathium mare. Vnde Horatius: Non me Lucrina iuuerint conchylia, Magis ue Rhombus aut Scari, Si quos Eois intonata fluctibus Hiemes ad hoc vertat mare. Eois fluctibus, dicit propter mare Carpathium, quod est in Oriente.

Sargus Mullum semper comitatur, antris inhabitat. Ex animalibus maximè capris solicitatur. Prodest eius caro cō tra Presteris morsum.

Synodon piscis est sociabilis: carne vescitur, & mollia appetit. Euenit huic & hyatulæ, ut (quum pisces minores in sectantur) venter procidat, quòd is ori coniunctus sit.

Silurus tanta est in prolem caritate, vt absumpta femina, mas oua seruet, sæpeq; vnà capitur, dum filios captos subsequitur. peculiaris est Nilo, quanquàm & in Danubio reperiatur. Ambrosius: Captus est Silurus, & inutilis præda detecta est. Idem: Et Silurum, qui minorum piscium visceribus alnum replet.

Scombrus de genere est Thynnorum, vnde salsamenta fiunt. In aquis sulphureum præ se fert colorem: extra aquā verò, quem & ceteri. Ab huius frequentia & multitudine Scombratia insula maris Hispani meruit nomen. Martialis: Hesperius Scombri temperet oua liquor. Plin. ait Scombrū laudatissimum esse in finibus Carthaginis.

Sphyrena (quam Gaza Malleolum conuertit) latiorum in nassis plagam, vnde prosiliat, querit. Palatum carnosum habet pro lingua.

Salmo fluuiatilis in Aquitania præfertur marino. Inueni

tur in Rheno, & Rhodano.

Salpa piscis coqui non potest, nisi ferula percutiatur. Reperitur apud Ebusum.

Sola plana est & lata, numeratur inter cibos lautiores. Lyeni imposita medetur.

Stella insidiatur conchyliis. Eius natura tanti est feruoris vt omnia contacta adurat. Paruam intus habet carnem, extrà verò est duriore callo. Omnem peragit, & concoquit cibum. Aiunt mala medicamenta nocere non posse, Stellam marina vulpino sanguine illita, & affixa limini superiori, aut clauo æreo ianuæ.

Scolopendra, quam Gaza Centipedem vertit, terrestri ferè similis est. Si quis eam attigerit, excitabitur ei prurigo, perinde ac si contigisset vrticam. Visæ sunt inusitatæ magnitudine, capite caudaque extantibus per vndas in modum triremium ferri, vtentes pro remigio pedibus sublatis, quos habent plurimos. Theophrastus apud Plinium scribit, Otretieres populos à Scolopendris deletos. Porrò Scolopendræ hamo deuorato, omnia intranea euomunt, donec hamum egerant, deinde resorbent.

Scorpius siccioris est carnis, bis anno parit, alga vescitur. Varius est. Icesius medicus dixit, stagnorum Scorpios nigrantes esse, marinos verò fuluos. Similitudinem habet cum Scorpena, licet Aristot. discrimen ponat.

Simia piscis, ore, & colore similis est terrestri, dorso retudineo, fuluis circa collum maculis. Pinnas auium modo pandit, volanti similis.

Sagittarius Echini specie, oculos habet solidos & prolixos.

Spongiarum triplex est genus, Spissæ, raræ, asperæ: omnes ad saxa nascuntur, aut iuxta luctus, litoq; aluntur. nam captæ, limo refertæ omnes cernuntur. Imbecilliores sunt spissæ, quàm raræ, quòd minus altè adhærent. Spongiæ molliissimæ sunt circa Lyciam, in Hellesponto asperæ, densæ circa Maleam. Aluntur etiam conchis & piscibus. Intellectu ineſſe his apparet: quia vbi auulsorem sensere cótractæ mul to difficilius extrahuntur. quod etiam fluctu pulsante faciunt. uiuũt esca, quia minutæ in his conchæ reperiæ sunt.

Putrescunt in apricis locis. Ideoq; optimæ sunt in gurgitibus viuentibus. Fistulas habent quasdam, per quas pasci existimantur. Viuunt longo tempore. Pessimum genus est earum quæ Aplysiæ vocantur, quia erui non possunt.

Scrombi e genere concharum, regem habent, quem sequuntur, quocunque concesserit. Hunc capienti aut aspicienti bonum omen portendi dicunt. Apud Bizantios Attica drachma proposita est illum expiscantibus.

Squatina de genere planorum, cutem habet rigidam, qua propter asperitatem ligna & eburnea poliũtur. Numeratur inter Carthilaginea.

Sparulus piscis est exiguus & vilissimus. Mart. Res tibi cum Rhombo est, at mihi cum Sparulo.

Thymallus piscis est pretiosus, de quo Ambrosius: Nequæ te (inquit) inhonoratum nostra persecutione Thymalle dimittant, cui à flore nomen inoleuit, seu Ticini vada te fluminis, seu amœni Athesis vmbra nutrierit, flos es. Quid specie tua gratius? quid suauitate iucundius? quid odore frangrantius? Quod mella fragrant, hoc tu corpore tuo spiras.

Cubitalis est eius magnitudo. Medius est inter Lupum & Cephalum. Naribus admotus herbam, vnde cognominatur, spirat, ad hamum non accedit.

Torsio similis est Delphino, præterquam rostro. Distat & triſtitia aspectus. Abest enim illa lasciuia maximè, tamen rostris canicularum maleficentia assimulatus. Hunc gignit mare Ponticum.

Trochus est ingens corpore, ceruice & spina prominenti bus, vt supra undas cõspiciatur, seipsum init. Quare Theodorus Gaza eum Masculo feminam vertit.

Trissæ laudatissimæ reperiuntur in Tiberi. Eas hodie vocari Romæ Lacias, Florentiæ Cleopias, Neapoli Alosas tradit Volaterranus. In Aegypto circa Meroæ stagnũ Trissas flebilibus numeris & melodiis escæ vice deceptas expiscant.

Troctæ piscis est voracissimus, dentes habet continuos. Captus hami lineam præcidit; stipatus multis suæ speciei piscibus Delphino congreditur, & depugnat.

Thynnus piscis est altero captus oculo, quare natando partem (qua videt) terram versus applicat. Hinc adagium,

Thynni morè videre: quum quis oblique aspicit. Vbi bruma deprehenditur, Thynnus hibernat ibidem: mox vere procedente, multi vnà exeunt in Pontum Euxinum, ac maiores soli præunt, ceteri gregatim, veluti pecudes, subsequuntur, connexis inter se corporibus, vt mutua iuuentur vmbra contra solis æstus. Strabo ait, Thynno miræ magnitudinis esse in Hispania, quos glande vesci prodit. Membratim cæsi ceruice & abdomine commendantur edulio recenti, cetera asseruantur sale. Præcipua (inquit Plinius) magnitudine Thynnos inuenimus talenta XV. pependisse. Eiusdem caudæ latitudinem duo cubita & palmum. Thynnorum captura est à Virgiliarũ exortu ad Arcturi occasum. Reliquo tempore latent in gurgitibus, imis, nisi tempore aliquo euocati aut pleniluniis. Pinguescunt in tantum, vt dehiscant. Nô excedunt Biennium. Thynnoscopos Budæus vocat homines è littore Thynnos speculari solitos, qui Latinè Thynnarii dicuntur.

Trichias nonnulli Sardas vocant. Istrum subeuntes non remeant. Plinius: Intrantium (inquit) pontum, soli non remeant Trichiæ.

Tritonem Romæ se vidisse Pausanias dicit, colore rana-rum palustrium, squamoso corpore, branchiis sub auribus, naso & ore humanis, dentibus firmis, oculis glaucis, manibus digitisq; similibus concharum testis, cauda sub aluum nice pedum, vt Delphini.

Reperiuntur Testudines marinæ, & quæ in aquis dulcibus viuunt, quas Lutarias appellamus. Testudo oua gignit in terra, quibus arena obrutis statim ad mare redit. Mox diebus LX. peractis iterum ad oua reuertit, quæ arena resossa, vt iam animata comperit, paullatim deducit in pelagus. Reperiuntur in India, quarum conuexum scaphæ magnitudinem æquat. Et in Taprobane insula vsum lecti domibus ligneis præbent. Chelonophagi populi testudinum superficie casas integunt, & carne vescuntur. Troglodytæ cornigeras habent, quarum cornibus natando, remigio se adiuuant.

Torpedinem si qui attigerit, morbo afficietur, à quo illa suum nomen traxit. Quo etiam modo pisces in prædam

agit. Occultat enim se limo, & supra natantes facit torpere, quos emergens deuorat.

Trigla piscis est, qui à nostris Mullus & Barbo dicitur.

Voligo piscis est à volãdo nominatus, aliter dicit Loligo.

Vitulus marinus, qui & Phoca dicitur, animal est amphibium, tam in aquis, quàm in terra degens. Fœtus parit in terra, paullatimque ad vndas assuefacit, sed non ante duodecimum diem. Breuissimus est à partu, postea tum euadit maximus, albus ventre, & dentibus frendens. Ipse imbellis & animo degener, non tantùm uiribus quàm valitati corporis fidit. Vescitur piscibus, & humano cadauere, unde & piscantibus struit insidias. Pedes habet à scapulis manibus similes modo vrsæ, pedesq; posteriores quinis discretos digitis. Nunquam percutitur fulmine. Nullum animal grauiore premitur somno. Vnde Mart. Dormitis nimiùm glires, vitulique marini. Iuba apud Plinium tradit vitulos marinos ternas heminas capere. Miteſcunt interdum. Pilo vestiuntur. Canum modo cohærent. Nunquam plures gemini pariunt. Educant mammis fœtum. Interficiuntur difficulter, nisi capite eliso. In somno mugiunt. Tenent discipulinam, vocesq; pariter & uisu populum salutãt. Pinnis, qui bus in mari vtuntur, humi quoque vice pedum serpunt. Aiunt dextris eorum pennis vim soporiferam inesse, somnosq; allicere subditis capiti. Eis oculi in mille colores trã scunt sicut hyenæ.

Vertibulum, piscis dicitur à testæ duritie, adhæret suæ testæ, qua contegitur, habet duo foramina exigua, quibus humorem recipit, & reddit.

Vrtica, adhæret saxis: manum in fame depascitur, vt Polypus. Ora in medio corpore continet, & de medio saxo quasi de testa viuit. Adnatantesq; circà assultantesq; pisciculos corripit. Noctu vagatur, noctuq; mutatur. Vescitur carne. Vim habet pruritu mordacem, ut terrestris vrticæ. Frontis est carnosæ. Noctu pectines & Echinos perquirit. Dum admotam sibi manum sentit, colorem mutat & contra hitur. Tacta vredinem mittit, paullumq; si fuerit interualta per summa tenui fistula reddit.

Vua marina in vino putrefacta iis, qui inde biberint, tædium uino affert.

Non reperiret finem hæc historia, nec etiam vires & ingenium sufficerent, si singulorum naturas uerbis consequi vellem. nam præter fluuiatiles pisces, Plin. ponit CLXXVI. genera animalium in mari viuentium. Multos dedita opera omisimus, quorum hæc sunt nomina, Nereides, Elephanti, Rotæ, Dromones, Cornutæ, Gladij, Serræ, Hippotami, Percæ, Asselli, Alopeca, Box, Batis, Bamchus, Balanus, Vranoscopus, Cinædi, Chametrachea, Gliciameides, Colycia, Pendactylides, Bales, Echinophoræ, Cucumis, Cynopus, Cynosdexia, Erythinus, Hippus, Hippurus, Halipleurus, Mena, Merix, Mormylus, Mystocetus, Ophidion, Ostria, Phytarus, Tyndarides, Percides, Rhina, Sargus, Scylla, Purus, Scorpena, Sciadeus, Sciena, Smyrus, Scepini, Simarides, Tornus, Thurianus, Thessa, Tethea, Vrene, Bopgyrus, Orphus, Rhacinus, Mormyra, Teragus, Labrus, Epoda, Channe ex seipsa concipiés, Glaucus æstate nunquam apparens, Pomphilus semper nauigiorum cursus comitans, Chironus in aquis nidificans, & alia propè infinita huiusmodi.

POPVLORVM DIVERSI mores, & ritus varii, ordine litterarum.

AGathyrsi, populi Scythis vicini, abundant auro: capillos habent cæruleos, quos vnà cum toto corpore diuersis coloribus inficiunt. Virg. lib. 4. Æn. Cretesq́; Dryopesq́; fremunt, pictiq́; Agathyrsi. Mantuanus in Apollonia: Vsque Melanchlenos: Vsque ad pictos Agathyrsos. In commune cum mulieribus coeunt. Nihil liuoris aut odii mutuo exercent.

Aborigenes, antiquissimi Italiæ populi, vagi erant, & sine laribus.

Alani Scythiæ populi carne vescuntur, nec panem mãducant, semper sunt pugnaces. unde Lucanus libro 8. Et se querer duos æterni Martis Alanos. Patientissimi sunt laboris: nam centum millia cursu continuo interdum conficiunt.

Amazones, Scythicæ mulieres, dextras mammas nascentibus feminis inurebant, ne ferendis armis essent impedimento. Masculi sexus liberos interficiebant. Imperabant fine viris. Vescebantur lacertis & testudinibus.

Ambrones, Galliæ populi, quum subita maris inundatione sedes suas amisissent, animum rapinis adiecerunt, & latrociniis.

Androgynæ, populi sunt in Aphrica, vtriusque naturæ, vicibus inter se coeuntes. His dextera mamma uirilis est, læua muliebris.

Anthropophagi, Scythiæ populi, humana carne vescuntur. Bibunt ossibus humanorum capitum.

Areopagitæ, Athenienses magistratus, iudicabant in templo Martis de cæde, & de statu reipub. prouidebant, idque sub dio.

Arimaspi, Scythiæ populi, vnum habent in fronte oculum, unde & nomen traxerunt. nam Arima Scytharum lingua vnum signat, Spu verò oculum.

Arymphæi, populi sunt prope Riphæos montes, iustitiæ & æquitatis obseruantissimi, & mira tranquillitate inter se degentes. Sedes illis nemora, alimenta baccæ. Capillus iuxtà feminis virisq́; in probro existimatur. Ab ipso natali dicuntur esse calui, simisq́; naribus, & ingenti mento. Studiosi non sunt rei pecuariæ. Sub arbore quisque cubitat. His nemo mortalium iniuriam facit. Sacri enim dicuntur, esse, nihilq́; armorum possident. Controuersias finitimo- dirimunt.

Ægyptij, diuinarum rerum peritissimi fuerunt, vnde Macrobius Ægyptum vocat artium matrem. Ab Ægyptiis Græci disciplinas omnes mutuati sunt. Diem obseruabant à media nocte in aliam. Hominum sunt antiquissimi. Olim gaudebant vnguentis. Eorum mulieres septenos quandoque uno edebant partu. Serunt omni mense, vbicunq; imbres æstiui non sunt. Apud eos aliqui singula annorum millia vixisse produntur: sed hoc intelligendum esse de annis mensibus, qui terminantur lunæ senio. Cæpas & allium inter deos habent: Apim, bouem, colunt pro numine, & quædam animalia, vt canem, felem, accipitrem, Ibin, lepido

tum & oxyrinchum pisces. Crocodilum etiam uenerantur, quem mortuum in vrnis sepeliunt. Crocodili adipe ægrotos vngunt. Brassicam non edunt. Inuentores fuerunt picturæ. Mortuorum asseruant cadauera, unguentis fœtorem impedientibus referta. Solertes fuerunt in reprimendis artibus, & in agnitione rerum indaganda sagaces. Furta omnia impunè permittunt. Ventrem mortuorum eximunt, vt omnium peccatorum causam. Flac. Vopiscus scribit Ægyptios esse versificatores, epigrammatarios, & ad cantilenas publicas propensos. Primi omnium Solem & Lunam deos putauerunt, Solem Osirim, Lunam Isim nuncupantes, iniuriosos, & auidos rerum nouarū. Imperator Hadrianus ad Seruianum consulem scribens dixit, homines esse seditiosissimos, vanissimos, & iniuriosissimos. Et Q. Curtius eos infamat vt gentem vanam, nouandis quàm gerendis rebus aptiorem. Antiquitus frequentissimè ea obtinebant munia, quæ nunc geruli, & vectandis corpore oneribus quæstum faciebant. unde Aristophanes apud Cęlium: Currus imposuit duos, ac mortuos totidem, quos nec Ægyptii quidem tollerent centum. Hinc adagium: Ægyptius laterifer. Erant & admirabiles in nectendis machinis, proclines in vinum, cuius quum essent inopes, excogitauerunt potionem ex hordeo. Viginti millia vrbium habitauerunt regnante Amasi. Frequentissimè afficiuntur elephantiasi morbo propter calores & æstum. Sale abstinent, nec pabulis vescuntur sale conditis. Ammianus Marcellinus, celebris auctor, vocat Ægyptios genus hominum cōtrouersum, & assuetudine perplexius litigandi semper lætissimum: subfusci sunt, atrati, gracilenti, aridi, ad singulos motus excidescentes, controuersi & reposcones acerrimi. Olim apud eos mulieres cauponabantur, & institoria obibant munia. Viri intra domorum parietes texebant, & operabantur muliebriter. Domi ventrem exonerant, in publico verò vescuntur: dicentes ea, quæ sunt turpia, in occulto fieri debere, quæ honesta, in propatulo. Mulier neque Dei, neq; deæ vlla sacerdos est, sed viri deorum omnium & dearū. Sacerdotes derasi sunt in funeribus. Omnes capillos nutriunt, barbam tamen tondent. Vescuntur cum feris, alij frumento, alij hordeo. Viribinas vestes habent, feminæ sinugulas. Potant in poculis æneis, quæ singulis diebus purgāt. Linea semper ferunt vestimenta. Virilia circuncidunt munditiæ gratia. Sacerdotes lauantur quotidie, frigida interdiu ter, noctu bis. Fabas neque ferunt, neq; alibi natas comedunt. Robusta habent capita. Salubri sunt corpore aeris beneficio, qui nunquam mutatur. Pane vescuntur, quem ex farre conficiunt. Victitant piscibus partim crudis sole arefactis, partim salugine conditis; coturnicibus item, anatibus, & quibusdam aliis auriculis. Minores maioribus natu cedunt, ac in via deflectunt, venientibusq; assurgunt è senes xii. quæ de Lunæ senio Menses nuncupantur, distribue dili. Anni rationem primi excogitarunt, deinde in portiorunt. Primi aras excitarunt, cōflauerunt simulacra, & tēpla cō struxerunt. Olim vescebantur herbis, palustriq; caule, quē Agrostim vocant. Onera capitibus gestare virorum est, humeris feminarum. Feminæ stantes vrinam egerunt, viri sedentes. Maribus nulla necessitas alendi parentes, filiabus summa. Litteras habent bifarias, sacras, & populares. In Deorum cultum magno feruntur feruore & studio. Sacerdotes auriculis vtuntur lineis, calcei papyraceis. Suillum pecus detestantur adeò, vt si quis porcum attigerit, cum indumentis omnibus in flumine abluatur. propterea subulcis interdicitur templis omnibus. Laneas vestes intulisse templo, prophanum. Scelus item, inuolutum eis cadauer condidisse. Decedente aliquo, muliebris familia caput & vultum sibi deformat luto, excurrit deindè per vrbem, ac plangit. Viri se conuerberant nudatis pectoribus. Muliebre cadauer diutius domi asseruatur, ne Venerea fœditate à salinariis, quibus incumbit sepultura, inquinetur. Apud eos Amasis regis edicto cogebatur quotannis vnusquisque destinato magistratui ratiocinari, quo se foueret artificio. Quod si quis non faceret, pœna erat illi extremum supplicium. Proripientes se è lectulis solebant suffire corpus resina, vt aerem expurgarent disgregatione.

Andabatæ, populi clausis pugnant oculis.

Atlantes, degeneres sunt humani ritus, neque vllorum

nominum appellationem habent. Solem orientem occidentemque dira imprecatione contuentur, vt exitialem suis agris. Neque insomnia visunt, qualia ceteri mortales. Nullo vescuntur animante.

Arabes, mitrati degunt, aut intonso crine. Barbam abradunt, præterquam in superiore labro. Duas habent æstates, ac totidem hiemes. Solstitia quattuor, quæ sunt inter æquinoctialem & tropicum Cancri. Sagittas inficiunt veneno. Fratres filios honore anteeunt, quia maiores natu. Consanguinei omnia habent communia. Maximus tamen ætate in omni re præcedit ceteros. Communis item vxor, imò vero vna omnibus. Ingressurus ad eam, baculum ante fores deponit. Omnes enim baculum gestant. Eo viso, reliqui congressu parcunt. Illa tamen noctes agit cum seniore. Matri coire non censetur impium. Congressus cum alterius sanguinis femina censetur adulterium, quod morte plectitur. In prædia inimicorum lapides aggerant, quo significent interitouros mala morte, qui ea coluerint, insidiis eorum, qui lapides posuerunt. Abundant balsamo. Præter ceteros mortales fidem seruant inuiolatam. Dionysium & Vraniam solos deorum esse arbitrantur. Quisque permanet in patrio instituto.

Agriophagi vescuntur leonum & pantherarũ carnibus.

Arthabatitæ, instar ferarum quadrupedum sunt vagi.

Astomi, Indiæ populi sunt sine ore, corpore toto hirti. Vescuntur frondum lanugine. Halitu tantùm viuunt in odore, quem naribus trahunt. Nullus illis cibus, nullus potus. Tantùm radicum florumq; varios habent odores, & siluestrium malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus. Grauiores paullò odore non difficulter exanimantur. Plinius lib. 7.

Agrigentini impendio & sumptu magnifico mensas parabant, & conuiuia. Propterea Plato dicebat, eos ædificare, ac si victuri perpetuò forent: itemq; conuiuari, velut semper moriturí. Vtebantur lechytis & xistris argenteis, habebantq; lecticas totas ex ebore.

Aethiopes Hesperij solebant crines in nondum compiscare. Martialis: Atque aliter tortis crinibus Aethiopes.

Aethiopes ipsi omnium sunt nationum serui. Viuunt sine instituris & legibus. Finitimorum præda sunt, & ceterorum mancipia. Parentes ipsi liberos uendunt mercatoribus, & frumẽto mutant. Olim nulla in re utebantur auro, quàm pœnalibus catenis. Qui sunt ab ortu Solis, promissos habent crines: qui ex Africa, crispissimos.

Axones, accolæ Axonis fluuij, in finibus Remorum, longis utebantur hastis. Lucan. lib 1. Longisq; leues Axones in armis.

Aruerni, olim gloriabantur se oriundos à Troianis, ac propterea dici uolebant Romanorum fratres. Lucanus libro 1. Auernisq; ausi Latios se fingere fratres, Sanguine ab Iliaco populi.

Aquileienses, tanta fide contra Maximinum pro senatu fuerunt, ut funes de mulierum capillis necterent, quibus sagittas excuterent, penuria neruorum.

Athenienses, crudelissimè sæuiebant in eos, qui à sua dictione defecerant, adeò ut decreto iusserint manum dextrarum pollices abscindi Aeginetis, quòd rebellassent, ne amplius hastam ferre possent, aut remis inter nauigandum uti. Mitylenæos uerò eãdem ob causam cum puberibus iugulari statuerunt, & Samiorum frontes, si corriperentur, inuri stigmate. Apud eosdem tanta fuit sepulcrorum cura, ut peremptos bello, si quis dux honestare sepulcro neglexisset, capite plecteretur. Nefas non putabant sororem in matrimonium capere. Lanificio, oleum, uini usum, serendiq; frumenta docuerunt. Pueros statim ab initio eruditebant, ut nandi usum, propter bella naualia, & litteras condiscerent. Laborarunt tamen auaritiæ nota adeò, ut prouerbium fluxerit, Atticus moriens porrigit manum. Fuerunt & impudentissimi. Vnde Atticus aspectus dedit etiam prouerbio locum. Insuper adulatores maximi. Publicis consiliis diuinos quosdam sacerdotes adhibebant. Lubrici erant tum ad irã, tum ad misericordiam. Suspiciones arripiebant celeriter. Laudantibus arridebant, ad opem humillimo cuique ferendam erant promptissimi. Si quem mortuum reperissent in uia, sepeliebant. Nunquam immolabant bouem, cuius opera in curru, aut aratro fuerant usi. Nulla prius puella trade-

batur uiro, quàm sacra Dianæ obiisset. Capillorum cincinnis aureas addebant cicadas.

Arij Germaniæ populi habebant nigra scuta, tincta corpora. Nigras ad prælia noctes legebant, ipsaq; formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferebant, nullo hostium sustinente nouum ac ueluti infernum aspectum.

Albani curam mortuorum agere nefas arbitrantur. Corpore sunt prægrandi, nec inuenusto, ingenio minimè fucato, aut subdolo. Vltra centum numerando non progrediuntur. Pondera, mensuras, modum ciuilitatis, & agricolationis non norunt. Linguarum apud eos uarietatis xxvi. Deos habent Solem, Iouem, Lunam. Sacerdos Lunæ primas habet post regem. Sacris præest seruus, & sacræ religioni. Seruorum plerique numinis afflatu uaticinantur. Præcipuũ ex his sacerdos annis epulis saginat, mox ad immolationem producit. Admotus aræ seipsum gladio confodit. Plurimus senectuti habetur honos. Pretiosa cum mortuis infodiunt, licet meminisse mortuorum habeant sceleris loco.

Apud Armenios rubẽtes quandoque uisuntur niues, quòd loca illa scateant minio. Perficis diis immolant, & Anaitidem colunt, eiusq; ministerio nobilitate præstantes dedicãt filias, quæ inibi corporis pudicitia in uulgus data, mox traduntur uiris uelut augustiores factæ. Arcubus clarent Armenij: unde Statius lib. 1. Sil. Arcuq; horrenda fugaci Armenia.

Ausæ populi Africæ capronas è fronte demisisse gaudẽt. Virgines quotannis in honorem Mineruæ certamen edunt. Arma sunt lapides, & fustes. Si qua ex ictu decesserit, falsa censetur virgo. Quæ omniũ præstantissimè deprœliata est, à ceteris, armis decorata, subuehitur curru per ambitum Tritonidis paludis. Promiscuus illis cum muliere congressus.

Afri pastores quadrimis filiis uerticis uenas, adhibita lanã succida, inurebant compescendis è capite fluctionibus. Propterea inter omnes prospera utuntur ualetudine. Afræ mulieres super uestẽ nudas gestant caprarum pelles fimbriatas, & rubrica litas. In Sica Africæ ciuitate matronæ corpore prostituto ex passiuo concubitu dotem sibi quærunt ex

patria consuetudine.

Abydenis mos fuit si quem ciuem aut hospitem conuiuio exciperent, vt post unguentum & coronas infantes à nutricibus inducerentur, circunferenturq; suauiandi.

Arcades, suis titulis suoq; auspicio nullũ hostem vnquam superarunt, uerùm aliis suppetias ferebant persæpe. Eorum uetustissima est origo adeò, vt glorientur se priores fuisse lũna. Seneca in Hippolyto: Aut te stellifero despiciens polo Sidus post ueteres Arcadas editum Colebant Pana deum pecoris. Ouid. lib. 2. Fast. Pana deum pecoris veteres coluisse feruntur Arcades Arcadiis plurimus ille iugis.

Solebant Assyrii ægrotos in uiis proponere, & exquirere à prætereuntibus, scirent ne remedium aliquod morbi. Cõmutebantur non admodum magna. Defunctos melle condibant, & cera. Clipeos gestabant. & pugiones. Clauas item ligneas ferro inductas ac lineos thoraces. Deum, quem summum habent, Ad aduocant, deam verò Adargatim.

Apud Actios populos qui uel minima furantur, lapidibus obruuntur.

Alexandrini fallaces fuerunt, alia semper cogitantes, alia simulantes.

Andrimarchidæ uirgines nupturas exhibent suo regi, qui pulchriorem & gratiorem sibi deuirginat.

Asbitæ populi Libyæ quadrigis vehuntur.

Bisaltæ Scythiæ populi nutriũtur equorum sanguine permisto lacte, vt docet Virgilius lib. 3. Georg.

Bathylli populi madent vnguentis, auctore Plin.

Borysthenidæ Scythiæ populi perpetuo frigore torquentur. De his Propertius: Gloria, ad hibernos lata, Borysthenidas.

Britanni antiquitus omnes se inficiebant glasto. Est autem Glastum herba similis plantagini. Propertius: Nunc etiam infectos demens imitare Britannos, Ludis, & externo tincta nitore caput. Martialis. Barbara de pictis uenit Scauda Britannis. Erant olim capillis promissis, inhumanis suis hospitibus. Horatius: Visam Britannos hospitibus feros. Nullam autem aliam ob causam se inficiebant, quàm vt ea ratione horridiores viderentur hostibus. Apud eos

fratres cum fratribus, & cum liberis parentis, vxores olim habebant communes. Præter vim & audaciam nullum habebant ad prœlia adiumentum.

Burgũdiones dicti sunt, quòd olim vicos habitarent, qui eorum lingua Burgi vocantur.

Belgæ optimè regebant currus cameratos. Lucanos: Ecdocilis rector monstrati Belga Couini. Cæsar in commentariis ait, Belgas esse Gallorum fortissimos, quòd ad eos mi nime conmeent mercatores, qui comportent, quæ ad molitiem, & effeminandos animos pertinent.

Bactriani horridis sunt ingeniis, & à Persarum luxu abhorrentibus, auctore Curtio. Senio vel morbo confectos canibus deuorandos obiiciũt, ad hoc de industria enutritis, quos sepulcrales vocant. Mille quondam vrbes habitarunt. Apud eos, qui pauca furantur, sputis dehonestari solent. Bellicosi sunt & potentissimi.

Babyloniorum mores corruptissimi fuerunt, & ad irritandas voluptates aptissimi. Liberos & coniuges cum hospitibus stupro coire (modò pretium flagitij daretur) parentes maritique permittebant. In vinum & ebrietatem maximè erant effusi. Feminarum conuiuia ineuntium in principio modestus erat habitus, deinde summa quæque amicula auferebant profanato pudore, ad vltimum opus ima corporum velamenta proiiciebant, non meretrices tantùm, sed matronæ & viri, apud quos comitas habetur vulgari corporis vilitas, auctore Curtio lib. 5. Duabus vtuntur tunicis, vna linea vsque ad pedes demissa, altera super hanc lanea. Capita mitris velant, vnguentis toto corpore delibuti. Anulum signatorium singuli gestãt. Vbi virgines factæ sunt nubiles, omnes vnum in locum congregant, easq; circumsidẽte virorum frequentia, præco sigillatim uendit secundum ordinem formę & pulchritudinis. Medicis non utuntur. Sepulcra eisdem sunt in melle. Vbi uir & maritus coiuerunt, sub diluculum abluuntur ambo, nec vllum vas prius attingunt, quàm se aqua perfuderint. auctor Herod.

Bithyni conscendebant montium cacumina, ibiq; Iouem consalutabant.

Bœotij rudes fuerunt & agrestes, maleq; audierunt stolidi-

ditatis nomine. Horatius: Bœotum in crasso iurares aere natum. Plutarchus scribit Bœotos ab Atticis fuisse notatos tãquam brutos, stupidos, & pingues propter edacitatem.

Brachmanes Indorum sapientes dicebant, præsentem vitam esse veluti conceptum vitalem: mortem verò, egressum ad veram vitam. Item mũdum habere tempus initiale, tendereque ad interitum. Deum vniuersorum opificem per cuncta meare. In philosophiæ communionem vxores non admittebant. Abstinebant ab omni carnis cibo. Subdiales agebant, & veritatem præcipuè amplexabantur. Lineis vtebantur amiculis.

Byzantij notati sunt à Græcis vt acolasti, & intẽperãtes, quòd in Venerem & vinum ferrentur præcipites. plurimũ enim versabantur in caupona.

Berbicæ certam ætatis metam transgressos perimunt, viros immolantes, mulieribus præfocatis.

Ferunt Brutios pastores pecudibus, equabusq; misceri solitos.

Budini populi Scythiæ pediculos esitant. Cæsiis sunt oculis. Rei pecuariæ dant operam. Libero patri agunt Trieterica, & Bacchanalia.

Barcææ mulieres gustu vaccinæ & suillæ carnis abstinẽt.

Cimmerij populi perpetua caligant obscuritate. Homerus apud Erasmum: Illic sunt populiq; & mœnia Cimmerorum, Nubibus & cæca assiduè caligine tecta: Illos haudquam radiis sol aspicit ardens, Nec quando astriferum curru petit arduus axem, Nec rursum ad terras magno deuectus olympo, Sed nox incumbit miseris mortalibus atra. Ouidius finxit domum somni esse in hac regione, vbi ait, Est prope Cimmerios longo spelunca recessu Mons cauus, ignaui domus & penetralia somni, Quò nunquam radiis oriens medius ve, cadens ve Phœbus adire potest, nebulæ caligine mistæ. Exhalantur humo, dubiæq; crepuscula lucis. De hac Tibullus lib. 4. Cimmerion etiam obscuras accessit ad oras, Queis nunquam candente dies apparuit ortu, Seu supra terras Phœbus, seu curreret infra.

Chalybes habitant iuxta Paphlagoniam, in Ponto. Optimo abundant metallo. De his Val. Flac. lib. 4. Argon. Nó

ita sit metuenda tibi sæuissima quamquàm Gens Chalybum, duris patiens cui cultus in aruis, Et tonat afflicta semper de mus ignea massa. Idem lib. 5. Nocte sub extrema clausis tel luris ab antris Peruigil auditur Chalybum labor.

Casyri Indorum ad Scythas versi humanis corporibus ve scuntur.

Campani in Italia semper superbi fuerunt bonitate agro- rum & fructuum, & vrbis pulchritudine.

Candei seu Ophiophagi vescuntur serpentibus, quarum fertilissima est eorum regio.

Cyclopes & Læstrygones humana carne olim vescebãtur.

Choromandæ sunt sine voce, stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis.

Cirni qui Corsicam incolunt, viuunt annis centenis qua dragenis.

In Calingis Indiæ gente quinquennes concipiunt semi- næ. Octauum vitæ annum non excedunt.

Colophonij & Castabalenses propter bella cohortes ca- num habuere. quæ primæ dimicabant in acie, nunquam de trectantes.

Cauci septentrionales populi altos habitant tumulos, & casas nauigiis similes, à quibus quum recedit mare, fugien tes cum aquis pisces circa tuguria uenantur. Nullas habent pecudes, neque aluntur lacte ut finitimi. Vlua & palustri iunco funes nectunt ad prætexenda piscibus retia. Captum manibus lutum uentis magis quàm sole siccant. Potus non nisi imbre seruato scrobibus in uestibulo domus.

Celenophagi, Carmaniæ populi, non alia quàm testudi- mum carne uiuunt.

Cimbrorum mulieres amicos suos & affinitate sibi coniũ- ctos solebant interficere, quos videbant in bello turpi fuga salutem sibi quærere. auctor Plutarchus.

Cyrenæi eò deliciarum prouecti sunt, vt legum condito- rem habere Platonem concupiuerint. Qui tamen illorum admiratus ignauiam, indignos duxit, quibus obsequeretur.

Carthaginienses humanas hostias immolabant Herculi. Fraudulenti erant, & mendaces, non genere sed natura loci. Non solùm optimos, sed & ditissimos censebant magistra-

tibus admouendos. Impossibile enim putabant eum qui ege state premeretur, recte & incorrupte magistratum gerere posse.

Cretenses ingrediebantur prælia præcinente tibicine. au ctor. Gell. Apud eos erant sapientes, quos Prophetas uoca bant, qui non tantùm abstinebant carnibus, sed & coctis om nino cibis. Apud eosdem lata quoque lege passim permit- tebatur Venus mascula, amplexabanturq; pueriles amores usque ad stuporem. Nauigandi peritia, maritimarumq; re- rum usu principatum olim tenuerunt. Hinc natum adagiũ quod per ironiam dici solet, Cretensis nescit pelagus. Ma- sculis amoribus intantũ flagrabant ut adamatos ui corripe- rent. Amorem conciliabat non tam forma, quàm roboris præstantia. Infamati sunt improbitate, perfidia, mendacio. & ignauia. Liberæ condicionis pueri leges mandabant me- morię, mox deorum hymnis animum adiiciebant.

Cilices hircos habent uillo tonsili, unde uestes confi- ciunt quas Cilicia & Cilicina dicimus. Mar. l. 7. Qualem forpicibus mittit supinis Tonsor Cinyphio Cilix marito.

Infames fuerunt immanitatis & crudelitatis nomine, ob assiduas hospitum deprædationes, & pyraticam, quam ex- ercebant.

Cares populi mercede cœperunt militare, ac proinde ut uiliores passim infamati sunt. Hinc adagium, Homunculus ex Caria. Canem diis immolabant: unde & Carica uictima transiit in prouerbium de uili munusculo.

Caspii parentes inclusos fame necant, quum annum LXX. ætatis excesserunt. Si quem autem aduolantes aues unguibus ac rostris concerpserint, felicitatis argumentum suspi- cantur. Si à feris aut canibus conuellatur, non ita suspican tur. Quod si à nullo attingatur, deflent perinde ac infelicis sumum.

Coi Iunoni sacrificantes seruos à conuiuio reiiciebant, ut sacrificarent liberius.

Curetes instar mollium puellarum comam fouebant, nec succidebant.

Chalcidenses ardebant nefanda puerorum libidine. La- borabant etiam auaritiæ nota.

Chaldæi uice numinis colebant ignem.

Calleci erant sine deo & numine. Mulieres monilia gestabant ferrea, comamq; circumnectebant galericulo aeri coloris superiecto.

Cantabricæ mulieres oppressæ bello, filios leguntur interfecisse, ne in hostiles manus uenirent. Opere rustico sumptum suum exercebant. Puerperæ uiris ipsarum uice decumbentibus administrabant. Editum infantem fluminis abluebant ripis. Ferunt etiam Cantabros olim iuris hostium factos, & patibulo affixos, in tanta supplicii diritate nihil ominus perinde ac gestantes Pæana cecinisse. Ejusdem quoque gentis illud erat, vt uiri uxoribus numerarent dotem, filiasq; ex esse heredes constituerent.

Carmanis fuit peculiare, ut percussa faciei uena profluentem inde cruorem vino permiscerent propinarentq;, amicitiæ finem statuentes, sanguinem gustasse mutuum. Mox uerò unguentis caput collinere, repercutiendis uini exhalationibus. apud eosdē nemini licebat uxorē ducere, nisi prius ea put occisi hostis ad regem detulisset. Rex autem interfectorum caluarias in regia locabat. Linguas uerò fauctibus exertas, & minutatim cōcisas, paneq; permistas illis porrigebat degustandas, qui attulissent.

Chii calentes mero quum Spartam uenissent, icassentq; ad curiam Ephororum, in curulibus magistratuū sellis, uentri onera per summam fœditatem deiecerunt. Hinc natum adagium, Chius omnia percacans.

Cercyræis populis quoniam crebris seditionibus agitabantur, moris erat gestare flagra ingentia ansis eburneis exornata.

Crotoniatæ erant egregij athletæ, adeò ut in palæstra uictoriam sæpenumero reportarent.

Cercopes populi fuerunt in Epheso notæ fraudulentiæ, qui conati sunt ipsi etiam Ioui imponere. Hinc adagium, Cercopum cœtus: de improborum conuentu.

Calabri quum piris abundent, consueuerunt ea hospitibus affatim apponere, deinde saturos bellariorum uice dotem auferre iubent. Horatius teste.

Apud Crestones populos singuli plures habent uxores.

Quum autem uir aliquis moritur, tunc oritur magna disceptatio inter feminas, quæ nam illum carius adamaret uirisq; palmam meruit, ad mortui tumulum ducitur exornata, ibiq; à propinquis mactatur, & humatur cum uiro.

Cīsii populi uicini Persis pro pileis mitram ferunt.

Cyziceni notati sunt timiditatis & mollitiei.

Cadurci populi Galliæ in tomentis culcitrarum ex suo lino palmam obtinuerunt.

Apud Dacos & Sarmatas ipsi etiam mares corpora sua succis herbarum linunt.

Derbices dilecta omnia, etiam minima, ulmo digna supplicio censent. Tellurem deam agnoscunt. Rebus diuinis nullam adhibent feminam, sed nec in mensam admittunt. Septuagenario grādiores iugulāt, aduocato ad epulas proximo quoque. Vetularum carnibus non uescuntur, sed præfocatas modò condunt. Si cui fatalis dies aduenerit ante metatam præstitutam, sepeliunt.

Dardanei sub Illyride populi ter tantùm in uita balneis operam dabant. Apud Danos feminæ pleræq; formam suam in uirilem habitum commutantes, militiam adibant. Omnes perosæ delicias, corpus & animum patientia ac labore solebant durare: totamq; feminæ leuitatis mollitiem abdicantes, uirilem exercere sæuitiam. Bella pro basiis intentabant: manus telorum, non telarum obsequiis exhibebant. auctor Saxo Grammaticus.

Essedones, Scytharum Asiaticorum populi, solent parentum funera cantu prosequi, & conuocatis uicinis cadauera ipsa aliis carnibus admistis absumere, & ex ossibus capitum confícere sibi pocula. Apud eos quoties pater alicui decessit, omnes eius propinqui pecora adducunt, conciduntq;, & mortuum aliis commistum carnibus ei exhibent, à quo inuitati sunt ad conuiuiū. Caput tamen defuncti denudatū, purgatumque inaurant, eoq; pro simulacro vtuntur, & quotannis cæremonias eidem faciunt. Iustitiam obseruant diligentissimè. Vxores æquè fortes sunt ac viri.

Esſei Iudæorum populi abstinebant vino, carnibus, & vxoribus. Ieiuniis ita assueuerunt, ut ipsa in naturam verte

rint. apud eos proprium nemo aliquid possidet. Omnibus in medio positis communiter vtuntur. Habitant simul, & conueniunt quasi sodales. Quumq; pro communi vtilitate faciant omnia, alia aliorum negotia sunt, quæ certatim peragunt, non frigus, non calorem, non aliquam mutationem aeris formidantes. Quum à laboribus mercedem ceperint, apud Quæstorem deponunt: is omnia diligenter procurat, quibus egent Plerique ex his nullas ciuitates colunt, neq; seruos habent, quando omnes velut mater eadem genuit natura. Triplici regula vitam transigunt, amore in deum ardentissimo, virtutis cultu diligentissimo, caritate in proximum feruentissima.

Apud Epizephyrios Locros si quis salutis causa vinum hausisset largius, medico non imperante, morte expiabatur libera illa compotatio, perinde ac grande aliquod scelus.

Apud Eleusinios capitale erat quidquam ex mysteriis in uulgus efferre, cuiusmodi erant apud Romanos sacra Bonæ deæ.

Ephesii habebant notulas quasdam & voces magicas, quibus vtentes, in omni negotio victores euadebant. Hinc adagium, Ephesiis vti litteris.

Fanesii populi in oceano septentrionali tam grandes habent aures, vt iis nuda integant corpora.

Fennis Germaniæ populis mira erat feritas, & fœda paupertas. non arma, non equi, non penates. Victus herba, vestitus pellis, cubile humus. sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperabant. Idem venatus viros pariter ac feminas alebat. Passim enim comitabantur, partemq; præde petebant. Viuebant in siluis, quod beatius arbitrabantur, quàm ingemere agris, illaborare domibus. auctor Cor. Tacitus.

Geloni Scythiæ populi solebant se pingere. Virg. lib. 2. Geor. Eoasq; domos Arabum, pictosq; Gelonos. Claudianus: Membraq; qui ferro gaudet pinxisse Gelonus. Sangainem equinum bibebant cum lacte. Idem Vir. Bisaltæ quo more solent, acerq; Gelonus, Quum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum, Et lac concretum cum sanguine potat equino. Sidonius: Aut ad paludicolas Sicambros, aut

ad Caucasigenas Alanos, aut ad Equimulgas Gelonos. Sunt præterea sagittarij. Virg. li. 8. Hinc Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos Finxerat. Multas singuli habet vxores. Valler. Flac. lib. 7. Argo. Hei mihi vel sæuo coniux nó vna Gelono. De hostiũ cutibus sibi indumenta, & equis tegmina conficiunt. Contenti viuunt suis finibus. Hor. lib. 2. Car. Intraque præscriptum Gelonos Exiguis equitare campis.

Getæ nullos habent in agris limites, sed fruges liberas & communes. Hor. lib. 3. Car. Viuunt & rigidi Getæ, Immetata quibus iugera liberas Fruges & Cererem ferunt, Nec cultura placet longior annua. Gaudent sagittis & pharetris. Ouid. lib. 5. Trist. Iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis. Integuntur ferarum pellibus. Idem Ouid. lib. 4. de Ponto. Hic mihi in Euxino bis tertia ducitur ætas Littore, pellitos inter agenda Getas. Bibunt & equinum sanguinem permisto, lacte. Sido. Solitosq; cruentum Lac potare Getas, & pocula tingere venis. Non vescuntur carnibus. Solebant olim mortuis viris vxores interficere. Ouid. de Getis scribit: In quibus est nemo, qui non Coryton & arcum, Telaq; Viperea lurida felle gerat: Vox fera, trux vultus, verissima mortis imago, Non coma, non vlla barba resecta manu. Dextera non segnis fixo dare vulnera cultro, Quem vinctum lateri barbarus omnis habet. Mortem suorum lætitia prosequebantur.

Garamantes matrimoniorum expertes, passim cum feminis degunt, nullas certas habent sedes. Sub ciliciis semper agunt. Mulieres seruilia vbique ministeria semper faciunt.

Gamphasantes nudi prœliorumque expertes, nulli externo congregantur. Obuios quosque fugiunt, ac reformidãt. Habitant in parte Libyæ.

Germani feminas quasdam fatidicas tanquàm deas habuerunt. Magnas olim ferebant lanceas & hastas, angusto & breui ferro, quas frameas vocant. Hoc telo & scuto contenti erant equites. Pedites & missilia spargebant nudi, aut sagulo leues. Scuta lectissimis coloribus distinguebant. Corpora suorum etiam in duellis prœliis referebant. Scutum reli-

quisse præcipuum erat flagitium. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumebant. Nec regibus infinita erat ac libera potestas. Neque animaduertere, nec vincire, nec verbera re quanquam, nisi sacerdotibus licebat. Ad matres & coniuges ferebant vulnera. Nec illæ numerare, nec exigere plagas pauebant. Cibos & hortamina ferebat pugnantibus, adeò vt memoriæ prodatur, quasdam acies inclinatas, & iam labantes, à feminis restitutas constantia precum, & obiectu pectorum. Nec earum consilia aspernabantur. Mercurium colebant, cui certis diebus humanis litabant hostiis. Herculem & Martem concessis animalibus placabant. Lucos & nemora consecrabant, deorumq; appellabant nominibus. Auspicia & sortes obseruabant maximè: equorum quoque præsagia & monitus experiebantur, obseruatis eorundem hinnitibus. Nec vlli auspicio maior habebatur fides. De minoribus principes consultabant, de maioribus omnes; ita tamen vt ea, quorum penes plebem arbitrium erat, apud principes pertractarentur. Dierum numerum non computabant vt nos, sed noctium. Silentium per sacerdotes, quibus ius erat coercendi, imperabatur. Rex vel princeps dicturus audiebatur magis auctoritate suadendi: quàm iubendi potestate. Si displicebat sententia, fremitu aspernabantur: si placebat, frameas concutiebant. Erat distinctio poenarum ex delicto. Proditores & transfugas arboribus suspendebant. Ignauos, & imbelles, & corpore infames cœno, ac palude, iniecta insuper crate mergebant. In leuiori bus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumq; numero conuicti multabantur. Principes, qui iura per pagos vicosq; reddebant, nihil neque priuatæ rei, nisi armati agebant. Nemini tamen prius licebant arma capere, quàm ciuitas probasset. Tunc autem principum aliqui, vel pater, vel propinquus scuto frameaq; iuuenem ornabat. Hæc erat apud illos toga, hic primus iuuentæ honos. In acie turpe principi à suis virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non æquare. Infame verò & per omnem vitam probrosum ducebatur, si quis superstes discessisset relicto principe. Princeps pugnabat pro victoria, comites pro principe. Si aliqua ciuitas longa pace aut otio torpuisset, earum indige-

næ adolescentes petebant vltrò eas nationes, quæ bellum aliquod gererent: quia ingrata erat genti quies. Pigrum & iners putabant sudore acquirere, quod potuisset parari sanguine. Dum cessabant à bellis, non multum venatibus, plus per otium transigebãt dediti somno ciboq;. Fortissimus quisque feminis senibusq; & infirmissimo cuiq; rei domesticæ curam delegabat, ipse quiescens. Gaudebant finitimarum gentium donis. Nullas habitabant vrbes, nec patiebantur inter se iunctas ædes. Colebant discreti ac diuersi, vt fons vt campus, vt nemus placuerat. Vicos locabant, non tamé connexis aut cohærentibus ædificiis. Suam quisque domum spatio circundabat, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitia ædificandi. Apud illos nullus erat cæmentorum aut tegularum vsus. Materia ad omnia vtebantur informi, & citra speciem, aut delectationem. Aperiebant & subterraneos specus, quos multo fimo onerabant, suffugium hiemi & receptaculum frugibus. Tegumen omnibus erat sagum, fibula vel spina consertum. Locupletissimi veste distinguebantur, non fluitante, vt Sarmatæ & Parthi, sed stricta & singulos artus exprimẽte. Gerebant & ferarum pelles. Nec alius feminis quàm viris erat habitus, nisi quòd feminæ sæpius lineis amictibus velabantur, eosque purpura uariabant & partem vestis superioris in manicas non extendebant, nudæ brachia & lacertos. Contenti erant singulis uxoribus exceptis paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem multas ducebant. Dotem non uxor marito, sed vxori maritus afferebat. Intererant parentes, & munera probabant, non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus noua nupta comere tur, sed boues, scutum cum framea & gladio. In hæc mutuera uxor accipiebatur, atque inuicé ipsa armorum aliquid uiro afferebat. In ipsis auspiciis matrimonij nupta moneba tur uenire, sed laborum periculorumq; socia, idem in pace, idem in prœlio ausura passuraq;: Hoc iuncti bones, hoc pa rans equus, hoc data arma denunciabant. Litterarum secreti uiri pariter ac feminæ ignorabant. Pauciſsima erant adulteria. Adulteram accisis crinibus nudatam coram propinquis maritus expellebat domo, & per omnem uicum uerbere agebat. Nemo illic uicia ridebat. Infantes nudi erant in domi

bus Sua quèmq; mater uberibus alebat), nec ancillis, aut nu
tricibus delegabantur. Nullum erat deliciarum discrimen
inter dominum & seruum. Inter eadem pecora, in eadem
humo degebant. Sera iuuenum Venus: nec nisi iam proue-
ctis ætate & uiribus concedebantur matrimonia. Sui cuique
liberi erant heredes sine testaméto parentum. Si defuissent
liberi, succedebant propriores cognatione, Conuictibus
& hospitiis indulgebãt amicissimè, adeò ut nefas haberetur
quencũque mortalium arcere tecto. Hospites externos pro
fortuna quisq; paratis excipiebãt epulis. Abeuntibus si quid
poposcissent, moris erat concedere. Separatæ singulis se-
des, & sua cuique mensa Diem noctemq; continuare potan
do nulli erat probrum. Crebræ in compotationibus rixæ,
quæ sæpius cæde & uulneribus, quàm conuiuiis transige-
bantur, Postea tamen conciliabantur facilè, & deponebant
inimicitias. Nuda erat omnium mens, & secreta pectoris
aperiebant licentia ioci. Potus erat his humor ex hordeo
aut frumento in similitudinem uini corruptus. Cibi simpli-
ces agrestia poma, recens fera, & lac concretum. Famem
explebant sine apparatu & blandimentis. Aduersus sitim non
eadem temperantia. Spectaculorum genus habebant hoc
unum. Nudi iuuenes quibus id ludicrum erat, inter gladios
& frameas saltu se coniiciebant. Exercitatio parabat artem
ars decorem. Aleam sobrii inter seria exercebant, tanta lu
crandi perdendi ue temeritate, ut quum omnia defecissent,
extremo ac nouissimo iactu de libertate, & de corpore con
tenderent: Victus uoluntariam subibat seruitutem, & quam
uis iunior ac robustior, alligari tamen se ac uenire patieba-
tur. Seruos huius condicionis percommertia tradebant, ut
se pudore uictorie exoluerent. Verberare seruum ac uincu
lis & opere exercere, infrequens erat & rarum. Solebant
tamen occidere, non disciplina & seueritate, sed impetu, &
ira, ut inimicum. Fœnus & usuras nesciebant. Agri pro nu
mero cultorum per uices ab uniuersis occupabantur. Fune
rum nulla erat ambitio. Corpora clarorum uirorum certis
lignis cremabantur. Struẽ rogi nec odoribus, nec uestibus
cumulabant. Sua cuique arma iniiciebantur. Sepulcrum ce
spes erigebat. Monumentorum arduum honorem aspernã-

bantur. Lamenta & lacrymas citò ponebant, dolorem ac tri
stiam tardè. Fœminis honestum erat lugere, uiris meminisse.
Hæc præcedentia de Germanorum moribus collegimus ex
Cor. Tacito. Priusquàm pubertatem attigissent, nesciebãt
operimenta, corporum nuditate gaudentes. Latrociniis nõ
abstinebant. Crudis quandoque uescebantur carnibus. Fe-
minarum congressus ante uicesimum annum sine probro nõ
appetebant. De his Seneca: Quid, inquit, Germanis ani-
mosius? quid armorum cupidius, quibus inascuntur inutriũ
turq; quorum una illis cura est. alia negligentibus? Quid
induratius ad omnem patientiam? Hos tamen Hispani, Gal
liq; necnon Asiæ, Scythiæq; molles bello uiri antequàm le-
gio uisatur, cedunt ob nullam rem aliam oportunos, quàm
ob iracundiam. Horatius Germanos uocat Cæruleos, pro-
pter Cæsios oculos. Nam qui sub septentrione agunt im-
manibus sunt corporibus, candido colore, directo capillo &
rufo, cæsiis oculis, & multo sanguine. Qui uerò ad axem me
ridianum uergunt, breuioribus sunt corporibus, colore
fusco, capillis uibratis, oculis nigricantibus, cruribus inua
lidis, sanguine exiguo.

Gymnites Aethiopiæ nudi degunt.

Cor. Tacitus ait Cattis Germaniæ populis dura esse cor-
pora, strictos artus, minacem uultum, & maiorem animi
uigorem. Multum habent rationis ac solerciæ. Præponunt
electos, audiunt præpositos. Noscunt ordines, intelligunt
occasione, differunt impetus, diem disponunt, uallant no-
ctem. Fortunam inter dubia, uirtutem inter certa numerãt.
Plus reponunt in duce, quàm in exercitu. Oblato elephan
ti pretio pudicitiam amatoribus substernunt feminæ, nullo
inde præfloratæ famæ dispendio. Virgines quum esse nubi-
les cœperint, in publicũ à parentibus producuntur, accur-
rente iuuenum multitudine, ex qua datur illis optio eligen
di, quem uirum uelint.

Gymnosophistæ torporem animi atque otium oderant.
Nudi degebant in siluis, ab exortu ad occasum perstabant
contuentes solem immobilibus oculis. Feruentibus arenis
toto die alternis pedibus insistebant. Apud eos omnes ado-
lescentes ex diuersis locis & officiis conueniebant ad cibũ.

Magistri perrogabant, quid frugis ab ortu ad illud diei tempus feciſſent. Qui nihil habebant, quod offerrent, impraſi foras ad opus trudebantur.

Non erubeſcebant Græci vinum bibere vnguento miſtũ. Mendacij notam præter ceteros mortales ſibi compararunt. Claruerunt tamen ingenio, laudis auidiores, quàm pecuniæ. Vnde Horatius in arte: Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Muſa loqui, præter laudem nullius auaris.

Getuli inſidunt equis inornatis. Lucanus: ſemperque paratus Inculto Getulus equo.

Gnidanum populorum Africæ vxoris fimbriarum copia perſtrepunt. Pretium id concubitus eſt. Quò pluribus quę que viſitur exculta, eò plauſibilior eius forma.

Galli ſagittas helleboro collinebant, quòd iis transfixæ feræ multò viderentur ad cibum delicatiores. Reſcindebat tamen partes, quæ ambibant vulnus, propter hellebori cõtagium. Cicero ſcribit, Gallos iuſiurandi, ac deorum religione non commoueri. Nam ceteræ gentes inquit, pro religionibus ſuis bella ſuſcipiunt: Galli contra omnium religiones. Quin imò & cum diis immortalibus bella geſſere, & impetu hoſtili Delphicum oraculum inuadere ſunt auſi. Si quando verò metu perciti propiciandos deos arbitrantur, humanis hoſtiis templa fœdant. Strabo tamen ait Gallos eſſe ſimplices, & nulla morum malignitate. Vnde Martialis: Et tumidus Galla credulitate fruar. Cæſar Gallorum conſilia inceſſit vt ſubita & repentina. Sed & Gallos omnes deditos religionibus tradit, verùm affectos grauioribus morbis, aut periculis homines pro victimis immolare conſueuiſſe. Hominẽ præterea diuinationi deſtinatum in tergo feriẽtes, ex ipſo impatientiæ & torquendi modo vaticinia concipiebant. Quoſdam ſagittis configebant, patibulo etiam in ſacris ædibus ſuffixos. Arbitrabantur iniuper ſe prognatos a Dite patre. propterea temporum ſpatia metiebantur, non dierum, ſed noctium numero. Veſtes ferebant intonſas, variiſq; coloris, quas Braccas vocant. Dicti ſunt Galli à nitore lactis colore, qui Gala dicitur: quòd eorum corpora lactis inſtar albeſcerent, ob vehementum hiemem. vnde Virg. Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla Auro innectuntur.

Mantuanus: Ignea mens Gallis & lactea corpora nomen A candore datum. Veterum Gallorum mores longè diſcrepãt ab his, qui nunc viuunt. Liberos enim ad conſpectum ſuũ venire prius non patiebantur, quàm per ætatem adoleuiſſent, ac ſubeundis militaribus periculis eſſent idonei. Viuentes amicis mutuò concedebant, quæ apud inferos creditoribus exoluerent debitores. Viri quantas ab vxore pecunias nomine dotis accepiſſent, tantundem domeſticarum fortunarum æqua æſtimatione cum dote conferebant. quid quid inde fructuum ſuccreſcebat, aſſeruabatur, eratq; eius, qui alteri fuiſſet ſuperſtes. Viri in vxores ſicut in liberos vitæ & necis poteſtatem habebant. Si qua veneficij fuiſſet cõuicta, à mariti ſui propinquis incendio aliisq; cruciatibus conſumebatur. Quę viuentibus cara fuiſſet, cum eiſdem defunctis in funere cremabantur, vel ipſa etiam animalia, De rep. niſi in publicis conciliis, nemini licebat loqui. Qui victimus in concilium venerat, morti dabatur. Ei, qui tumultuarius eſſet, miniſter publicus veſtes reſcindebat, adeò vt reliquæ partes prorſus eſſent inutiles. Prolixas nutriebant comas. Veſtes auro pictas geſtabant, & hirſutis vtebantur ſagulis. Promiſſis vtebantur feminalibus. Pro tunicis ſciſſos gerebant amictus, vix pudenda natesq; velantes, lana quidem aſpera, & oblongis villis. Vnde Martia. Me pinguis Gallia veſtit. Et lib. 4. Accipe Sequanicæ pinguem textri cis alumnam. Haſtas alij, alij arcus, plerique fundas, nonnulli fuſtes, in bella ferebant, oblongisq; vtebantur gladiis. Humi corpora reſupinabant ad quietem. Strabonis ætate ſtramentis ſedentes cenitabant. Lacte & ſuilla carne veſcebantur, feroci omnes ingenio. Ducebantur maiore belli, quàm agrorum ſtudio. Torques aureos penſiles collo portabant. Victoria efferebantur, ſtupebant victi. Eorum (quos in bello cecidiſſent) capita equorum ſuorum ceruicibus appendebant. Mercurium præter ceteros deos venerabantur, quem omnium artium prædicabant inuentorem. Ituri in pugnam, quidquid manubiarum inde retuliſſent, vouebant Marti. Fraudantes aliquid ex præda, graui ſupplicio punie bant. Nullum abſque philoſopho faciebant ſacrificium: exiſtimabant enim, per diuinæ naturæ conſocios ſacra fieri

oportere tanquàm diis propinquiores. Horũ interceſſione, bona à diis cenſebant petenda quorum conſilio in bello & pace vterentur. Vnde & Druydæ vetuſtiſſimi eorum ſacerdotes, ſolebant curare ſacrificia publica & priuata. Religiones itẽ interpretari, adoleſcentes diſciplinis inſtituere, rerũ naturaliũ cauſas ſcrutari, de cæde, de finibus, ceteriſq; cõtrouerſiis agnoſcere, ita vt ſi quis decreto nõ ſteriſſet, et dem ſacrificiis interdicerent. Sacerdotes ipſi hominum con greſſum, & ſermonem declinabant, ne contagione polluerentur. Vnus omnibus præerat, in cuius defuncti locum, ſuffragio alius ſufficiebatur. Animas credebant non interire, ſed in alia migrare corpora. Multa de ſideribus diſputabant, de mundi & terrarum magnitudine, de rerum natura & poteſtate. Tanta fuit Gallicarum mulierum virtus, vt in ter infeſtas ciuilis furoris acies quandoq; ſe immiſerint, & lacrymis precibuſq; obliterata diſcordia pacem procurauerint. Propter ea quum de bello aut pace conſultabant, mulieres adhibebantur. Hæ ſi qua incidiſſet controuerſia, ſedebant arbitræ. Vehiculis vtebantur, quæ Eſſeda vocamus, apud Celtas primum repertis. Virg. Belgica vel molli melius feret Eſſeda collo. Sylius ait, Celtas ex vacuis mortuorum parentum capitibus inauratis pocula ſibi factitaſſe, hæc eius verba: At Celtæ vacui capitis circundare gaudent oſſa (nefas) auro, & menſis ea pocula ſeruant. Quamuis autem Galli artium & diſciplinarum ignari à pleriſq; iudicati ſint, antiquius tamen apud ipſos quam Latinos aut Græcos floruerunt literæ. Nam vt ſcribit Beroſus, anno 1111. Ninj litteris & legibus Celtas formauit Samothes Dis cognomento, & Celtiberos Tubal, à quibus demum mille poſt annis Græci ſuas acceperunt, non à Cadmo: nam quas primum aduexit rudes paullò ante excidium Troianum Cadmus quintus, eas à Galatis traxerat, quas Galatæ & Mæones prius à Gallis ſuſceperant. Non ergo Galli à Græcis, ſed potius à Gallis Aſia & Græcia cum coloniis etiam litteras & diſciplinas ſuſceperunt. Aliquot deinde annis poſt repertum litterarum vſum regnauit apud Celtas Sarron, qui vt hominum tum recentum ferociam contineret, publica primus inſtituit gymnaſia, à quo Celtarum theologos &

philoſophos vocauerunt Sarronidas. Quin etiam dea illa dicendi præſes Pytho nomine, quam alij Suadam, Suadelã Leporem, Flexanimam, Græci Pſychagogem vocant, maximi loco numinis habita eſt apud Gallos. Quo tempore Romani longè lateq; imperabant, nulla gens vixit Romano populo magis formidoloſa. Cum nulla vnquam gente Romanus ipſe populus intra extraq; Italiam maiore hominum ſtrage, maioribus ducum & exercituum periculis debellauit. nam licet ex eorum exercitu centum hominum millia quandoque deſiderata ſint, nihilominus tamen animoſi pugnam acrius inſtaurabant, pudorem vlciſcebanrur, ad vnum interfici, aut interficere volente. Certarunt Romani cum finitimis de principatu, cum Carthaginenſibus de Imperio, cum Gallis de vita ſemper. De his Strabo libro 4. Vniuerſa, inquit, natio, quam hæc ætas Gallicam nominat, Martis ſtudio, & animorum ardet impetu, conſerendæ pugnæ alacritate impigra, ſemperq; ſpectantes in Boream, aut Oceano propiores, conſerendis pugnis ſunt audaciores. Florus de Senonibus ſic inquit: Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hæc ipſa corporum mole perinde ac armis ingentibus adeò omni generi terribilis fuit, vt planè nata ad hominum interitum & vrbium ſtragem videatur. Hi quondam ab vltimis oris & cingente omnia Oceano ingenti agmine profecti, quum media vaſtaſſent, poſitis inter Alpes & Padum ſedibus, ne his quidem contenti per Italiam vagabantur. Romam quin etiam aggreſſi vniuerſum populum in Capitolium ſe ſuaq; omnia recipere compulerunt. Quaquauerſum tranſibant, non fulminantes, ſed planè fulmina videbantur, dolebantq; expertem cruoris victoriam ſi ſibi concedit, ac ſine ruina tranſitum patere. Titus Liuius auidas armorum Gallicas gentes ſemper. fuiſſe ſcribit. De his etiam Trogus apud Iuſtinum lib. 4. Galli, inquit, abundanti multitudine, quum eos non caperent terræ quæ genuerant, trecẽta millia hoium ad ſedes nouas quærẽdas, velut peregrinarũ miſerũt Ex his enim portio in Italia conſedit, q & vrbẽ Romã captã incendit: & protio in Illyricos ſinus per ſtrages Barbarorũ penetrauit, & in Pãonia cõſedit. Gẽs Aſpera audax, billicoſa, q prima poſt Herculẽ Alpiũ inuicta

iuga, & frigore intractabilia loca transcendit. Ibi domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu, diuisis agminibus alij Graeciam, alij Macedoniam, omnia ferro proterentes, petiuere. Tantusq; terror Gallici nominis erat, vt etiam reges non lacessiti vltrò pacem ingenti pecunia mercarẽtur. Libro 10 xxv. ait: Ea tempestate Gallorũ iuuentus tantæ fecunditatis fuit, vt Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique; neq; reges Orientis sine mercennario Gallorum exercitu vlla bella gesserunt, neq; pulsi regno ad alios, quàm ad Gallos confugerunt. Tantus terror Gallici nominis, siue armorũ inuicta felicitas erat, vt aliter neq; maiestatem suã tutam, neq; amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur.

Hyperborei, septentrionales populi, excoriatas belluarũ pelles habent, pro uestimentis. Virg. lib. 3. Geor. Talis Hyperboreo septem subiecta Trionis, Gens effræna virum Riphæo tunditur Euro, Et pecudum fuluis velantur corpora setis. Annoso viuunt æuo. Domus iis nemora, luciq;, & deorum cultus. Discordiam & omnem ægritudinem ignorant, viritim gregatimq; degentes. Satiati vita indulgent epulis & voluptatibus. Demum ex quadam rupe in mare desiliunt. Frugum primitias Delon mittebant Apollini. Viuunt annis mille.

Heruli populi nudi pugnabant, verenda corporis dum taxat operientes, siue vt expeditius pecucerent, siue vt illatum ab hoste vulnus viderentur nihili facere. auctor Paulus Diaconus.

Hedui olim dicti sunt fratres Romani. Corn. Tacitus ait, Heduos omnium primos senatorum in vrbe ius adeptos fuisse, datumq; id fœderi antiquo: quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo R. vsurparent.

Hammonii, populi Africæ, dispersis tuguriis habitant. Medium nemus pro arce habent, triplici muro circundatũ.

Hyporeæ Aethiopiæ populi atri coloris, tota corpora rubrica illinunt.

Hellusii & Oxiones Germaniæ populi erant, ore & vultu humano, reliquo corpore similes feris: auctor Corn. Tacit.

Hesseni populi in occidentali Iudææ parte, viuunt sine femina, omni Venere abdicata, & sine pecunia. Tanta libertatis ducuntur auiditate, vt principem unum solumq; fateantur Deum. Speciem mortis nullam expauescunt. Cognatorum negligunt supplicia. Amicorum interitus non magnifaciunt. Animas putant immortales, quas aiunt à corporibus absolutas, tãquam è longa & graui seruitute, lætitia persundi maxima, & ferri sublimes, vltraq; Oceanum degere in locis peramœnis, qui nulla infestantur intemperie.

Apud Hebræos lege cauebatur, ne hostem insepultum quidem relinquerent. Doctrina his fuit secretior, quasi diuinitas quædam, ut Mosis uolumina, & prophetarum uaticinia docent.

Hirpiæ familiæ fuerunt in Agro Phaliscorum, quæ annuo sacrificio, quod fiebat in Soracte monte, super ambustã ligni struem ambulantes non comburebantur.

Hispani quondam oblectabãtur capillorum longitudine. Vnde Martial. Hispanis ego contumax capillis. Crinem sibi sine vllo artifice formosi quatiebant, non aliter quàm iubam generosa animalia. Historici scribunt Hispanos inquieto esse ingenio, auidoq; in nouas res. Olim hostem adoriebantur punctim magis, quàm cæsim. Propterea gladiis utebantur breuitate habilibus mucronatisq;. Ibant in bellum in duti prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus.

Heptacometæ, Barbari sunt in Ponti regione, quorum nonnulli super arbores degunt, alij in turribus.

Hircani, canes nutriunt quibus obiiciunt mortuus. Venatibus: abundant tigribus: teguntur seminibus: plerique marinis muribus sustentantur.

Homolotti, populi dissecto in minimas particulas boue fœdus iungunt.

Heniochi, populi in Ponto, gaudebant humanis carnibus.

Halisones, Scythiæ populi uescuntur cæpe, lente, allio, & milio.

Indi, uxores plurimas habent. Apud eos lex est, ut uxor carissima cum defuncto marito cremetur cum uestimentis

& pristino habitu, quod Proper. lib. 3. laudat his uerbis:
Felix Eois lex funeris una maritis, Quos aurora suis rubra
colorat equis: Nanque vbi mortifero iacta est fax vltima le
cto, Vxorum fusis stat pia turba comis. Et certamen habet
leti, quæ uiua sequatur Coniugium: pudor est non licuisse
mori. Ardent uictrices, & flammæ pectora præbent, Im
ponũtq; suis ora perusta viris. Vinum conficiunt ex palmis,
ex castaneis oleum. Arboribus suis uescuntur. Arundines
habent amplitudinis arboreæ. Pane utuntur hordeaceo.
Corpora usq; ad pedes carbasis uelant. Soleis pedes, capita
linteis uinciunt: lapilli ex auribus pendẽt. Brachia & lacer
tos auro colunt. Tela, quæ sagittatores excutiunt, sunt fe
rè triũ cubitorũ, ferriq; tanta ui, ut neq; clypeus, neq; tho
rax, aut aliud pectoris munimẽtũ queat obsistere. Ante expe
ditionẽ Liberi patris, nullas habebãt domos, nullas urbes,
nulla deorum immortalium templa, nullã sacrorum curã. Vi
uebant in plaustris. Tegebantur ferarum pellibus. Victi de
mum à Libero patre ædificarunt urbes, leges acceperunt,
templa construxerunt, armis insueuerunt. Coluerunt Her
culem Gigantis nomine. Iustitiam tanto obseruarunt cultu,
ut exteras gentes nunquam appetiuerint bello. Defunctis
sepulcra non erigunt. Expertes sunt seruitutis. Capillum
curant. Mentum habent intonsum, reliqua facie depilata.
Furti se alligasse, scelus apud eos nefarium. Litem rarò mo
runt. Testibus non indigent, aut obsignatione ulla. Vinum
nesciunt, præterquam rei diuinæ causa. Potus illis exotri
za, ex hordeo ferè cibus. Incolumitatẽ exercitio quærunt
& perfrictionibus. Strigiles ex hebeno corporum expoli
tioni adhibent. Venerantur inter deos Iouem pluuium,
Gangem fluuium, Indigetes genios. Si à rege abluantur ca
pilli, festa dies agitur. Lunæ cursu tempora metiuntur. To
tum iter odoribus complent, per quod rex transiturus est.
Eius lecticam sequuntur armati corporisq; custodes. Apud
eorum sapientes occupare fati diem pulchrum est, & uiuos
se cremari iubent: exspectatam mortem pro dedecore vitæ
habent, nec ullus corporibus honos redditur, quæ sene-
ctus soluit. Deos putant quidquid colere cœperunt, arbo-
res, maximè, quas uiolare capitale est. Rex ubi se publicè vi

sendum præbet, præcurrunt cum argenteis turibulis mini-
stri, qui vniuersum iter odoribus vaporant. Ipse autem ge
statur lectica, margaritis hinc inde propendentibus. Lucet
amictus auro & purpura. Lecticam muniunt corporis custo
des, circumpendentibus auiculis, quas ad hoc imbuunt.
Regia fulcitur auratis columnis, quæ nulla non hora patet
volentibus. Vbi rex incumbit ornamento capitis, tunc ad
mittuntur legationes, & reddũtur populis iura. Si quando
prodire velit in venationem, feræ leporariis incluse confi-
ciuntur in conspectu meretricum. Si aliquanto longius eun
dum sit, meretrices ipsæ vectantur curru, quem ducunt ele
phantes. Impudicis & prostitutis mulieribus vti solent, dũ
volunt vacare genio. Itaque relictis domi vxoribus illas si-
bi ascisciunt, non prolis, sed voluptatis gratia. Vxores ve
rò adhibent in rebus honestis tantùm, vbi scilicet, aut pro
li vacant, aut præter modum non lasciuiunt, ne nimio luxu
corrumpant, quas esse pudicas volunt. Nec vnquam per-
mittunt geniales illas & liberas voluptates coram vxoribus
exerceri, quæ aliquam pudicitiæ iacturam afferre possunt.
Vbi somni tempus accessit, regem vino grauem, dormien-
temq; cubiculo inferunt pellices, Diis noctium & tene-
brarum patrio ritu aduocatis cum cantu. Filij senio confe-
ctos patres interficiunt, & eorum carnibus vescuntur. teste
Herodoto. Matronæ celebres sunt pudicitiã. oblato tamẽ
elephanti pretio, pudicitiam amatoribus substernũt, nullo
inde præfloratæ famæ dispendio. Virgines quũ esse nubiles
cœperunt, in publicum à parentibus producuntur. Accur
rente adolescentum multitudine datur illis optio deligendi
sibi virum ex tota iuuenum turba. Fœnus ignorant. Maximũ
opinantur nefas, vel iniuriam pati, vel facere. Proinde
nullã illis syngrapha, nullum depositum. Quum quis ægro
tat, familiares illum interimunt, ac demum epulantur. Nul
lam animantem occidunt. Nihil serunt herba, victitant,
domos parandas non putant. Coitus in propatulo est, sicut
pecorum. Herod. lib. 5. cap. 5.

Iberi, iacula ferebant, multis hamis ferreis conserta. fe
rinis erant moribus. neque enim abnuebant ex lotio, quod
intra cloacas diutius asseruatum esset, lauacra comparare:

retrimentis denique contusis dentifricia sibi, & coniugibus quærentes. Cubitabant humi. Res plurimas minimi faciebant, & auaritiæ studio semel tantum interdiu cibum capiebant. Erant & Hydropotæ. Vestibus vtebantur pretiosissimis. Mortui tot erigebant obeliscos, quot hostes interfecerant illi, dum viuerent. Maleficiorum infamia laborarunt. Seruos mactabant, & inde concipiebant vaticinia. Mirandula in hymnis. Afflatos Lunæ seruos mactabat Iberus, Captiui & iugulo fundebat carmina vates.

Ionum mollities quondam abiit in prouerbium. Primi vnguenti, coronarumq; in conuiuiis dandarum, & secundæ mensæ consuetudinem repererunt. Hinc Horatius: Mortus doceri gaudet Ionicos Matura virgo.

Apud Iudæos quinquagesimo quoque anno debitæ relaxabantur pecuniæ, donabanturq; serui libertate. Quæ vilius væniissent, redibant ad possessores.

Lotophagi, populi Africæ, vescuntur fructu arboris, quæ dicitur Lotos. Politianus in Nutricia: Nec faciles Ciconas fortunatosque ciborum Lotophagos. Solebant hi populi suos defunctos in mare obiicere, parum interesse asseuerantes, humo ne, an aqua, an igne dissoluerentur.

Læstricones, humana carne vescebantur.

Himantopodibus, natura est serpendo ingredi.

Virgilius libro 9. de moribus Latinorum sic ait: Canitiem galea premimus, semperq; recentes Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto. Idem: Durum à stirpe genus natos ad flumina primum Deferimus, sæuoq; gelu duramus & vndis.

Leuci, populi Galliæ Belgicæ, & Remi fuerunt optimi iaculatores. Lucanus lib. 1. Optimus excusso, Leucus, Remusq; lacerto.

Lacedæmonii, summi bellatores, non cornuum tubarum ve signis, sed tibiarum modulis in prœliis vtebantur, non vt excitarentur, aut euibrarentur animi, sed contrà, vt moderatiores, modulatioresq; fierent: nihil in principiis prælliorum ad salutem virtutemq; aptius rati, quàm si permulti sonis mitioribus, non immodicè ferocirent. auctor Gellius. Furandi vsum concedebant impunè, non ob turpia lucra,

neque ad sumptum libidini præbendum, comparandam ve opulentiam, sed pro exercitio, disciplinaq; rei bellicæ, quòd & furandi solertia, & assuetudo acueret animos adolescentium, & ad insidiarum astus, & uigilandi tolerantiam & obrependi celeritatem aptos, procliuesq; redderet. Regibus suis augures dabant assessores. Ante belli congressum Amori sacrificabant, quòd is vnus victoriam pariat. Lex erat, vt senes iam effœti, qui desperabant prolem, eligerent aliquē ex adolescentibus, eumq; ad vxores suas admitterent, & natum inde partum vt suum & legitimum educarent. Gerebāt in scutis suis Lambda litteram, insignoris notæ gratia. Solebant insuper liberorum suorum indolem experiri publicè verberibus admotis, illosq; hortari, ut flagellorum ictus fortiter perferrent: item lacertos, ac semianimes rogare, vt vulnera præberent vulneribus. Vnde Cic. Cretum qui dem leges, inquit, itemq; Lycurgi, laboribus eruditunt iuuentutem, vt nando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Spartæ pueri ad aram verberibus sic accipiuntur, vt plerisque sanguis à visceribus exeat. Nonnunquam etiam quum ibi essem, audiebam ad necem, quorum non modò nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem. Literas modò pro necessitate discebant: Reliquarū disciplinarum nihil omnino admittebant. Parebant honestè, labores constantissimè tolerabant, pugnando vincere uolebant aut interire. Furabantur impunè ex cibariis, quidquid uellēt. Sordidi tamen erant, & præparci omnes. Nam parua, & pretij propè nullius magnifaciebant & admirabantur, ardebantq; auiditate pecuniæ. Erant & inhospitales: siquidem non omni tempore licebat peregrinis adire Spartam, sed præstitutis diebus. Quoscunq; plectendos censebant, nocti plectebant. auctor Herodotus. Præcones, tibicines, & coqui in paterno succedebant artificio, & coquus ex coquo, tibicen ex tibicine, præco ex præcone gignebatur, omnes q; perseuerabant in paterno opere. Ex institutis Lycurgi sponsus noctu clàm accedebat ad sponsam, extincto lumine, & cum ea quadam velut religione timidus coibat, & vereundus. Antequam rex pugnam iniret, sacrificabat Musis, quò & oratione & memoria in primis digna promerent

facinora.

Leprei populi deprehensos in adulterio, per triduum vi-
ctos circa ciuitatem ducebant, mox toto vitæ tempore ha-
bebant contemptibiles. Adulteræ uerò mulieres diebus un
decim in foro stare discinctæ cogebantur tunica perlucida
circumuestitæ.

Lacones, breuissimi erant in sermone. Propterea vulgi
uerbum erat: Facilius multò esse philosophari, quàm Laco
num sermonem imitari.

Lucani, erant admodum iusti, & hospitales. Apud eos
lege fuit sancitum, ne quis post occasum solis inuerteretur
hospitem exigeret. Quod si fecisset, agebatur reus, eiq; de
cebatur multa.

Lusitani, apti erant insidiis. Inspectis humanis extis fu-
tura coniectabant. Dextras capitorum præcisas offere-
bant numinibus. Erant Hydropotæ. Mitraci pugnam ini-
bant. Hircum habebant inter epularum delicias. Strabo
libro 3.

Lydorum mulieres passim substratæ amatoribus, hospitali
benignitate eosdem plerunque confouent, & pluribus alli-
ciunt donis, quàm ipsæ accipiant: solos tamen condignos
in fœdera turpitudinis admittunt. Priusquàm coniugiũ ini-
rent, seipsas prostituebant: si post coniugium deliquissent,
veniæ spes nulla.

Lydi primi omnium caupones fuerunt & institores. Aleæ
lusum, tesserarum & pilæ excogitauerunt. Mancipati fue
runt auguriis & diuinationum superstitionibus. Furaces
erant adeò, ut non discerent, nisi re aliqua prius sublata.
Fuerunt insuper molles & libidinosi, adeò vt non tantùm no
ctu uacarent uoluptati Venereæ, uerumetiam in mercatu la
sciuirent, fœdum opus manibus peragentes.

Lesbii, fœdissimi fuerunt in Venereis, adeò ut ne capiti
quidem parcerent. quam fœditatem excogitarunt ipsi, &
in muliere experti sunt primi. Vulgò quoque malè audie-
runt ob uanitatem. Lesbiari uerbum est irrumare, libidina
ri, & lasciuire, quod turpitudinem fellationis & irrumatio
nis, quæ per os agitur, primi inuenerint.

Libyci, quos in uenatione uel pugna elephantes attriue

rint, magnificè sepeliunt, & hymnos concinunt.

Leontinos, Siciliæ populos, quum expugnasset Phalaris,
ademptis armis ad compotationes & voluptates eos reiecit,
ne rebellionem pararent. Hinc adagium, Semper Leontini
iuxta pocula.

Lacyadæ, seu Placiadæ, populi Atticæ, raphanos in eo-
rum pudenda membra impingebant, quos habebant adulte-
rii compertos.

Lyrcæ, populi Scythiæ, venatione victitant hoc modo:
Conscensis arboribus, quas habent frequentes, insidiantur
feris. Singulis adest canis, & equus in ventrem cubare edo-
ctus, humilius subsidendi gratia. Vbi quis feram ab arbore
vidit, sagitta percutit: percussam si fugiat, conscenso equo
persequitur, comitante cane.

Massagetæ, Scythiæ populi, quum per deserta discurrũt,
equorum suorum sanguinem cum lacte bibunt. Claudia-
li. 1. in Ruff. Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes. Seneca in Oedi. Lactea Massagetes qui pocula
sanguine miscet. Lucanus: Longaque Sarmatici soluens ie
iuniabelli. Massagetes quo fugit equo, volucresq; Geloni.
Senio confectos in frusta consecant, qui intereunt mor-
bo, feris obiiciuntur in prædam. Solem præcipuè veneran
tur, cui equum immolant: reliquos deos habent neglectui.
Singulis sua sunt coniugia, sed & cum alienis congressus,
non tamen clandestini. Coeunt in propatulo. Morbo emori
turpissimum putant. Clarent equestri & pedestri militia.
Armatillis arcus, gladius, thorax, & securis ænea. Aureis
cinguntur zonis, gladiis diademati cultis, habent & aurea
equorum ornamenta. Argento carent, habent modicum fer
ri, quum ceteris metallis abundent. Insulares victitant radi
cibus herbarum. Indumenta faciunt ex arborum libris. Po
tu succo pomis expresso. Piscibus etiam aluntur. Tegumẽ
ex corporum è phocarum coriis sibi consuunt. Filij senio
confectos parentes interficiunt. Quum afficiuntur deside-
rio libidinis, suspensa ad plaustrum pharetra palàm cum mu
lieribus sine pudore coeunt. Herod. lib. 2.

Marsi, populi in Italia, à Circes filio orti, vim habuerũt
naturalem contra serpentes, & venena: adeò vt eorum sali-

ua ictæ serpentes, vt feruentis aquæ contactu fugiant. Gellius lib. 16. cap. 11. Gens, inquit, in Italia Marsorum orta fertur esse à Circes filio Marso. propterea Marsis hominibus vi quadam genitali datum, vt serpentium uirulenta domitores sint, & incantationibus, herbarumq; succis faciat medelarum miracula.

Mandi Indorum, locustis viuunt. Trecentos habent vicos. Quadragenos non excedunt annos. Eorum feminæ semel tantùm pariunt.

Menismini Aethiopiæ, viuunt lacte Cynocephalorum, quorum armenta pascunt, maribus interemptis, nisi sobolis causa.

Myconii liguritores fuerunt, & alienæ appetentes messis. Hinc adagium: Myconius vicinus, in eum, qui non vocatus ad conuiuium accedit.

Mosini, populi Asiæ Septentrionem versus, turres ligneas subeunt. Notis corpus omne præsignant. In propatulo vescuntur. Promiscuè Venerem exercent. Palam reges delignunt, vinculisque & arctissima tenent custodia.

Massyli, populi Libyæ, equos habent, quos virga, non frano gubernant. Martialis: Et Massylæum virga gubernet equum. Lucanus lib. 4. Et gens quæ nudo residens Massylia dorso, Ora leui flectit, frænorum nescia, virga. Massylienses luxu perditi, muliebrem in modum ornabantur, comis vnguento delibutis, capillisq; religatis. Mulieres tamen erant Hydropotę, vt in Mileto factum est, & quondam apud Romanos.

Molossi, populi Epiri optimos habent canes venaticos. Martialis lib. 12. Retia dum cessant, latratoresq; Molossi.

Mazax, populus prope Nasamones, peritissimus est iaculandi. Lucanus lib. 4. -æquaturusq; sagittas Mœdorum, tremulum quot torsit missile Mazax.

Magnetes, populi Thessaliæ, optimi sunt equorum domitores. Lucanus: Et Magnetes equis Minyæ gens cognita remis.

Mardi, Persarum populi, specus in montibus fodiunt, in quos se, coniuges, ac liberos condunt. Pecorum & ferarum carne vescuntur. Ne feminis quidem pro natura habitu molliora sunt ingenia. Comæ prominent hirtæ. Vestis est super genua, Funda vinciunt frontem. hoc & ornamentum capitis & telum est. Fuit hæc gens cultu vitæ aspera, & latrociniis assueta.

Macedonibus nullum fuit tam solemne militiæ munus, quàm suos sepelire. Eorum regibus lege cautum est, ne victis hostibus trophæum erigerent. Lege cauebant eos capistro cingi, qui nullum hostem interfecissent.

Mysi Deorum cultui adeò mancipati fuerunt, vt esitandis animalibus abstinerent. Viuebant melle, lacte, & caseo.

Mysorum populus vsque fuit vilis & contemptus, vt sequenti prouerbio locum fecerit, Mysorum postremus. Finitimorum postea incursationibus malè vexabantur. Hinc etiam orta paroemia, Mysorum præda, de his, qui impunè à quibusliber læduntur ac diripiuntur.

Mœdis operimenta corporum sunt Tyara, Cytaris, Pileus, Manicatæ tunicæ, Anaxyrides, & Stola. Clarent equitandi solertia. Sagittas doctè excutiunt. Reges adorant. Regum est vxores multas sibi quærere, mulieribus decorũ viros habuisse complures. Paucitas deformat: & infelicitatis genus putatur, si quaternarium non excesserint. Qui ad Aquilonem vergunt, ex frugiferis arboribus alimenta sibi conquirunt, ex tostis amygdalis panem conficientes: poma perficcant, teruntq;, inde conglobant in massas. Vino vtũtur, quod ex certo radicum genere conficiunt. Vescuntur & ferarum carnibus. nam mitia pecora negligunt.

Mosynœci, populi è lignis desiliunt in peregrinos assultatione sanguinaria.

Messenii, M litteræ nota se cognobiles præbebant. Lacedæmonii Messenios, quod iterum & iterum desciuissent, in seruitutem redegerũt, eosq; durius etiam quàm reliquos seruos tractarunt, ne denuo res nouas molirentur. Hinc adagium. Seruilior Messena.

Macæ summa capitis curiosius deradunt, relictis in medio capillis, quos succrescentes eadem cura detondent.

Machyles, populi Africę, comam in occipitio connutriunt, capillosq; decutiunt in sinistra parte. Minio linunt corpora, seq; a Troianis prognatos fabulantur.

Olim Megarenſes malè audierunt, tanquam fraudulenti, ac ficti, quòd aliud ſentirent, aliud loquerentur.

Melanchleni, populi in Scythia, nigris integuntur veſtibus. ab eſu humanæ carnis non abſtinent.

Mendeſij, populi Aegypti, capras & hircos venerantur, & caprarios præcipuo afficiunt honore.

Monomeri populi ſunt ſeptentrionales ſingulis cruribus ſaltuatim currentes, viuaciſſimæ pernicitatis. auctor Gellius.

Numydæ, ſeu Nomades mapalia ſua plauſtris circũferũt: propterea uagi vocantur à Lucano lib. 4. Alucos nauium uerſos etiam habuerunt pro tuguriis. Apud eos medius locus erat honoris locus, auctore Salluſtio. Lacte, ferina carne, & elephantis veſcuntur. Viuunt in tabernaculis. Omnis eorum vita occupatur in paſcendis gregibus. Equos regunt non fræno, ſed virga. vnde Virg. infrænos vocat Numydas. Sylius: Hic paſſim exultant Numydæ, gens inſcia fræni: Queis inter geminas per ludum mobilis aures, Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis. Vxoribus perinde ac ſeruis vtuntur. Nullas certas habent ſedes.

Nigroæ regem habent monoculum.

Norici, populi ſunt iuxta Pannoniam ferro nobiles. Martialis: Grato non pudeat referre verſu Sæuo Bilbilin opacam metallo, Quæ vincit Chalybaſq; Noricoſq; Et ferro Plateam ſuo ſonantem.

Neruij, Galliæ populi, vergentes in occidentem, Belgas quondam increpabant, quòd ſe populo Rom. dedidiſſent. Vnde à Lucano dictum eſt: Multumq; rebellis Nertius, & cæſi pollutus ſanguine Cortæ.

Naſamones, populi Africæ, naues Sirtibus illiſas, ſpoliãt. Lucanus: Quas Naſamon gens dura legit, qui proxima ponto Nudus rura tenet, quem mũdi barbara damnis Syrtis alit: nam littoreis populator arenis Imminet, & nullos portus tangente carina Nouit opes. ſic cum toto commercia mundo Naufragiis Naſamones habent. Et Mantuanus lib. 1. de Cala. Naſamonum ſingulis adſunt vxores plures, cum quibus palam congrediuntur, prætento baculo. Nuptiali cena diſcumbentium ſingulos adit noua nupta Veneris gratia.

Congrediuntur illi domo allatum donum contribuentes. Ad maiorum monumenta, futurorum ſcientiam aucupantur incubantes manibus. Fidei ſanctio maxima, idem ſibi propinaſſe poculum. Sedentium habitu mortuos aſtituunt, ipſum inter moriendum attendentes, vt ſedentes exſpirent. In diuinationibus ſua ſequuntur ſomnia. In præſtanda fide de manu alterius vterque ſumpto poculo bibit. Quòd ſi defuerit humor, collectum è terra cinerem lingunt.

Nabarhæi dediti ſunt cumulandis diuitiis. Apud eos multa dicitur publicè iis, qui rem aliquo modo imminuerint. Creſcentibus opibus augetur honos. Rara inibi ſeruitia. Miniſtris vtuntur plurimum cognatis, vel ſibi vnuſquiſque miniſter eſt. In conuiuiis plura duodenis exiccaſſe pocula ignominioſum eſt. Rex quandoque ſibi & aliis miniſtrat. Vrbes habent nullis clauſas mœnibus. Vtuntur camelis equorum vice. Perfuncta fato corpora habent ſtercoris loco. Regis cadauer in ſterquilinium deiicitur. Sol illis ſacratiſſimum numen.

Ophiogenes, populi ſunt in Helleſponto, qui ſerpentũ ictus contactu leuant, & manu poſita venena extrahunt corporibus. Plinius lib. 7. cap. 2.

Pelufiotæ non comedunt cæpe. Capillum tondent ſenescente Luna.

Pyratæ Cilices olim viuebant furto, & marinis, latrociniis.

Phœnices magnam meruerunt laudem in inuentione ſiderum, litterarum, naualiumque, ac bellicarum artium.

Pandæ, ſeu Pandæi, Indorum populi, ſoli regnantur feminis.

Pamphagi omnia mandunt.

Pſylli populi ſunt Africæ, quorum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, ex cuius odore ſopirent eas.

Pygmæi ſunt cubitales: infeſtantur à gruribus. Inſidentes arietum caprarumque dorſis & ſagittis armati, veris tempore vniuerſo agmine ad mare deſcendunt, & oua, pulloſque earum alitum conſumunt. Ternis menſibus eam confitiunt expeditionem, aliter futuris gregibus non reſiſterent. Caſas luto pennisque & ouorum putaminibus conſtruunt.

Nonnulli in cauernis degunt. Horum omnium longissimi, non longiores sunt, quam pedes duos & quadrantem.

Pandore, Indorum populi, degunt in conuallibus. Viuũt annos ducentos. In iuuenta candido sunt capillo, qui in senectute nigrescit.

Parthi, & Persæ vnguentis madent. Vinum conficiunt ex palmis. Gloriam in bibendo quærunt, & quantò plus bibũt, tantò magis sitiunt. Dediti sunt crapulis, vescuntur cicadis. Fœtido sunt halitu propter indiscretos cibos, & nimium vini haustum. Quandocunque rex ad eos proficiscitur, vnusquisque pro facultate saluratum, & cum muneribus, recipiunt natis poplitibus regum pedes osculantur. Commiscebantur suis matribus, auctore Tertulliano. nam & parentibus cum liberis stupro coire fas est. Rex latet semper sub specie cuiusdam maiestatis. Multas habet vxores, quibus alternatim concumbit. Currum eius assectantur armatorum decem millia, hastis argento coruscantibus, spiculis auro præfixis. Regij currus latera ornantur deorum simulacris. Iugum colunt gemmis. Eorum Magi nihil præter olera, & farinam in cibum recipiunt. Herodotus ait, Persas à Græcis didicisse pueris abuti. His quandoque imperauit Gallus, qui propterea vocatur auis Persica. Furta impunè permittunt. Vino hilares, de dubiis rebus consultant. Statuas non erigũt, non templa construunt, non aras, licet regem instar numinis venerentur. Conscensis montibus Ioui hostias immolant. Rem quoque diuinam faciunt Soli, Lunæ, Telluri, Igni, Aquæ, & Ventis. Nefas, & maximũ ducunt probrũ, aut vomuisse, aut egessisse corporis excrementa aliquo spectante. Liberorum disciplina ternario perficitur numero, vt equos agitent peritè, sagittas doctius excutiant, & vera loquantur. Ante quinquennium, aut quadriennium, filius non admittitur in conspectum parentis, vt si in ipsa infantia contingat puerum perire, pater minus afficiatur. Inhonestum est referre, quæ factu sunt turpia. Turpe quoque, quàm cuiquam debere. Item in flumen vrinam profudisse, aut spuisse, vel omnino manus abluisse, piaculum opinantur. Fluuios enim colunt religiosissimè. Natalitiam cenam quotannis rex apponit. Eidem singulis annis ebrietas semel

permittitur. Quum Mithræ Deo diuina rex peragitur, saltat etiamnum. Equitare insuper, & saltare discunt, existimantes, illum corporis motum robori plurimum conferre. Non prius potui & propinationibus indulgent, quàm se ex pleuerint cibo. Homines amant aduunco naso, quòd eiusmodi fuisse Cyrum regem prodant annales. Vbi licentius vomunt indulgere conuiuiis, non vxores, verùm pellices admittunt. Cum regibus legitimæ mulieres ad mensam accũbunt, & vnà comessantur: at quum lasciuire volunt, meretriculas adhibent. Qui regis filius regno succedit, eius natalem quicunque in regno sunt, celebrant, simulque in posterum quotannis eãdem lucem sacris & festis vniuersa Asia prosequitur. Omnes fere sunt subnigri, vel liuido colore pallentes, caprinis oculis toruis, & supercilijs repandis, non indecoris barbis, capillisq; prolixis hirsuti. Omnes promiscuè vel inter epulas festosq; dies gladiis cincti cernũtur. Pro opibus quisq; ascisit sibi matrimonia plura, vel pauca. Nemo post satietatem superfluos accipit cibos. Abũdant inanibus verbis, magnifici, graues & tetri, minaces iuxtà in aduersis rebus & prosperis, calidi, superbi, crudeles, vitæ necisque potestatem in seruos & plebeios vendicantes. Cutes uiuis hominibus detrahunt. Nec ministranti apud eos famulo hiscere licet, uel loqui, vel spuere. Ingratos ante omnia seuerissimè puniunt. Ad iudicandum, vsurarum spectati, & alienis non indigentes consiliis, destinãtur. Vtuntur armillis & monilibus aureis & gemmis, præcipue margaritis. Feminarũ mira pulchritudo. Nihil apud eos pingitur vel fingitur, præter uarias cædes & bella. Liberos instituunt, vt non nisi uera loquantur, & à mendacio ab stineant. Mentiri turpissimum putant. Regi non licet quempiam interficere. Ab infantia utuntur pileis & tyaris. Vnde & fragilia habent capita. Corruptissimi fuerunt luxu & deliciis, &c. Qui plura de Parthis scire volet, petat Herodot. & Cælium cap. 2. lib. 5.

Pigmones uberrimos calce agros quondam fecere. Plinius.

Paramedecidæ, agreste hominum genus, Bactrianis ad occidentem coniuncti sunt. Tuguria latere primo struunt in montibus, foramine supernè relicto, unde lumen accipiunt.

Altis præmuniuntur niuibus.

Phariſæi deliciis & mollitiei minimè indulgebant. Proſequebantur quod dictabat ratio. Maiores natu venerabãtur, ut ne uerbo quidẽ læſos vellent. Fato geri omnia credebant, neque tamen liberi arbitrij poteſtatem auferebant. Iudicium Dei futurum ſentiebant. nam & animas fatebantur immortales: bonas aiebant migrare in aliena corpora, malas trã ſmitti ad æterna ſupplicia. Tantam ſuæ uirtutis concitarunt opinionem, ut numeroſi populi multitudo ad eos uidẽdos conflueret. Dicti ſunt Phariſæi ab inſtituto uitæ, quòd à ceteris abiuncti puriſſimè uiuerent. nam Phares Hebræorum idiomate interpretatur ſegregatio. Quieſcebant in anguſtis tabulis, aut etiam ſpinis, uel lapidibus, ad comprimendas corporis titillationes. Decalogum ſcribebant in membranulis, legebantque in fronte. Hæc Cælius ex Philonis commentariis.

Phaſelitæ populi in Pamphilia piſciculos ſalſos diis immolabant, & Cabro Deo ſalſamentis rem peragebant diuinam.

Pariani, populi in Helleſponto, Amorem inter Deos uenerantur.

Pedalij, Indorum populi, nihil in ſacrificiis aliud à diis petebant, quàm iuſtitiam, arbitrati ſe omnium rerum compotes futuros, ſi eam conſequerentur.

Pannonij feroces fuerunt, & idonei bello. Auſonius: Armiſeris aldui quos ego Pannoniis. Et alibi: Saluere Augustã iubeo, natumq; patremq; Imperiis grauidas qua ſeco Pannonias. Mira fuit eius gentis in uictu lautitia. Omnes cuiuſq; ætatis culinariam norunt artem. Auidiſſimi erant audiendi, ſtudendi non ita. Veſtium in patria neglectus, alibi non ita erant negligentes.

Pontici populi aduerſus frigoris iniuriam braccisutebantur. Ouidius: Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

Phigalei, qui Meſſeniis adiacent, uino adeò gaudent, ut non alibi quàm in cauponis habitent, hoſpitibus domos elocantes cum uxoribus. Hoſtilis tubæ ne in ſomno quidem ſonum perferunt.

Quodam tempore quum in Pſyllorum finibus Auſter perquàm ualidus & diuturnus flauiſſet, eoq; flatu uniuerſa eorum aqua exaruiſſet, dolore moti conſtituerunt ulciſci iniuriam illam. Propterea communi edicto omnes ſumptis armis in Auſtrum perinde, quaſi hoſtem, iure belli profecti ſunt. Atque ita profectis uentus magno ſpiritus agmine uenit obuiam, & uniuerſos cum omnibus copiis, armiſq; cumulis arenarum & montibus operuit. eaque ruina omnes ad unum perierunt. auctor Herodotus.

Romæ in publicũ egredit ogatæ cogebantur mœchę.

Rhodienſes ſacrificium quoddam peragebant, ubi res iurgiis, & uerbis malè ominatis peragebatur. Quum Dianæ Lyndiæ ſacrificabant, dies aliquot apud aram deæ conuiuia prorogabant, atque inibi perpetua manebant.

Rhegini ignaui fuerunt in rebus bellicis, animiq; præpauidi. Hinc adagium, Rheginis timidior.

Seres, populi orientales, ex ſuis arboribus depectunt lanas tenuiſſimas, quas Bombyces uermiculi aranearum inſtar conficiunt ex tenuiſſimis filis. Virg. libro 2. Geor. Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. Auſonius: Iam pelago uolitat mercator ueſtifluus Ser. Seneca: Quæ Phœbeis ſubditus Euris, Legit Eois Ser arboribus. Idem: Et quocunque loco iacẽt Seres uellere nobiles. Iuſtiſſimi ſunt, & ducenteſimum uitæ annum excedunt. Rutilas habent comas, oculos cæruleos. Frugaliſſimi ſunt, & pacatioris uitæ cultores, uitantes reliquorum mortalium cœtus. Aduenis illuc euntibus ad emenda fila, nulla ſermonum uice, rerum pretia ſolis proponunt oculis. Nihil ipſi comparant ad uectitium. De his Martianus Capella: Seres, inquit, undis aſperguntarbores ſuas, ut lanugo, quæ Sericum creat, poſſit admitti. Aliarum gentium homines aſpernantur ac refugiunt.

Scythiæ, populi domos habent uolubiles in plauſtris. Horatius libro 3. Carm. Campeſtres melius Scythæ, quorum plauſtra uagas ritè trahunt domos, Viuunt. Vnde & Lucanus eos errantes uocant libro 3. ubi ait: - tinxere ſagittas Errantes Scythiæ populi. Duodenos dies durant in fame & ſiti, uirtute cuiuſdam herbæ quæ uocatur Spartania

Strepunt equitatus gloria. Quum vident se magnopere in dulsisse potui, arcuum chordas pulsare consueuerunt, vt dissolutum voluptatibus animum ad pristinam continentiam reuocent. Vescuntur humanis carnibus. Hospites immolant, & interfectorum caluarias habent pro pateris. Vtuntur acie cuneata. Albi sunt, & animosi, propter frigidissimam regionem, quam inhabitant. Solent inter epulas hominum regionem, quam inhabitant. Solent inter epulas horum causa mortuos vocare. Sagittarum aciem tingunt viperina sanie, & humano sanguine, ad irremediabile nocumentum. Captas autem viperas, vbi iam perierunt, diebus aliquot sinunt liquescere: mox vbi satis computtuerunt, in ollam sanguinem hominis vnius totum infundunt, adobruuntque sterquilinio, vase diligenter obturato. ubi verò sanguis ipse contabuit, eximunt, & saniei viperinæ commiscent. Scythotauri furtorum licentia victum solent sibi comparare. Aduenas cædunt hostiarum loco. Scytharum plerique communia sunt omnia, præter ensem, & cyathum. Vxores itē & liberi sunt inter promiscua. Simplicissimi fuerunt olim, & æquitatis obseruantissimi. eò demum improbitatis peruaserunt, vt cunctis, ad quos accederent, nares præcidrent. Iracundi sunt. Peculiare est iis & Sarmatis, manibus defuncti viri vxores interficere. Pabulo & pecori, non arouo student. Tympana ex corio curribus suis alligant, hiemi & imbribus defendendis. Amiciuntur ferarum pellibus. Furta maximè execrantur, vt qui communia habeant omnia & immunita. Ebrietas plus nimio frequens est. Hinc Scythissare verbum, est inebriari. In solemnibus conuiuiis circumfertur ingens patera, quam nulli accipiunt, nisi qui ex hostibus aliquot interfecerunt. Nullas habent vrbes, nulla mœnia extructa. Domos secum ferunt singuli. Viuunt ex pecoribus. Simulacra, aras, & delubra non putant facienda, præterquàm Marti. Inopes sunt lignorum. propterea quum pecudes excoriant, ossa quoque carnibus denudant, & succensis ossibus carnes coquunt. Sues nolunt alere. In bello, quem primum virum ceperint, eius sanguinem potant. Quoscunque in prœlio interemerint, regi offerunt. Ablato enim capite fiunt participes prædæ, quam arripuerint. Hostium homicidas in magno habent honore. Qui nihil

præclari operis ediderunt, afficiuntur probro. Abundant vaticinatoribus, qui cum virgis diuinant. Quum rex alicuius afficit morte, omnes simul liberos interficit, illæsis fœminis. In faciendis fœderibus vinum sanguine mistum epotant. Regi nullus venalitius ministrat. Eo mortuo quinquaginta ministrorum eius strangulantur, ac totidem præstantissimi equi.

Sauromatæ, seu Sarmatæ, qui sunt inter Borysthenem & Istrum, vagi sunt, & mutant domicilia. Statius lib. 5. Sil. An iuga Pannoniæ, mutatoresq; Sauromatas quaries? Sanguinem equinum permisto potant lacte. Tanta sunt barbarie, vt pacem non intelligant. Promissa sunt barba & longis capillis: propterea vocantur intonsi. Seneca: Intonsis teritur qua via Sarmatis. Inepti sunt ad pedestrem pugnam auctore Cornelio Tacito.

Sicambri Germaniæ populi ad vtramque Rhenis ripam habitantes flauos habent capillos, quos, vbi satis creuerunt, quodam artificio in nodum complicant. Martialis lib. 1. Crinibus in nodum tortis venere. Sicambri. Claudia. Flauam sparsere Sicambri Cæsariem.

Siculi pollent acumine, & vafritia. Propterea Maternus eos acutos vocat, & Apuleius libro 11. Trilingues. Vnde Siciliztare verbum Plautinum, est astutè loqui.

Saryri nihil habent moris humani, præter figuram. Hirsuti sunt, & villosi toto corpore, gaudentq; siluarum latebris, & hominum commercia refugiunt.

Suani gentes indomitæ auri tantùm metalla fodiunt.

Sabæi ditissimi sunt siluarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum rigui mellis cæræq; prouentu. Corpora defunctorum non pluris faciunt, quàm stercora. quinetiā reges ipsos inter sterquiliniareiiciunt.

Sarbotæ, populi Aethiopiæ ex Africæ parte, dicuntur esse octonum cubitorum.

Sciopodes in maximo æstu humi iacentes resupini, vmbra pedum se protegunt.

Scoritæ Indorum piscibus viuūt, quos vnguibus dissectos sole torrent, & ita panem ex iis faciunt.

Sybaritæ, populi Calabriæ, deliciis & voluptatibus adeò

indulserunt, ut luxuriosa omnia dicerétur Sybaritica. Hinc Sybariticus luxus, & Sybaritici libelli, id est impudici. Cô uiuia celebraturi anno prius per vocatores feminas inuitabant, quò luxu, roseis gemmis, auro, vnguentis, & vestibus exquisiti impendij cultæ, omnium ora in se conuerterent. Erant & fastu præturgidi. Hinc adagium, Sybaritæ per plateas. Artes, quæ sono constant, à ciuitate reiiciebãt, ne qua ratione interpellaretur quies. quin gallos quoque in vrbe nutriri nolebant. Habebant in deliciis exiguæ staturæ homunculos, & catellos. Diuites si quando rusticarum ire vellent, curru vehebantur adeò lentè, vt diurnum iter tribus vix diebus conficerent.

Sardi, seu Sardiani, venales olim pronunciabantur quum quis ludos ederet in capitolio. Hinc adagium. Sardus venalis.

Solebant Sueui Germaniæ populi obliquare crinem, nodoq; substringere. Principes habebant ornatiorem capillum quàm plebei. Quosdam eorum mores describit Pontanus lib. 5. de stellis dicens: Heluetij, Vsipetesq;, atque efferæ corda Sueui, Queis vnum prædæ studium, ac durare sub ipsis Corpora fluminibus, teloq; assuescero dextrâ: Non vrbis, non cura domus, agri ve colendi: Venatu ducunt vitam, atque è lacte liquente: Et quod Marte sibi spoliato ex hoste pararint Bella placent, fususq; hostili è corpore sanguis.

Sabarcæ Indorum regebantur populi non regum imperio. auctor Curtius.

Sadducei dicebant mortalem esse animã, simulq; cum corporibus interire. Fatum negabant. Deum constituebant extra omnem mali patrationem, inspectationemq;.

Apud Indos duo erant Gymnosophistarum genera, Samarei, & Brachmanes: Samarei pomis, oryza, aut farina tantùm alebantur. Rex eos colebat vt deos, illorum precibus pacem regno conciliari existimãs. Existimabant animã esse in seruitute, quamdiu concludebatur corpore; liberã verò vbi separata esset: propterea voluntariam plerunque mortem oppetebant. Hos domestici beatos existimabant: eos verò, qui supererent, deflebant vt infelices.

Syri leues sunt, & rebus nouandis magnopere procliues.

Ludis præterea celebritatibusq; dediti. Perunguntur oleo pretioso, & linuntur vnguentis. Maximam diei partem in concœnationibus absumunt & potu. Masculi à XIIII. anno Fœminæ à XII. vsque ad LXV. tributo obligantur. Fortunã colunt. Proni sunt in cachinnos, & scommata. Diuino cultui satis dediti. Vnde Statius lib. 1. Sil. Quod ramis pia germinat Damascus. Operosissimi sunt in hortis. Hinc adagium Multa Syrorum olera. Nec caruerunt mollitiei nota. Hinc Syrissare verbum, est molliter viuere.

Sogdii, populi prope Bactrianos, læti ad mortem festinant, alacri etiam corporis motu.

Sabinorum sacerdotes æneo cultro tonderi solebant.

Apud Sardos parentes senio cõfecti fustibus cædebantur à filiis, & mox contumulabantur. Turpe siquidem putabant multo senio confectum superesse diutius. Magistratibus cogebantur ratiocinari, vnde viuerent.

Herodotus ait Selenetidas mulieres ova parere, indeque nascentes homines quinquennes decies esse nobis ampliores.

Ætate beati Hieronymi Scoti vescebantur humanis carnibus. Et quum per siluas porcorum greges, & armentorũ reperirent, tamen pastorum nates, & feminarum papillas solebant abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari. Idem nullam propriam habebant coniugem, sed pro libidine more pecudum lasciuiebant.

Sarabaytæ sacerdotes Aegypti habitabant in foraminibus petrarum, induti porcorum & boum pellibus, cincti funibus, discalceati, & sanguine cruentati. Cauernis demum exeuntes paupertatem & abstinentiam prædicabant, & barbam spectante populo sibi peruellebant, nummisq; tali astu & commento adeptis, remeabant in suas speluncas, & in summa lætitia furtim dapibus epulabantur.

Syracusani olim erant opibus florentissimi, voluptatibus que ac deliciis addictissimi. Vnde & Syracusana mensa transiit in prouerbium.

Sarracenorum mores sic describit Ammianus Marcellinus: Omnes, inquit, pari sorte sunt bellatores seminudi, coloratis sagulis pubetenus amicti, equorum adiumento

pernicium, graciliumq; camelorum per diuersa reptantes in tranquillis vel turbidis rebus. nec eorum quisquam fluuij apprehendit, vel arborem colit, aut arua subigendo quę rit at victum. sed errant semper sine lare, sine sedibus fixis, aut legibus. Vita est illis semper in fuga, vxoresque mercenariæ, conductæ ad tempus ex pacto. Atque vt sit species matrimonij, dotis nomine futura coniux hastam & tabernaculum offert marito. Ita autem quoad vixerint, late vagantur, vt alio loco mulier nubat, alio pariat, liberosq; procul ducat, nulla copia quiescendi permissa. Victus vniuersis caro ferina est, lactis abundans copia, herbæ multiplices, & quæ per aucupium capi possunt, volucres.

Scriptouini perpetuis ferè niuibus rigent, crudisq; ferarum carnibus vescuntur, quarum pellibus indumenta sibi conficiunt. auctor Paulus Diaconus.

Olim Spartani sustulerunt omnem vsum auri & argenti ex Lycurgi instituto, ferrūq; prætulerunt nummo ex eadem materia percusso.

Sigynnæ populi Scythiæ equos habent toto corpore hirsutos, pusillos tamen & gestandis viris inualidos, sed qui iuncti currui perniciissimi sunt.

Samij gymnasium Amori nuncuparunt, institutis sacris, quæ vocantur Eleutheria.

Apud Sotianos, Gallorum populos, rex sexcentos apud se habebat ex prudentioribus, qui regi ipsi conuiuebant, & commoriebantur volentes adeò, vt non sit inuentus, qui periculum subterfugeret.

Troglodítæ populi specus excauant, quas habent pro domibus. Victus illis serpentum carnes, stridor non vox, adeò sermonis commercio carent. Assidui sunt in venationibus, & mira clarent velocitate: nam super Aethiopiam, velociores sunt equis.

Incolæ Taprobanes insulæ ædificia habent modicè ab humo extantia. item aurum, & argentum, & marmor testudinis simile. preterea gemmas, & Margaritas præcipuæ bonitatis. Apud eos annona nunquam augetur. Neq; sunt fores, neque lites. Herculem colunt. Populus regem eligit, sanctæ, clementiaq; venerandum, & liberos non habentem.

Et si postea gignat, abdicant, ne fiat hereditarium regnum. Rectores ei dant xxx. Nec nisi multorum sententia quisquā damnat capite. Appellatio est ad populū. Rex si delinquit mortē multatur, nullo interimente, sed auersantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus. Agros diligenter colunt. Pomis abundant. Voluptas est in piscatu, testudinū maximè, quarum superficie domos integunt. Vita hominū centum annis modica.

Tonemphoæ canem habent pro rege, motu eius imperia augurantes.

Thraces calculos colore distinctos pro experimento cuiuscunque diei in urnam condunt, ac supremo die separatos dinumerant, atque ita de vnoquoque pronunciant. Feruntur esse tam fragilis memoriæ, vt quaternarium numerando non possint excedere. Vtuntur acie cuneata. Bellicosi sunt. unde & Martem natum apud eos fabulantur poetæ. Vino se largius ingurgitant. Liberos in mercato uenundant. Virginēs non asseruant, sed quibus libuit viris concumbere permittunt. Vxores seruant uehementer, easq; à parentibus coemunt. Punctas notis esse frontes, nobile iudicatur: non esse notatas punctis ignobile. Otiosum esse, habetur pro honestissimo: agricolatorem, pro contemptissimo. Spoliis bellicis, & rapto uiuere pulcherrimum. E diis colunt Martem, Liberum, Dianam. Reges etiam Mercurium, per quē solūm iurant, & à quo progenito se aiunt. Ad magnatum cadauera mactatis prius hostiis conuiuantur, priusq; deflent, deinde combusta sepeliunt, aut aliter humo contegunt. Agesto insuper tumulo uarii generis certamina proponunt, præcipuè monomachiam, id est singulare certamen.

Tentyritæ, seu Tentyri, solo aspectu & olfactu fugant crocodilos.

Tapyri populi sunt in Parthia, qui uxores suas aliis uiris concedunt, quum ex eis duos aut tres liberos susceperunt. Vino perinde ac unguento oblinuntur. Iustitiam obseruant. Strabo libro 11.

Tibareni, populi Scythiæ in Asia, quos amant, senio confectos suspendunt in patibulis. Iustissimi sunt, nec prius bello congrediuntur cum aliquo, quàm diem, locum, ho-

ram, hosti ex fide denunciauerint. Si quando inibi peperrint mulieres, uiri uelut ægritudine simulata in lectulis decumbunt, vt puerperæ, hisq; iacentibus præministrant vxores. Lusum amplexantur ac risus, quòd in iis maximam felicitatis partem arbitrentur esse constitutam.

Templarii hæretici fuerunt in Solymis ciuitate anno M. xxx. post imperium Augusti. Frequentes, & assidui versabantur in templis, vnde tractum nomen. Simulacrum habebant summo factum artificio, cui hominis cutem superinduxerant, & binos præfulgentes carbunculos sub ipsa fronte collocauerant, qui promicabant oculorum vice. Huic autem simulacro sacra faciebant, Morientium præterea cadauer in cineres adactum ceteris in potum conferebant, quæ potione firmiores & constantiores se futuros putabant. Eos verò, qui ex Templarii virginisq; coniugio fuissent nati, sub iecto igne torrebant, simulq; ex humore deliquato suum perungebant simulacrum, quò maiorem probarent religionem. Tenebantur amore masculorum fœdissimo. Damnati sunt tandem in Viennensis concilio, & concremati, quotquot reperti sunt.

Apud Thrausos populos Thraciæ edito puero propinqui assistentes lugent, miserias huius vitæ recensentes, quas passurus sit infans ille. Hominem fato functum per lusum & lætitiam terræ mandant, referentes quot malis liberatus sit ille. Multas habent vxores, quæ si contigat viro hominem exuere, certatim contendunt eius mortem sequi.

ARGVMENTA AB IMPOSSIBILI, ex diuersis poetis.

Virgilius Aecloga prima.

Antè leues ergo pascentur in æthere cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Antè, pererratis amborum finibus, exsul.
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrim.

Idem Aecloga 8.

Iungentur iam Gryphes equis, æuoq; sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Idem in Battarum.

Antè lupos rapient hædi, vituli antè leones,
Delphini fugient pisces, aquilæ antè columbas,
Et conuersa retro rerum discordia gliscet.

Idem ibidem.

Pallida flauescant æstu sitientia prata,
Immatura cadant ramis pendentia mala,
Desint & siluis frondes, & fontibus humor.

Idem ibidem.

Flectite currentes nymphas vaga flumina, retro
Flectite, & aduersi rursum diffundite campis,
Incurrant amnes passim remeantibus vndis.

Idem ibidem.

Dulcia amara prius fient, & mollia dura,
Candida nigra oculi cernent, & dextera læua,
Migrabunt casus aliena in corpora rerum.

Ouidius lib. 13. Metamor.

Antè retro Simois fluet, & sine frondibus Idæ
Stabit, & auxilium promittet Achaia Troiæ.

Idem libro 14.

Prius inquit in equore frondes
Glaucus, & in summi nascentur montibus algæ.

Idem libro 15.

Desinet antè dies, & in alto Phebus anhelos
Aequore tinget equos. Idem lib. 1. de Ponto.
Nam prius incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.

Ouidius lib. 2. de Ponto.

Longa dies citior brumali tempore, noxq;
Tardior hiberna solstitialis erit.
Nec Babylon æstum, nec frigora Pontus habebit,
Calthaq; Pæstanas vincet odore rosas:
Quàm tibi nostrarum veniant obliuia rerum.

Idem in eodem.

Cinyphiæ segetis citius numerabis aristas,
Altaq; quàm multis floreat Hybla thymis.
Et quot aues motis nitantur in aere pennis,
Quotq; natent pisces æquore, certus eris.

Idem in eodem.

Nam caput è noſtra citius ceruice recedet,
Et patiar foſſis lumen abire genis.
Idem in eodem.
Nominis antè mei venient obliuia nobis.
Idem lib. 4. de Ponto.
Nam prius vmbroſa carituros arbore montes,
Et freta veliuolas non habitura rates,
Fluminaq; in fontes curſu reditura ſupino,
Gratia quàm meriti poſſit abire tui.
Idem in eodem.
Et prius hinc nobis nimiùm conterminus Iſter,
In caput Euxino de mare vertet iter.
Vtq; Thyeſtææ redeant ſi tempora menſæ,
Solis ad Eoas currus agetur aquas.
Idem in eodem.
Sed prius huic deſint & bellum & frigora terræ,
Inuiſus nobis quæ duo Pontus habet.
Et tepidus Boreas, nec ſit præfrigidus Iſter.
Idem in epiſtola Oenones ad Paridem.
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.
Idem in epiſtola Helenæ.
Terra precor vultus obruat antè meos.
Idem libro 1. Elegiarum.
Antè vel à membris diuidar ipſe meis.
Idem lib. 1. de Arte.
Vere prius volucres taceant, æſtate cicadæ,
Mænalius lepori det ſua terga canis.
Idem in Ibin.
Deſinet eſſe prius contrarius ignibus humor,
Iunctaq; cum Luna lumina Solis erunt,
Parsq; eadem cæli Zephyros emittet & Euros,
Et tepidus gelido flabit ab axe Notus,
Et noua fraterno veniet concordia fumo,
Quam vetus accenſa ſeparat ira pira.
Et ver Autumno, Brumæ miſcebitur Aeſtas,
Atq; eadem regio veſper & ortus erit.
Idem lib. 1. Triſtium.
Spiritus hic vacuas prius extenuandas in auras

Ibit, & in tepido deſeret oſſa rogo.
Idem lib. 4. Triſtium.
Vere prius flores, æſtu numerabis ariſtas,
Poma per autumnum, frigoribusq; niues.
Idem lib. 5. Triſtium.
Cana prius gelido deſint abſynthia Ponto,
Et careat dulci Trinacris Hybla thymo,
Immemorem quàm te quiſquam conuincat amici.
Lucanus lib. 1.
Omnia miſtis
Sidera ſideribus concurrent, ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietq; fretum. Fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi, totaq; diſcors
Machina, diuulſis turbabit fœdera mundi.
Horatius lib. 1. Carminum.
Sed prius Appulis
Iungentur capreæ lupis. Idem in Epodo.
Priuſq; cælum ſidet inferius mari
Tellure porrecta ſuper. Idem ibidem.
Simul imis ſaxa renarint vadis regnata.
Propertius lib. 1.
Nulla prius vaſto labentur flumina ponto,
Annus & inuerſas duxerit antè vices:
Idem lib. 2.
Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo.
Idem in eodem.
Terra prius falſo partu deludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos.
Fluminaq; ad caput incipient reuocare liquores,
Aridus & ſicco gurgite piſcis erit.
Idem lib. 3.
Flamma per incenſas citius ſedetur ariſtas,
Fluminaq; ad fontis ſunt reditura caput,
Et placidum Syrtis portum, & bona littora nautis.
Præbeat hoſpitio ſæua Malea ſuo. Idem lib. 3.
Tu prius & fluctus poteris ſiccare marinos,

Altaq; mortali deligere astra sono.
Persius Satyra 5.
Sambucam citius caloni aptaueris alto.
Iuuenalis Satyra 10.
Promptius expediam, quot amauerit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros Autumno occiderit vno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hylus
Pupillos, quot longa viros exorbeat vno
Maura die, quot discipulos inclinet Amillus,
Percurram citius quot villas possideat nunc,
Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat.
Statius lib. 13. Siluarum.
-Hibernos citius numeraueris imbres,
Siluarumq; comas.
Idem lib. 5. Siluarum.
-Potius fugientia ripas
Flumina deuincas, rapidis aut ignibus obstes,
Quàm miseros lugere uetes.
Statius lib. 17. Theb.
Antè hæc excusso frondesceet lancea ferro,
Inachus antè retro nosterq; Achelous abibunt.
Idem lib. 8.
-Citius me fulmina contra
(Infandum) ruere, & magno bellare parenti
Aspiciat.
Idem lib. 3. Achill.
Sed pater antè igni, feroq; excisa iacebit
Scyros, & in tumidas ibunt hæc uersa procellas Mœnia.
Claudianus in cons. Manlij Theodori.
Promptius imponam glaciali Pelion Ossæ.
Idem de victoria Stiliconis in Alaricum
Irriget Aegyptum Tanais, Mæotida Nilus,
Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis,
Caucaseisq; iugis calidoq; nigrantibus Austro
Getulas Aquilo glacie constringat arenas.
Idem de consulatu Probi.
Antè dabunt hiemes Nilum, per flumina damæ
Errabunt, glacieq; niger damnabitur Indus.

Antè Thyestæis iterum conterrita mensis
Intercisa dies refugos vertetur in ortus.
Pamphilus Saxus Elegia 12.
Sidera quum radios spargent tellure sub ima,
Aera quum piscis, quum colet æquor auis.
Quum ceruus pauidus Massylla per arua leones
Pellet, hiems tepidi tempore veris erit.
Stroza pater lib. 1. Eroticon.
Ergo prius tellus alimenta negauerit orbi,
Et nouum Hesperio surget ab axe dies.
Antè Pado Tagus, atq; Atheſi miscebitur Ister.
Idem lib. 5. Eroticon.
Ergo Scylla prius, Scyllæq; aduersa Carybdis,
Præbuerint fessis puppibus hospitium.
Antè suo Nereus gelidas admiserit Arctos
Aequore, Terra polus fiet, & ignis aqua.
Mutatæ prius accipient noua corpora formæ.
Seneca in Hercule furente.
Prius extinguet ortus, referet occasus diem,
Pax antè fida niuibus & flammis erit,
Et Scylla Siculum iunget Ausonius latus,
Priusq; & multò uicibus alternis fugax
Eurippus unda stabit Euboica piger.
Idem in Thyeste.
-Aethereas prius
Perfundet Arctos pontus, & Siculi rapax
Confligent æstus unda, & Ionio seges
Matura pelago surget, & Lucem dabit
Nox atra terris, Antè cum flammis aquæ,
Cum morte uita, cum mari uentus fidem
Fœdusq; iunget. Idem in Thebaide
-Ipsa se in leges nouas
Natura uerter, Regeret in fontem citas
Reuolutus undas amnis, Et noctem afferet
Phœbea lampas, Hesperus faciet diem.
Idem in Hippolyto.
-Ignibus iunges aquas,
Et anica ratibus antè promittet vada

Incerta Syrtis, Antè ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem,
Et ora damis blanda præbebunt lupi.
Idem in oetæo.
Iungentur antè sæua sideribus freta,
Et ignis vndæ, tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscidæ nocti dies.
Idem in Hercule Oetæo.
-Ante ab occasu dies
Nascetur Indis, antè glacialem polum
Scythas ve tepida Phœbus afficet rosa.
Idem.
Descendat astris Luna desertis licet,
Et bruma messes videat, & cantu fugat.
Sit deprehensum fulmen, & versa vice
Medius coactis fugerit stellas dies.
Idem ibidem.
Antè nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit vnda,
Antè descendet glacialis vrsæ
Sidus, & ponto vetito fruetur.
Idem ibidem.
Mutetur orbis, vallibus currat nouis
Ister, nouasq; Tanais accipiat vias.
Erasmus in adagiis
Acantida vincet Cornix.
Carphurnins apud eundem,
Astyle credibile est, si vincat acanthida Cornix
Vocalem, superet si turpior ædona bubo.
Prius testudo leporem præuerterit.
Calentius lib. 1. Eleg.
Antè per ignotos errabunt sidera fluctus.
Pascenturq; leues æquora lata boues.
Antè à squamiferis habitari piscibus æquor
Desinet, antè freto currere curua ratis.
Antè polo similis populis insidiabitur, antè
Proximus in vetitas corruet anguis aquas.
Pontanus lib. 1, de Stellis.

Sed prius Herculei torrentia sidera monstri
Solstitio uicina domus, locaq; edita cæli
Diffundent terris hiemem glacialibus Euris,
Antè & conspicui summo de cardine mundi
Flana Lycaonio surget Palantias axe,
Atque diem auerso subteruehet auster olympo.
Stabunt & cæli septem labentia signa.
Baptista Pius.
Nam prius in colles rebor vaga flumina ferri,
Et Nilum hiberno diluere arua gelu. Idem.
Sed prius æquorei damis iungentur Echini,
Et misto æripedi semine Gryphes equo.
Idem.
-Sthonio prius orbe tepescere credam
Memnonio, & tingi posse colore niues.
Excesecq; uagis undabunt piscibus Alpes,
Nullaq; Atlantæi gurgitis unda fluet.
Hesperioq; nitens Phœbus consurget ab axe,
Atque pari Euphrates Tygris & ore ruent.
Idem.
Antè caput Nili deprehendet, & ora Sesostis,
Deponet uirus & Stygis unda suum.
Idem.
Promptius expediam quot fulgeat ignibus æther,
Et quota in Oceani bellua mole natet. Idem.
Astra sagittiferum præcedent fulgida mitram,
Solis & obscura nocte uehentur equi.
Magnaq; nigrantem lux irradiabit Auernum.
Luror & ætheros cinget ubique polos.
Et superum iurare (licet metus vrgeat illos)
Sancta cohors Stygias non dubitabit aquas.
Per siluas uolitare canes, uolucresq; ferarum
Cernemus duri lustra habitare soli.
Committentq; lupi damæ sua corpora rostro,
Et lepus Arcadico rostra habitata cani.
Et phaetontæi cygnus non immemor axis,
Fulmineas cupiet scandere posse domos,
Desinet æquoreis caput obiectare procellis

Aesacus, & rapidi non petet ima maris.
Turbaq; Memnonidum canet exequialia mitis
Iusta, neque hæc tumuli tinget herilis humum
Congeret aeria nidum super arbore perdix,
Thysbæas linquet blanda columba palas.
Diliget immitem pia Dædaliona coturnix,
Fida gemelliparæ quæ tulit auxilia.
Cui uolucris subitò data versicoloris imago,
Dum fugit omniuoli dulcia furta Iouis.
Labilis audaci Congro muræna relinques,
Et cum squamigeris Barre feris odium.
Nilicolamq; feram cautus Crocodilon Ichneumon
Diliget, infidam rex Halietus auem.

Palladius Soranus.

Desinet ergo prius fragili mihi gutture lingua.

Idem.

Mella prius fierent, quæ sunt contraria dulci,
Duraq; spectares mollia saxa prius.

Idem.

Ergo mella prius fient, contraria dulci,
Mollia dura prius, fient & maxima parua.
Aut freta poma dabunt semper redolentia, flores,
Pascua, rura, domos, uiuentia cuncta fouebunt.
Et pisces quin terra feret, quam nauita prudens
Sulcabit, tumidos fluctus quæ concita tollet.

Petrarcha.

Tum nostro Galatea tuum de pectore nomen
Exibit, fugient propriis dum sedibus astra.
Mellis opes studium, linquent, nidosq; columbæ,
Coniugium turtur, prædam lupus, arbuta capræ,
Custodita dolos mulier, mendacia seruus.

Idem,

-Validum prius ægra leonem
Sternet ouis, prius armigerum philomela tonantis
Vicerit.

qua diu aliquid futurum significamus.

Virgilius Aecloga 5.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.

Ouidius lib. 1. Eleg.

Viuet Mæonides, Tenedos dum stabit & Ide,
Dum rapidas Simois in mare voluet aquas.
Viuet & Ascræus, dum mustis vua tumebit,
Dum cadet in curua falce resecta Ceres.
Donec erunt ignes, arcusq; Cupidinis arma,
Dicentur numeri culte Tibulle tui.

Idem in Ibin.

Pugnabunt iaculis dum Thraces, Iapyges arcu,
Dum tepidus Ganges, frigidus Ister erit,
Robora dum montes, dum mollia pabula campi,
Dum Tiberis liquidas Thuscus habebit aquas.

Lucanus lib. 1.

-Dum terra fretum, terramq; leuabit,
Aer, & longi voluent Titana labores,
Noxq; diem cælo totidem per signa sequetur.

Syllius lib. 6.

-Dum cæli sedem, terrasq; tenebit
Casta fides, dum virtutis venerabile nomen Viuet.

Idem lib. 7.

Dum Cete innabunt ponto, dum sidera cælo
Lucebunt, dum Sol inde se littore tollet.

Politianus.

-Dumq; in tacito vaga sidera cælo
Fulgebunt, dum Sol nigris orietur ab Indis,
Præuia luciferis aderit dum curribus Eos,
Dum ver tristis hiems, Autumnum proferet æstas,
Dumq; fluet spirans, refluetq; reciproca Tethys,
Dum mista alternas cupient elementa figuras,
Semper erit magnis decus immortale Maronis.

Sabellicus.

Dum mundis Solisq; vices variabilis annus

Sentiet, & Solitos seruabunt sidera cursus.
Horatius in Epodo.
Dum pecori lupus & nautis infestus Orion
Turbarit hibernum mare,
Intonsosq; agitarit Appollinis aura capillos.
Seneca in Medea.
Dum terra cælum media libratum feret,
Nitidusq; certas mundus euoluet vices,
Numerusq; arenis deerit, & solem dies,
Noctem sequentur astra, dum siccas polus
Versabit arctos, flumina in pontum cadent,
Nunquam meus cessabit in pœnas furor.
Idem in Oedipo.
Lucida dum current annosi sidera mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem,
Lunaq; demissos dum plena recolliget ignes,
Dum matutinos prædicet lucifer ortus,
Altaq; cæruleum dum Nerea nesciet arctos,
Candida formosi venerabimur ora Lyæi.
Tibullus libro 1.
Quem referant Musæ, viuet dum robora tellus,
Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas.
Stroza pater,
-Erunt donec vaga sidera cælo,
Donec erit tellus, æquora donec erunt.
Stroza filius.
-Phœbeia donec
Laurus & orbita erit, nomenq; Helyconidis vmbræ.
Idem.
Dumq; polus vertet Pegaseæ signa carinæ. Idem
Flacce tuæ dabitur palma seconda lyræ.
Dum fluet Eridanus patriæ prope mœnia nostræ,
Dum fluet & refluet Venetam maris vnda per vrbem,
Tinctile dum Scythicas armabit missile dextras.

docemus aliquid longè lateq; fieri.
Lucanus lib. 1.
VNde venit Titan, & nox vbi sidera condit,
Quaq; dies medius flagrantibus æstuat horis
Et quà bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Astringit Scythicum glaciali frigore pontum.
Ouidius in fine Met.
Quaq; patet domitis Romana potentia terris.
Horatius lib. 3. Car.
Dicar, quà violens obstrepit Ausidus,
Et quà pauper aquæ Daunus agrestium
Regnator populorum.
Statius lib. 4. Sil.
Ibis, quà vagus Hercules & Euan
Vtra sidera, flammeumq; Solem,
Et Nili caput, & niues Atlantis.
Tibullus lib. 2.
Qua sua de cælo prospicit arua Ceres,
Quaq; parent ortus, & quà fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Seneca in Hercule furente.
-Quà lucem premit
Aperitq; Tethys, quà ferens Titan diem,
Binos propinqua tingit Aethiopes face.
Idem.
Et quod Occasus videt, & quod Ortus.
Idem.
Auroram inter & Hesperum,
Et quà Sol medium tenens,
Vmbras corporibus negat.
Quodcunq; abluitur cælum,
Longo Tethyos ambitu.
Idem in Theb.
Quà lata terris spatia frugiferis iacent,
Et quà trahens opulenta Pactolus vada
Inundat auro rura.
Idem in Hippolyto.

Quæq; nascentem uidet ora Solem,
Quaq; ad occasus iacet ora seros.
Si qua feruenti subiecta Cancro est,
Si qua maioris glacialis vrcæ,
Semper errantes patitur colonos.
Idem ibidem.
Qua terra mari cingitur alto, quaq; æthereo
Candida mundo sidera currunt.
Idem ibidem
Quidquid Oceanus vagis
Complexus vndis, vltimo fluctu tegit.
Idem in Troade.
Quidquid Sol oriens, quidquid & occidens
Nouit, cæruleis Oceanus fretis
Quidquid vel veniens, vel fugiens, lauat,
Aetas prægaseo corripiet gradu.
Idem in Medea.
Quodcunq; placidis flexibus Phasis rigat,
Pontusq; quidquid Scythicus à tergo videt,
Paluſtribus quà maria dulcescunt aquis.

DESCRIPTIO MAGNI, ET FREQVENtis numeri, per similitudines, & comparationes.

Virgilius lib. 4. Georgicorum.

Quàm multa in foliis auium se millia condunt.
Vesper vbi aut hibernus agit de montibus imber.
Idem lib. 6. Aeneid.
Quàm multa in siluis Autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quàm multæ glomerantur aues, vbi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
Idem lib. 7. Aeneid.
Quàm multi Libyco voluuntur marmore fluctus,
Sæuus vbi Orion hybernis conditur vndis.
Vel quum Sole nouo densæ torrentur aristæ,
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flauentibus aruis.
Idem lib. 6. Aeneid.
Quantus ob occasu veniens pluuialibus hœdis.

Verberat imber humum, quàm multa grandine nymbi
In vada præcipitant,, quum Iuppiter horridus austris
Torquet aquosam hiemem, & cælo caua nubila rumpit.
Ouidius lib. 11. Met.
Somnia uana iacent, totidem quot messis aristas.
Silua gerit frondes, eiectat littus arenas.
Idem lib. 4. Tristium.
Mecq; tot aduersis cumulat, quot littus arenas,
Quotq; fretum pisces, ouaq; piscis habet.
Idem lib. 4. Trist.
Quot frutices siluæ, quot flaua Tibris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet;
Tot mala pertulimus.
Idem ibidem.
Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quot vę soporiferum grana papauer habet:
Silua feras quot alit, quot piscibus vnda natatur,
Et tenerum pennis aera pulsat auis:
Tot premor aduersis, quæ si comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.
Idem ibidem.
Quàm multa madidæ cęlantur arundine fossæ,
Florida quàm multas Hybla tuetur apes:
Quàm multæ gracili terrena sub horrea ferre
Limite formicæ grana reperta solent:
Tam me circumstat densorum turba malorum.
Idem lib. 4. de Ponto.
Quæ numero tot sunt, quot in horto fertilis arui
Punica sub lento cortice grana rubent:
Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla fauos.
Idem lib. 1. de Arte.
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos
Aequore quot pisces, fronde teguntur aues,
Quot cælum stellas, tot habet tua Roma puellas.
Idem libro 2. de Arte.
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla,
Cærula quot baccas Palladis arbor habet,

Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores.
Idem libro 3.
Sed neq; ramosa numerabis in Ilice frondes,
Nec quot apes Hyblæ, nec quot in Alpe feræ.
Idem.
Quot noua terra parit flores, quum vere tepenti
Vitis agit gemmas, pigraq; fugit hiems.
Statius lib. 5. Siluarum.
Hibernos citius numeraueris imbres,
Siluarumq; comas.
Sillius lib. 7.
Quàm multa affixus cælo sub nocte serena
Fluctibus è mediis sulcator nauita ponti
Astra videt, quàm multa videt feruoribus atris,
Quum Calabros vrunt ad pinguia pabula saltus
Vertice Gargani residens, incendia pastor.
Marullus.
Non tot Attica mella, littus algas,
Montes robora, ver habet colores,
Non tot tristis hiems riget pruinis,
Autumnus grauidis tumet racemis,
Non tot spicula Mœdicis pharetris,
Non tot signa micant tacente nocte,
Non tot æquora piscibus natantur,
Non aer tot aues habet serenus,
Non tot Oceano mouentur vndæ,
Non tantus numerus Libyssæ arenæ
Quot suspiria, quot Neæra pro te
Vesanos patior die dolores.
Catullus.
Quàm magnus numerus Libyssæ arenæ,
Laserpiciferis iacet Cyrenis.
Propertius lib. 2.
Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit amor.
Seneca in Hercule furente.
Quantus incedit populus per vrbes
Ad noui ludos auidus theatri,

Qualis Elæum ruit ad tonantem,
Quincta quum ludos reuocauit æstas.
Idem in Oedipo.
Non tot caducas educat frondes Oeta
Nec vere flores Hybla tot medio creat,
Quum examen alto nititur densum globo,
Fluctusq; non tot frangit Ionium mare,
Nec tanta gelidi Strimonis fugiens minas
Permutat hiemes ales, & cælum secans,
Torpente Nilo pensat Arctoas niues.
Baptista Pius.
Cærula quot pisces, quot Lesbia terra racemos,
Mascula quot tellus tura Sabæa parit,
Plumiferas quot habet volucres agitabilis aer,
Gargara quot messes, uina Phalermus ager.
Idem.
Promptius expediam, quot fulgeat ignibus æther,
Et quota in Oceani bellua mole natet.

DESCRIPTIO CVRSVS LEVISSIMI, & miræ celeritatis.

Virgilius lib. 10. Aeneid.

Fugit illa per undas
Ocyor & iaculo, & uentos æquante sagitta.
Lucanus lib. 1.
Et torto Balearis uerbere fundæ
Ocyor, & missa Parthi post terga sagitta.
Idem lib. 5.
Ocyor & cali flammis & tygride fœta. Idem lib. 9.
Calido non ocyus austro Nix resoluta tepet.
Horatius libro 2. Car.
Ocyor ceruis, & agente nimbos. Ocior Euro.
Statius libro 6. Theb.
Quæ bello sic tela volant, quæ nubila cælo
Annibus hibernis? minor est Iouis impetus igni.
Tardius astra cadunt, glomerantur tardius imbres,
Tardius in summos decurrunt flumina montes.
Idem ibidem.

-Credas è plebe Cydonum
Parthorumq; fuga totidem exiliisse sagittas.
Non aliter celeres Hircana per auia cerui,
Quum procul impasti fremitum accepere leonis,
Siue putant, rapit attonitos fuga cæca, metusq;
Congregat, & longum dant cornua mista fragorem.
Sidonius.

Non sic fulminis impetus trisulci,
Non pulsa scythico sagitta neruo,
Non sulcus rapidè cadentis austri,
Non fundis Balearibus rotata
Vnquam sic liquidos poli meatus
Rumpit plumbea glandium procella.
Seneca in Thebaide.

Sagitta qualis Parthica velox manu
Excussa fertur, qualis insano ratis
Premente vento rapitur, aut qualis cadit
Delapsa cælo stella, quum stringens polum
Rectam citatis ignibus rumpit viam.
Idem in Hippolyto.

Fugit insanæ similis procellæ,
Ocyor nubes glomerante cauro,
Ocyor cursum rapiente flamma,
Stella quum ventis agitata longos Corripit ignes.

CVRSORES VELOCISSIMI.

IN ludis exequialibus (quos in Sicilia ad Anchisæ tumulum celebrauit Aeneas) stadiodromi, seu decursores in stadio fuerunt Euryalus, Nysus, Diores, Salius, Patron, Helymus, & Panopes.

Camilla regina fuit Volscorum, cuius celeritatem describit Virgilius in fine 7. libri, dicens:

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas,
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

De Achille, Catullus: Nascetur nobis expers terroris Achilles, Qui persæpe vago victor certamine cursus Flam

mea præuertet celeris vestigia ceruæ.

Bellerophon in expeditione contra Chimæram vsus est equo Pegaso, sanguine Medusæ nato.

Perseus verò in Medusam certaturus, accepit à Mercurio talaria & ensem, quibus adminiculis ambo per aerem ferebantur. Propertius libro 2. Non si Pegaseo vertaris in aere dorso: nec tibi si Persei mouerit ala pedes. Sidonius: Ac iuuenem Stenobæa tuum, cui terga vetustas Pennati lar gitur equi.

Poetæ fabulantur Dædalum inclusum labyrintho, propter liberatum Theseum, quum iudicium capitis expauesceret, alas sibi confinxisse, eoque remigio periculum euasisse. Virgilius lib. 6. Aeneid. Dædalus (vt fama est) fugiens Minoia regna, Præpetibus pennis ausus se credere cælo, Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.

De Atalanta venatrice Arcadica Ouid. lib. 10. Metam. Forsitan audieras aliquam certamine cursus Veloces superasse viros, non fabula rumor Ille fuit: superabat enim. nec dicere possis, Laude pedum, formæne bono præstantior esset. Statius lib. 6. Theb. Quis Mænaliæ Atalantæ Nesciat egregium decus, & vestigia cunctis Indeprensa procis. Hanc enim dicunt certasse cursu in Hippomenem, dum ab eo in vxorem peteretur. Vnde idem Ouid. Dum talia secũ Exigit Hippomenes, cursu volat alite virgo: Quæ quanquam Scythica non segnius ire sagitta Aonio visa est iuueni, tamen ille decoris Mirator magis est, cursus facit ipse decorem, Aura refert ablata citis talaria plantis. Hanc curriculis populo trepidante virago, Nil toto tactura gradu, quũ pallidus ille Respiceret mediũ post se decrescere campum, Et longas ad signa vias statuq; propinquo Pressus in hostili iam curreret anxius vmbra, Donec ad anfractum metæ, iam iamq; relictus Concita ter sparso fregit vestigia pomo.

Mermeros, centaurus fuit pedum leuitate præstantissimus. Ouid. lib. 12. Quiq; pedum nuper certamine vicerat omnes Mermeros, accepta tum vulnere tardior ibat.

De Phædimo & Dimante Statius lib. 6. Theb. Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena Phædimus, alipedumque

fugam prægressus equorum Antè Dimas.

Claruit Opheltes nauta cursu velocissimo. Sidonius: Qui vigor in pedibus frustra tibi natus Ophelte Sicaniam tribuit palmam, plantasque superbas.

Thalus fuit quispiam, quem Iupiter æreis pedibus finxisse dicitur, custodemq; Europæ adhibuisse, ac celeritate ter quotidie Cretam obiuisse. de quo nonnulli volunt Catullum intellexisse illo carmine: Non custos si ego fingar ille Cretum. quamuis alij ad Dædalum referant.

Philippides CLX. stadia ab Athenis Lacedęmonem biduo cucurrit.

Canistius cursor Lacedæmonius & Philonides Alexandri magni à Sicyone Elin vno die MCC. stadia cucurrerunt.

Tiberius Nero vehiculis tribus ad Drusum fratrem in Germania ægrotantem festinans, ducenta passuum millia emensus est.

Iuba apud Plinium testis est Troglodytarum gentem miræ velocitatis esse.

Ladas cursor fuit Alexandri velocissimus. Mart. lib. 2. Quid si per graciles vias petauri Inuitum iubeas subire Ladam. Petauri autem dicuntur homines agiles, qui se per circulos immittunt, nascunturq; sub Delphine. Idem Mar. lib. 11. Habeas licebit alterum pedem Ladę, Inepte frustra crure ligneo curres.

Atas puer Vipsano consule à meridie ad vesperum LXXV. millia passuum cucurrit, magna omnium admiratione. Mar. lib. 4. Siue leuem cursu vincere quæris Atan.

Philippus Lysimachi frater, regem per ducenta stadia vectum pedes comitatus est, quum etiam lorica indutus armagestaret, auctor Curtius lib. 7.

Iphiclus Philaci & Climenes filius tanta fuit corporis agilitate & pedum celeritate, vt curreret super triticeas aristas, nec oblæderet. Demaratus verò etiam per mare incessisse prodidit. auctor Cælius cap. 5. lib. 5.

Orion Neptuni filius ex Euryale Minois filia natus fuit, cui cõcessum est, vt super fluctus curreret perinde ac in terra super aristas ferretur, nec eas comminueret. Higinus.

Mithridates, rex Ponti, ad vltimum vitæ tempus equitabat, iaculabaturque: & per mille stadia, dispositis per interualla equis vna die discurrebat. Currus sex & decem equis agitauit.

Haraldus quidam nonnulla inusitatæ agilitatis spectacula exhibuit: nam duobus equis in stadium admissis vtroque metam prior tenuit. Geminis siquidem bacillis inter currendum innixus crebris saltibus corpus concitabat. auctor Saxo.

Echion, Ouidius lib. 8. Met. Impiger Eurytion cursuq; inuictus Echion.

De Lycaste, Dianæ comite, Claudianus: Et cursu Zephyris nunquam cessura Lycaste.

DESCRIPTIO ORTVS DIEI.

Virgilius libro 2. Aeneid.

Iamq; iugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatq; diem.

Idem lib. 3.

Iamq; rubescebat stellis Aurora fugatis.

Idem lib. 4. & lib. 9.

Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Idem lib. 7.

Iamq; rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Idem libro 11.

Oceanus interea surgens Aurora reliquit.

Idem lib. 11.

Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera, atque labores.

Idem lib. 12.

Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, quum primùm alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemq; elatis naribus efflant.

Ouidius lib. 2. Met.

Fulget tenebris Aurora fugatis.

Idem libro 4.

Postera nocturnos Aurora remouerat ignes,

Solq; pruinosas radiis siccauerat herbas.
Idem lib. 7.
Postera depulerant Auroræ lumina noctem.
Idem lib. 9.
Postera lux radiis totum patefecerat orbem.
Idem lib. 15.
Postera sidereos Aurora fugauerat ignes.
Idem lib. 3. Fastorum.
Ortus erat summo tantummodo margine Phœbus.
Idem lib. 4. Fast.
Nox abiit, orituṙq; Aurora.
Idem lib. 6. Fast.
Iam Phryx à nupta quereris Tithone relinqui,
Et vigil Eois lucifer exit equis.
Idem libro 1. de Trist.
Cælo nitidissimus alto
Stella grauis nobis Lucifer ortus erat.
Idem lib. 1. Eleg.
Iamq; pruinosos molitur Lucifer axes,
Inq; suum miseros excitat ales opus.
Idem.
Iam super Oceanum venit à seniore marito
Flaua pruinoso quæ vehit axe diem.
Lucanus lib. 1.
-Et ignes Solis lucifero fugiebant astra relicto.
Lucretius lib. 2.
Primum Aurora nouo quum sparsit lumine terras.
Idem lib. 5.
Aurea quum primùm gemmantes rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina solis.
Statius lib. 2. Theb.
Et iam Mygdoniis elata cubilibus alto
Impulerat cælo gelidas Aurora tenebras,
Rorantes excussa comas, multumq; sequenti
Sole rubens. Illi roseus per nubila seras
Aduertit flammas, alienumq; æthera tardo
Lucifer exit equo, donec pater igneus orbem
Impleat, & radios ipsi vetet esse sorori.

Idem lib. 3.
Septima iam nitidum terris Aurora, deisq;
Purpureo vehit ore diem.
Idem lib. 6.
Clara laboriferos cælo Titania currus
Extulerat.
Idem lib. 2. Achill.
Iam premit astra dies, humilisq; ex æquore Titan
Rorantes euoluit equos, & ab æthere magno
Sublatum curru pelagus cadit.
Idem lib. 5.
Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, genitoq; coruscæ
Lucis adhuc hebetem vicina nocte leuabat,
Et nondum excusso rorantem lampada ponto.
Syllius lib. 1.
Pellebat somnos Tithoni roscida coniux.
Idem lib. 5.
Donec flammiferum tollentes æquore currum,
Solis equi sparsere diem, iamq; orbe renato
Dilnerat nebulas Titan, sensimq; fluebat
Caligo in terras nitido resoluta sereno.
Idem lib. 6.
Iam Tartessiaco quos soluerat æquore Titan,
In noctem diffusus equos iungebat Eois Littoribus.
Idem libro 10.
Post vbi fulserunt primis Phaethontia fræna
Ignibus, atq; sui terræ rediere colores.
Idem lib. 11.
Postera lux Phaetontis equos proferre parabat,
Iam rapidos omni curru splendente sub undis.
Idem lib. 15.
Aurora ingrediens terris exegerat vmbras.
Sidonius.
Iam Sol adultus roscidæ noctis humorem radio crescente
forbuerat.
Stroza pater.
Verum vbi iam cælo stellas Aurora fugauit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et redit exorto lucida Sole dies.

Idem.

Aureus æquoreis vbi Sol caput exerit vndis,
Oceaniq; Aurora torum formosa reliquit.

Idem.

Deseruit solito formosior æquora Titan.

Sabellicus.

Igneus interea Phœbus prodibat ab Indis. Idem.
-Tenebris aurora fugatis
Tertia iam totum veniens reserauerat orbem.

Pamphilus Saxus.

Tithoni croceum senis cubile,
Aurora aurigeris comis refulgens
Iam surgit, roseosq; clara vultus
Ostendit, Phaethontis & citatis
Currunt flammigeri rotis Iugales.

Politianus in Nutricia.

Aurea quum radios Hyperionis exeruit fax.

Idem.

Extulerat roseo Cynthius ore diem.

Lactantius de Phœnice.

Lutea quum primùm surgens Aurora rubescet,
Quum primùm rosea sidera luce fugat.

Catullus.

Sed vbi horis aureis Sol radiantibus oculis
Lustrauit æthera album, sola dura, mare ferum.
Reppulitq; noctis vmbras vegetis sonipedibus.

Seneca in Hercule furente.

Iam rara micant sidera prono
Languida mundo, mox victa vagos
Contrahit ignes, Luce nouata.

Idem in Troade.

Summa iam Titan iuga,
Stringebat, ortus vicerat noctem dies

Idem in Octauia.

Iam vaga cælo sidera fulgens
Aurora fugat, surgit Titan
Radiante coma, mundoque diem Reddit clarum.

Virgilius libro 8. Aeneid.

SOl medium cæli conscenderat igneus orbem.

Ouidius lib. 2. Metam.

Iamque dies medius rerum contraxerat vmbras,
Et sol ex æquo meta distabat vtraq;.

Idem in Arte.

Iamq; dies medius tenues contraxerat vmbras.

Statius lib. 4 Theb.

Tempus erat, medii quum solem in culmine mundi
Tollit anhela dies.

Idem lib. 5.

Sol operum mediis summo librabat olympo
Lucentes ceu staret equos.

Marullus.

Et iam lampade torrida
Fulgebat medio Sol pater æthere.

Val. Flac. lib. 3.

Iam summas cæli Phœbus candentior arces
Vicerat, & longas medius reuocauerat vmbras.

Pontanus.

Et iam Sol medium clarus peragrabat olympum.

DESCRIPTIO NOCTIS, seu aduentus eius.

Virgilius 1. Aeneid.

ET iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ.

Idem Aec. 1.

Et Sol crescentes decedens duplicat vmbras.

Idem in Culice.

Iam quatit, & biiugis oriens herebo cit equos nox,
Et piger aurato vesper procedit ab Oeta.

Idem lib. 2. Aen.

Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox,
Inuoluens vmbra magna terramq; polumque,

Idem in eodem.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono diuum gratissima serpit.

Idem lib. 3.

Nox erat, & terris animalia somnus habebat.

Idem in eodem.

Sol ruit interea, & montes vmbrantur opaci.

Idem lib. 4.

Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, siluæq;, & sæua quierant
Aequora, quum medio voluuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager, pecudes, pictæq; volucres,
Quæq; lacus latè liquidos, quæq; aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas, & corda oblitá laborum.

Idem libro 8.

Nox erat, & terras animalia fessa per omnes,
Alituum pecudumq; genus sopor altus habebat.

Idem in eodem.

Nox ruit, & fusci tellurem amplectitur alis.

Ouidius lib. 8. Met.

Iam labor exiguus Phœbo restabat, equiq;
Pulsabant pedibus spatium decliuis Olympi.

Idem lib. 10.

Tempus erat, quo cuncta silent.

Idem lib. 11.

Pronus erat Titan, inclinatoq; petebat
Hesperium temone fretum.

Idem in eodem.

-Nox cælum sparserat astris.

Idem lib. 14.

Presserat occiduus Tartessia littorá Phœbus.

Idem lib. 15.

Candidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et caput extulerat densissima sidereum nox.

Idem libro 1. Fast.

Nox erat, & vino somnum faciente iacebant
Corpora diuersis victa sopore locis.

Idem lib. 2.

Nox erat, & tota lumina nulla domo.

Idem lib. 4.

Interea placidam redimita papauere frontem
Nox venit, & secum somnia nigra trahit.

Idem in eodem.

Dempserat emeritis iam iuga Phœbus equis.

Idem libro 6.

Nox erat, & vinis oculiq; animiq; natabant.

Idem lib. 1. Tristium.

Iamq; quiescebant voces hominumq; canumq;,
Lunaq; nocturnos alta regebat equos.

Idem in eodem.

Tingitur Oceano custos Erymanthidos vrsæ.

Idem lib. 3. de Ponto.

Nox erat, & bifores intrabat Luna fenestras.

Lucanus libro 3.

-Titan iam pronus in vndas
Ibat, & igniferi tantum demerserat orbis,
Quantum deesse solet Lunæ.

Idem in eodem.

Nox subit, atque oculos vastæ obduxere tenebræ.

Statius lib. 1. Sil.

Nox silet, & nigros imitantia murmura somnos.

Idem lib. 1. Theb.

Iamq; per emeriti surgens confinia Phœbi
Titanis latè mundo subuecta silenti,
Rorifera gelidum tenuauerat aera biga.
Iam pecudes volucresq; tacent, iam somnus auaris
Inserpit curis, pronusq; per aera nutat,
Grata laboratæ referens obliuia vitæ.

Idem lib. 3.

Soluerat Hespereii deuexo in margine ponti
Flagrantes Sol pronus equos, rutilamq; lauabat
Oceani sub fonte comam.

Idem.

Nox subiit, curasq; hominum, motusq; ferarum
Composuit, nigrosq; polos inuolnit amictu.

Idem lib. 8.

Tempus erat, iunctos quum iam soror ignea Phœbi
Sentit equos.

Idem lib. 12.

Iam pater Hesperio flagrantem gurgite currum
Abdiderat Titan, aliis rediturus ab vndis.

Idem lib. 4. Achillei.

Frangebat radios humilis iam pronus Olympo
Phœbus, & oceani penetrabile littus anhelis
Promittebat equis.

Sillius lib. 10.

Donec anhelantes stagna in Tartessia Phœbus
Mersit equos, fugiensq; polo Titania cæcam
Orbita nigranti traxit caligine noctem.

Idem lib. 11.

Iamq; diem ad metas defessis Phœbus Olimpo
Impellebat equis, fuscabat & Hesperus vmbra,
Paullatim infusa properantem ad littora currum.

Idem lib. 15.

Nox somni genitrix mortalia pectora curris,
Purgarat, tenebræq; horrenda silentia habebant.

Ausonius.

Condiderat iam solis equos Tartessia Calpe,
Stridebatq; freto Titan insignis Ibero.

Stroza pater.

-Quum sol Antipodum populos illata luce reuisit.

Sabellicus.

Iam fuscis prouecta rotis nox atra ruebat
Oceano, vallesq; vmbris complexa cruentas.

Pamphilus.

-Oceani piceis incincta tenebris.
Nox caput ex vndis tollebat.

Idem.

Oceani tumidis iam nox caput extulit vndis.
Iam vibrat tremulum candida Luna iubar.

Cleophilus.

Nox erat, & pleno lucebat Cynthia cornu,
Ibat & Arctoo tardior vrsa polo.

Val. Flac.

Val. Flac.

Et iam prona leues spargebant sidera somnos. Idem.
Iamq; sopor mediis tell urem presserat oris,
Et circum tacito volitabant somnia mundo. Idem.
Nox hominum genus & duros miserata labores,
Retulerat fessis optata silentia terris.

Martianus Capella.

Sed purum astrificis cælum scandebat habenis
Nox reuocans merso fulgentia sidera Phœbo.

Sabellicus.

Iam cælo propulsa dies concesserat vmbris,
Perdideratq; suos tellus obducta colores. Idem.
Cœperat hesperio Titan se mergere fluctu.
Versus in Antipodas, iam serus lumina Vesper
Compositura diem prono spargebat Olympo.

Idem.

Phœbus ad Hesperiam Tethym iam flectere cursum
Cœperat.

Pontanus.

Nec color vllus erat rebus, tenebrisq; malignis
Et cælum & terras nox circunfusa tenebat. Idem.
Nox cælum tenet, & fuscis iuga versat habenis.

Tibullus lib. 2.

Ludite, iam nox iungit equos, currumq; sequuntur
Martis lasciuo sidera fulua choro.

Seneca.

Nox prima cælum sparserat stellis.

DESCRIPTIO MEDIÆ NOCTIS.

Ouidius lib. 9.

NOctis erat medium, curasq; & corpora somnus
Soluerat.

Horatius lib. 2. Ser.

-Iamq; tenebat Nox medium cæli spatium.

Statius lib. 3. Achil.

Scandebat roseo medii fastigia cæli
Luna iugo, totis vbi somnus inertior alis
Defluit in terras, mutumq; amplectitur orbem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DESCRIPTIO ÆQVINOCTII.

Seneca.

Libra Phœbeos tenet æqua currus.

Lucanus lib. 8.

Tempus erat, quo Libra pares examinat horas,
Non uno plus æqua die. Ouidius.
Impositamq; sibi qui non benè pertulit Hellen,
Tempora nocturnis æqua diurna facit.

FIGVLI.

Dibutades Sicyonius primus fuit figulus Corinthi, qui ex creta docuit fingere: primusq; personas regularum extremis imbricibus imposuit. Vide Plinium lib. 35. cap. 11. Sunt qui in Samo primos omnium plasticen inuenisse Ideochum, Rhetum & Theodorum tradant. auctor idem Plinius.

Encirapus, & Eugrāmus Italiæ plasticen tradiderunt. Homnis imaginem gypso ex ipsa facie primus omnium expressit, ceraq; in eam formā gypsi infusa emendare instituit. Lysistratus Sicyonius frater Lysippi. Hic & similitudinem reddere instituit, & de signis effigiem exprimere inuenit.

Plastæ laudatissimi fuerunt Dimophilus & Gorgasus.

Calcosthenes cruda opera fecit Athenis.

M. Varro tradit sibi cognitū Romę Possuniū, q tubas, & pisces fecerit, quos aspectu discernere à veris nō potuisses.

Idem magnificat Arcesilaum, Luculli familiarem, cuius proplastice pluris venibat ab artificibus ipsis, quàm aliorū opera. Idem fecit Venerem genitricem in foro Cæsaris.

Praxiteles plasticen matrem statuariæ, sculpturæq; & cælaturæ esse dixit. neque vnquam aliquid fecit, antequam finxit.

Turianus Iouis effigiem fictilem in Capitolio dicauit, fecit & Herculem eadem materia. tales enim effigies deum tunc erant laudatissimæ. Hæc omnia habet Plinius li. 35.

Vatinius Beneuentanus calices vitreos faciebat. Hinc vasa Vatinia dicuntur vitrea. Mart. lib. 10. Vatiniorum prosa xeneta fractorum. Idem in Distichis: Vilia sutoris calices monumenta Vatini Accipe.

Thericles figulus fuit Corinthius, à cuius nomine fictilia quædam vasa Thericlea dicta sunt.

SACCVLORVM NOMINA.

Saccus in primis dicitur culleus, seu maius marsupium, in quo frumentum, aut quid aliud reconditur. Diminutiua sunt sacculus & saccellus. Iuue. Sat. 11. Saccus è cælo descendit. Saccus niuarius dicebatur pannus lineus, quo niues attenuabantur, vnde refrigerabantur vina. De hoc Martialis. Attenuare niues norunt, & lintea nostra.

Saccularii dicuntur latrones & incisores marsupiorum. Plautus appellat zonarios sectores. Græci Balantiotomos. Aeschines apud Cælium: Adducent (inquit) illum veneficū, Balantiotomum, qui remp. incidit.

Loculus, seu Loculamentū dicitur capsa, in qua seruatur pecunia. Martialis: Hos nisi de Haua loculos implere mone ta Non decet, argentum vilia ligna ferent. Ouid. libro 6. Fast. Gramina continuò loculis depromit eburnis.

Marsupiū, Cato: Maiorem curam habere marsupii nostri, quàm vitæ.

Mantica dicitur pera viatoria.

Pera capitur pro sacculo. erat autem peculiaris Cynicis. Mart. lib. 4. Cum baculo peraque senem. Idem in Dist. Dormiat & terrico cum cane pera rogat. Compositum est Hippopera equestris capsa. Et Sacciperium, ex pera & sacco.

Fisci, Fiscinæ, & Fiscellæ dicuntur marsupia, in quibus reconduntur pecuniæ publicæ. vnde confiscare verbum. Iuuenal. Satyr. 3. Res fisci est vbicunque natat.

De Pasceolo Plautus in Rudente: Nummi (inquit) octingenti auri in marsupio inferunt, præterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsum. Idem de Sacciperio, & Vidulo: Quæ nam balæna, inquit, meum vorauit viduum, aurum atq; argentum vbi omne compactum fuit? Eademne illa credo, quæ meum marsupium, quod plenum argenti fuit in sacciperio.

De Hippoperis Anneus Seneca in Epistolis: Cantherio (inquit) vehebantur, impositis quidem hippoperis, vt secum vtilia portarent.

FINIS.

LOCORVM INSIGNIVM TOMI PRIMI INDEX.

A Canibus occisi pagina 29
A leonibus occisi eadem
A serpentibus occisi 28
Ab animalibus diuersis amati 132
Ab apris occisi 28
Ab equs occisi,& discerpti 26
Achillis equi 193
Actores 169
Adulteri, & adulteræ 124
Æquinoctii descriptio 257
Aloidę 164
Amazones 145
Ancillæ quædam 120
Animalium, & aliarum rerũ amatores 132
Animalia honorata sepulcris 51
Apoplexia mortui 46
Appellationes eorum, qui uariis laborant morbis 61
Aquis submersi 23
Argonautarum nomina 168
Argumenta ab impossibili ex diuersis poetis 235
Armorum varia genera, & bellorum instrumenta 180
Articulari morbo mortui 45
Artificum officinæ 85
Artium variarum denominationes 77
Artium uariarum periti 90
Athletæ,pugiles, & palæstritæ 164
Atridę 75
Auctarium morborum
Aurigæ, & equorum domitores 193

B

Balbi 66
Bella, & alia quædam mala,ex mulieribus orta 145
Bella,in quibus multum cruoris effusum est 151
Bellicosi uiri cum illustribus uictoriis 151
Bellorũ instrumẽta uaria 180
Bellorũ memorabiles 90
Bibliothecæ
Bruta statuis & sepulcris honorata 51

C

Cæci, & excæcati 65
Canũ quorũdam nomina 130
Casibus diuersis mortui 45
Castissimi 135
Chirurgi 64
Cibo, & potu nimio mortui 40 51
Cinędi 61
Claudi 54
Combusti 99
Coronæ diuersæ

Cruce, & suspẽdio mortui 31
Curetes 164
Currus deorum quibus animalibus trahantur 195
Cursores uelocissimi 251
Cursus leuissimi descriptio 251
Cyclopes 164

D

De diebus, annis, & tempore
De oleo 89
De uario inhumandi ritu 76
Decollati 49
Deformes 44
Denominationes à naturalibus,seu accidẽtariis casibus 108
Denominationes à uariis artium professionibus 83
Denominationes à genere 77
Deorum amasii 85
Deorum, & hominum amasiæ 109
Deorum currus quibus animalibus trahantur 111
Deorum insignia 195
Deorum sceptra, & tela 87
Descriptio longi temporis, qua diu aliquod futurum significamus 178
Descriptio poetica,qua docemus aliquod longe, lateq; fieri 240
Descriptio magni,& frequentis numeri per similitudines, & comparationes 249
Descriptio cursus leuissimi, & miræ celeritatis 250
Descriptio ortus diei 251
Descriptio meridiei 253
Descriptio noctis, seu aduentus eius 255
Descriptio mediæ noctis 255
Descriptio Æquinoctii 257
Disenteria mortui 257
Docti viri habiti in magno pretio, & honore 46

E

Effeminati, & molles 92
Equi Achillis 195
Equi Martis 193
Equi Solis eadem
Equi Plutonis eadem
Equorum domitores eadem
Equorum, & equarum celebrium nomina 191
Equorum lapsu mortui 27
Eunuchi & Spadones 123
Excoriati 44
Exercitus numerosi 148

F

Fame & siti mortui 33
Ferarum morsu extincti 29
Febre mortui 45
Feminarum quarundam illustrium nomina 142
Figuli 257
Formosi & formosæ ex historicis, oratoribus, & poetis 103
Fortissimi fortitudine corporea 158
Fratrum, & sororum interfectores 18
Fratres uterini 89

Fulmine percussi 30
Fulminati eadem
Fumo, aut uaporibus suffocati 44
Furiosi, & maniaci 66
Furiæ tres 63

G

Gaudio, & risu mortui 39
Gētium propria epitheta 86
Gentium insignia 86
Gigantum quorundam nomina, & aliorum inusitatæ magnitudinis hominū 162
Gladiatores 168
Gladiorum nomina 176
Gratiæ tres 141
Gymnasia 176

H

Histriones, & actores 169
Hominum amasii 110
Hominum vota diuersa 87
Homines malè olentes 62

I

Impossibilia factu 179
In carceribus mortui 43
In latrinis mortui, aut occisi 44
In mortuos qui sæuierunt 48
In nenereo actu mortui 40
Incestuosi 123
Indocti, & qui litteras oderunt 98
Inhumandi uarii ritus 49
Insipientes, & stulti 69
Intercutis morbo extincti 45
Inuentis suis qui perierunt 52
Iugulati, & strangulati 42

L

Laborioſi & artiū variarū periti 98
Lapidibus, aut murorū ruina obruti 41
Laterum dolore mortui 46
Liberi parentum interfectores 17
Liberos qui multos habuerunt 89
Libidinosi & lasciui 127
Litterarum & litteratorum qui fuerunt amantissimi 55
Lenones, & Lenæ 119
Lippi 62
Ludi, & spectacula 173
Lusci 63

M

Machinæ quædam bellicæ & tormenta 178
Maniaci 68
Martis equi 195
Medici, pharmacopolæ, & chirurgi 69
Meridiei descriptio 155
Meretrices quædam 117
Militiæ nomina diuersa 181
Molles, effeminati, & elegantes 114
Monoculi 62
Morbi diuersi 57
Morborum auctarium 70
Morbis qui aliquibus infecti & affecti fuerunt 61
Mortui qui reuixerunt 48
Morte subita mortui 38
Mortem qui sibi uariis modis conscisuerunt, aut se a-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca